UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

urn:nbn:de:hbz:466:1-66255

Visual Library

Th. 5788.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA

PRIUS
AB
A. R. P. BRUNONE PARODE
Ord. S. Ben. in Monasterio Ettalensi Professo, Subpriore ac Bibliothecæ Præfecto
MODO
A
P. DOMINICO ZIEGLER
Ejusdem Cœnobii, SS. Theol. Cand. Exam. Approb. & antehac Frisingæ Humaniorum omnium Professore.
LATINE REDDITA.

Collegii S. J. Paderborne. 1768

TOMUS XXI.

AB ANNO CHRISTI 1248. USQUE AD ANNUM 1276.



Cum Approbatione ac Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



CONSPECTUS
TOMI XXI
LIBER LXXXIII
IN
HISTORIAM
ECCLESIASTICAM.

§. 1. Sanctus Ludovicus votum confirmat ſuum. Pagina 1
§. 2. Expeditio ſacra in Germania contra Fridericum. 4
§. 3. Nova hæreſis in Suevia. 7
§. 4. Cædes Marcellini Aretini Epiſcopi. 8
§. 5. Jacobus Pantaleon Pontificius in Polonia Legatus. 11
§. 6. Talmud damnatur. 15
§. 7. S. Ludovicus terram ſanctam petit. 21

§. 8. Guilielmus coronatus Romanorum Rex. 24
§. 9. S. Ferdinandus Hiſpalim capit. 26
§. 10. Concilium Valentinum. 28
§. 11. S. Ludovicus in Cypro. 30
§. 12. Tartarorum ad S. Ludovicum legatio. 32
§. 13. Joannes Parmenſis Pontificius in Græcia legatus. 37
§. 14. Nicephori Blemmydæ Conſtantia. 38
§. 15. Friderici ærumnæ. 40
§. 16. S. Ludovicus Peluſii. 42
§. 17. Mors Raymundi ultimi comitis Toloſani. 45
§. 18. Dies Maſſuræ. 47
§. 19. S. Ludovicus capitur. 49
§. 20. Pactio pro libertate S. Ludovici. 51
§. 21. S. Ludovicus liberatur. 57
§. 22. Arſacidarum legatio ad S. Ludovicum. 59
§. 23. Epiſcopatus Sueciæ. 61
§. 24. Obitus Imperatoris Friderici II. 63
§. 25. Epiſtolæ Papæ de ſiculo Regno ſoliciti. 66
§. 26. Papa Epiſtolas mittit in Germaniam. 67
§. 27. Chriſtiano Archiepiſcopo Moguntino ſuum abrogatur munus. 69
§. 28. Papa Lugduno abit. 71
§. 29. Paſtorum tumultus in Francia. 72
§. 30. Initia S. Petri Veronenſis. 78
§. 31. Papa Mediolani verſatur. 81
§. 32. S. Ludovici Regis in Palæſtina occupationes. 82
§. 33. Querelæ de Papa. 84
§. 34. Epiſcopatus Laudenſis & Adrianus. 87
§. 35. S. Petri Veronenſis Martyrium. 87
§. 36. Diplomata pro Fratribus Mendicantibus. 91
§. 37. Reginæ Blancæ obitus. 92
§. 38. Moneta Chriſtianorum ad ortum habitantium. 95
§. 39. Petrus Martyr in Sanctorum numerum refertur. 97.

§. 40.

§. 40. Mors Fratris Eliæ. 89
§. 41. S. Claræ obitus. 99
§. 42. S. Richardus Ciceſtrienſis moritur. 103
§. 43. Roberti Capitonis de curia Romana querimoniæ. 104
§. 44. Eccleſia Lithuana. 110
§. 45. S. Ludovici factorum continuatio. 112
§. 46. Epiſcoporum Cypri cum Latinis controverſiæ. 115
§. 47. Græcis Cypriis præſcripta agendi ratio. 118
§. 48. S. Ludovici reditus in Franciam. 121
§. 49. Concilium Albigenſe. 125
§. 50. Epiſtola decretoria de litterarum ſtudiis. 126
§. 51. Ecelinus a Papa proſcribitur. 128
§. 52. Rex Conradus obit. 130
§. 53. Manfredus ſe Papæ ſubjicit. 132
§. 54. Contentio inter Univerſitatem Pariſienſem ac Dominicanos. 133
§. 55. Litteræ Pontificiæ contra molimina Regularium. 141
§. 56. Papa Innocentius IV. moritur. 143

LIBER LXXXIV.

§. 1. Alexander IV. Papa. 145
§. 2. Eccleſiæ Septentrionales. 147
§. 3. Litteræ Pontificiæ in gratiam Religioſorum Mendicantium. 150
§. 4. S. Ludovici virtutes. 152
§. 5. Vincentius Bellovacenſis. 155
§. 6. S. Ludovici in Religioſos propenſio. 157
§. 7. Fratres Minores Epiſcopi. 159
§. 8. Alphonſus ſapiens Caſtellæ Rex. 161
§. 9. Concilium Burdigalenſe. 161
§. 10. Patriarchatus Bituricenſis. 164
§. 11. B. Philippus Berruerius. 165
§. 12. Palæſtinæ ſtatus. 168
§. 13. Joannis Vatacii mors. 170

§. 14. Continuatio turbarum Univerſitatis Pariſienſis. 171
§. 15. Inquiſitio habetur in Gallia. 177
§. 16. Relatio Guilielmi Rubruquiſii. 178
§. 17. Sartachii alloquium. 182
§. 18. Admiſſio ad Batum. 186
§. 19. Jugures ac Neſtoriani. 189
§. 20. Introductio ad Mangu-Canum. 192
§. 21. Colloquium cum Tuinianis. 195
§. 22. Rubruquiſii reditus. 199
§. 23. Joannes Parmenſis exauthoratus. 200
§. 24. S. Bonaventuræ initia. 203
§. 25. Cauſa Univerſitatis Pariſienſis. 204
§. 26. Eremitæ S. Auguſtini. 206
§. 27. Joannes Parmenſis condemnatur. 209
§. 28. Mors Guilielmi Batavi Romanorum Regis. 211
§. 29. Cauſa Univerſitatis Pariſienſis. 213
§. 30. Liber de periculis temporum noviſſimorum. 216
§. 31. Legatio ad novum Imperatorem Græcum. 221
§. 32. Liber de periculis condemnatur. 223
§. 33. Duo Doctores ſe ſubmittunt. 224
§. 34. S. Thomæ Aquinatis initia. 226
§. 35. Liber Evangelium æternum dictus condemnatur. 229
§. 36. Sicilia Regi Angliæ offertur. 232
§. 37. Manfredi progreſſus. 235
§. 38. Duplex electio Regis Romanorum. 236
§. 39. Arnoldus Archiepiſcopus Trevirenſis. 239
§. 40. Eccleſiæ Septentrionales. 240
§. 41. Res Univerſitatis Pariſinæ. 244
§. 42. Apologia Religioſorum Mendicantium. 245
§. 43. Epiſtola S. Bonaventuræ. 254
§. 44. Sevalius Archiepiſcopus Eboracenſis. 256
§. 45. Papa Viterbii commoratur. 259
§. 46. Ecelini progreſſus. 261
§. 47. Bellum inter Venetos ac Genuenſes. 262
§. 48. Eccleſia Salisburgenſis. 264
§. 49. Sanctiones ad Inquiſitionem ſpectantes. 266

§. 50. Concilia Roffiacenſe ac Montis Peſſulani. 267
§. 51. Arlotus Pontificius in Anglia Nuncius. 271
§. 52. Anglorum querimoniæ de Rege ſuo. 273
§. 53. S. Ludovicus amans pacis. 277
§. 54. Tartari Bagdetiam capiunt. 280
§. 55. Tartari Hungariæ Regi conditiones pacis offerunt. 283
§. 56. Litteræ Pontificiæ contra Clericos concubinos 286
§. 57. Controverſiæ Univerſitatis Pariſinæ. 288
§. 58. Collegium Sorbonicum. 291
§. 59. Veteres Carthuſianorum conſtitutiones. 294
§. 60. Tyranni Ecelini mors. 297
§. 61. Theodori mors. Michaël Palæologus Imperator Græcus. 299
§. 62. Flagellantes in Italia. 301
§. 63. Carmelitæ & Auguſtiniani Pariſiis domos obtinent. 304
§. 64. Albertus Magnus Epiſcopus Ratisbonenſis. 306
§. 65. Concilium Colonienſe. 310
§. 66. Concilium Conacenſe & alia. 312
§. 67. Conſtitutio pro Græcis Cypriis. 315

DISSERTATIO VI.

§. 1. Origo Expeditionum ſacrarum. 321
§. 2. Plena noxarum venia. 327
§. 3. Errata in executione ſacræ militiæ. 331
§. 4. Horum moliminum incitamenta. 335
§. 5. Incommoda ex Conſtantinopolis expugnatione. 338
§. 6. Expeditiones ſacræ multiplicatæ. 341
§. 7. Decimæ, aliæque collectæ. 343
§. 8. Negotia ſummorum Pontificum negotiis addita 344
§. 9. Latinus Orientis Clerus. 347
§. 10. Ordines Militares. 350
§. 11. Pœnitentiæ intermiſſio. 353

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 12. Expeditiones ſacræ ad ſeptem Triones. 359
§. 13. Expeditionum ſacrarum commoda temporalia. 363
§. 14. Quod præſtet Ethnicos Chriſto adjungere. 367
§. 15. Muſulmannos ad Chriſtum adduci poſſe. 369

LIBER LXXXV.

§. 1. Receſſus Arſenii Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani. 377
§. 2. Concilium Arelatenſe. Joachimitæ. 381
§. 3. Concilii Arelatenſis Canones. 384
§. 4. Apparatus belli contra Tartaros. 387
§. 5. Concilium Lambethanum. 389
§. 6. Alia concilia. 391
§. 7. Alexander IV moritur. Urbanus IV Papa. 393
§. 8. Otto e Proſapia Pro-Comitum Archiepiſcopus Mediolanenſis. 395
§. 9. Patriarchæ Nicephori obitus. 396
§. 10. Græci Conſtantinopolim recuperant. 397
§. 11. Arſenius revocatur. 399
§. 12. Cardinales novi. 400
§. 13. Papæ Epiſtola contra Manfredum. 403
§. 14. Epiſtola contra Michaëlem Palæologum. 407
§. 15. Arſenius Palæologum proſcribit 409
§. 16. Palæologus Papæ ſcribit. 412
§. 17. Papæ reſponſio. 413
§. 18. Alia Palæologi Epiſtola. 415
§. 19. Subſidium pro terra ſancta. 418
§. 20. Propoſitio S. Ludovico a Clero facta. 420
§. 21. Concilia Burdigalenſia. 421
§. 22. Papa in declarando Imperatore Romano identidem tergiverſatur. 422
§. 23. Acta contra Manfredum. 424
§. 24. S. Ludovicus Angliæ Arbiter. 427
§. 25. Continuatio rerum Siciliæ. 429

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 26. Divinum monitum Julianæ Cornillomontanæ datum. 431
§. 27. Feſtum SS. Corporis Chriſti. 434
§. 28. Concilia Nannetanum & Pariſinum. 437
§. 29. Cypriorum perverſitas. 439
§. 30. Patriarcha Arſenius accuſatur. 440
§. 31. Arſenius in Concilio exauthoratus. 443
§. 32. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 446
§. 33. Urbani IV obitus. 448
§. 34. Clemens IV. Pontifex Maximus. 449
§. 35. Regnum Siculum Carolo Andegavenſi tribuitur. 452
§. 36. Eccleſia Hiſpanica. 455
§. 37. Sacræ crucis exercitus in Gallia, Hungaria & Anglia. 457
§. 38. S. Bonaventura Archiepiſcopatum Eboracenſem abnuit. 461
§. 39. S. Thomas Aquinas recuſat fieri Archiepiſcopus Neapolitanus. 462
§. 40. Eccleſia Salisburgenſis. 464
§. 41. Eccleſia Danica. 466
§. 42. Manfredi Mors. 471
§. 43. Synodus Colonienſis. 472
§. 44. Joannes Curtiniacenſis Remorum Epiſcopus. 475
§. 45. Rex Arragoniæ reprehenſus. 476
§. 46. Germanus Patriarchatum Conſtantinopolitanum abdicat. 479
§. 47. Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 486
§. 48. Bondocdari progreſſus bellici. 489
§. 49. Altera S. Ludovici expeditio ſacra. 490
§. 50. Odo Rigaldus Archiepiſcopus Rothomagenſis. 492
§. 51. Decimæ in Gallia. 493
§. 52. S. Ludovici pietas multiplex. 496
§. 53. Continuatio cauſæ Mediolanenſis 503
§. 54. Schiſma inter Græcos. 506
§. 55. Papæ ad Palæologum Epiſtolæ 510

§. 56. Concilium Viennæ in Auſtria habitum. 513
§. 57. Errores de Evchariſtia. 515
§. 58. Petrus Charnius Archiepiſcopus Senonenſis. 517
§. 59. Conradinus a Papa proſcriptus. 519
§. 60. Henricus Caſtellæ Princeps Romæ agit. 522
§. 61. Concilium Londinenſe. 524
§. 62. Res Imperii. 527
§. 63. Conradini Mors. 530
§. 64. Clemens IV. obit 531

LIBER LXXXVI.

§. 1. S. Ludovici Sanctio Pragmatica. 533
§. 2. S. Bonaventura pauperum cauſam ſcripto tuetur. 535
§. 3. S. Bonaventuræ opera. 543
§. 4. Palæologi ratio agendi de Eccleſia græca latinæ reconcilianda. 545
§. 5. Beata Iſabella Galliæ Princeps 549
§. 6. S. Ludovici profectio. 551
§. 7. Molitio contra Tunetum. 554
§. 8. S. Ludovicus filio ſuo ſalutaria dat monita. 557
§. 9. S. Ludovicus moritur. 561
§. 10. Sacræ Crucis exercitus redit. 562
§. 11. Errores Pariſiis condemnati. 565
§. 12. Regis Philippi reditus. 566
§. 13. S. Ludovici exequiæ. 567
§. 14. Mors Alphonſi Comitis Toloſani. 569
§. 15. Eduardus in Palæſtina. 570
§. 16. Gregorius X. Papa. 571
§. 17. Thomas Patriarcha Hieroſolymitanus. 575
§. 18. Palæologi cum Papa Negotium. 577
§. 19. Henricus III Angliæ Rex moritur, cui ſuccedit Eduardus. 581
§. 20. S. Thomas Herfordienſis. 583
§. 21. Regis Eduardi reditus. 584

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 22. Rex Lusitaniæ officii sui commonetur a Papa. 586
§. 23. Papa Florentiæ agit. 588
§. 24. Beatus Ambrosius Senensis. 590
§. 25. Rudolphus in Romanorum Imperatorem eligitur. 592
§. 26. Episcopi Olomucensis ad Papam libellus. 593
§. 27. Papæ ad Episcopum Leodicensem Epistola. 598
§. 28. Pactio Norvegiæ Regem inter & Archiepiscopum Nidrosianum transacta. 601
§. 29. Daniæ Regis ac Episcoporum consensio. 604
§. 30. Palæologus urget reconciliationem. 606
§. 31. Veccus dissentit a schismaticis. 610
§. 32. Gregorius X Lugduni Gallorum agit. 613
§. 33. Guidonis Monfortii pœnitentia. 616
§. 34. S. Thomæ Aquinatis obitus. 617
§. 35. Initia S. Petri Cœlestini. 622
§. 36. Concilii Lugdunensis sessio prima. 626
§. 37. Altera Sessio. 628
§. 38. Sessio tertia. Constitutiones. 629
§. 39. Josephus Patriarcha Constantinopolim relinquit 631
§. 40. Palæologi solicitudo de reconciliandis Ecclesiis. 633
§. 41. Græcorum adventus ad Concilium. 637
§. 42. Episcopi Leodiensis abdicatio. 639
§. 43. Tartari comparent in Concilio. 640
§. 44. Sessio quarta. Græcorum reconciliatio. 640
§. 45. Constitutio de Conclavi. 644
§. 46. S. Bonaventuræ obitus. 647
§. 47. Quinta Sessio. 648
§. 48. Sessio sexta & ultima. 651
§. 49. Ordo Servorum Mariæ. 653
§. 50. Decimæ pro Palæstina. 655
§. 51. Papa Rudolphum agnoscit Regem Romanorum. 657

§. 52.

§. 52. Concilium Salisburgenſe. 658
§. 53. S. Raymundi Pennafortii obitus. 661
§. 54. Alphonſus Imperio longam ſalutem dicit. 662
§. 55. Litteræ Pontificiæ contra Luſitaniæ Regem. 664
§. 56. Rex Arragonum reprehenditur. 666
§. 57. Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus gradu movetur. 668
§. 58. Joannes Veccus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 670
§. 59. Diœceſes Valentina, & Dienſis uni eidemque Epiſcopo in perpetuum ſubjiciuntur. 672
§. 60. Gregorii ac Rudolphi congreſſus Lauſannenſis. 675
§. 61. Mors Papæ Gregorii X. 677
§. 62. Innocentius V & Adrianus V Summi Pontifices. 679
§. 63. Concilium Bituricenſe. 680

HISTO-



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER LXXXIII.

INNOCENTIUS IV. PAPA.
FRIDERICUS II. IMP. OCCID.
BALDUINUS II. IMP. ORIENTIS.

§. I.

S. Ludovicus votum confirmat ſuum.

Regi Franciæ S. Ludovico imminente tempore abeundi ad Terram ſanctam Regni Proceres vehementius objiciebant, quod votum ſuum nec redimere Sæcul. XIII. A.C. 1248. *Mat. Par. p.* 645.

Sæcul. XIII. A. C. 1248.

vellet, nec commutare. Regina maxime Blanca mater ſua ei inſtabat, ſuffulta monitis Pariſienſis Epiſcopi Guilielmi Arvernienſis, qui ſic eundem alloquebatur: Memento, Rex, te hoc tanti momenti votum præcipiti conſilio, nullius ſententia rogata, ægrotum, perturbato cerebro, & ut verum dicam, mentis impotem nuncupaſſe, ita, ut verba a te prolata pondus nullum habeant. Talis voti religione Papa nos facile ſolvet, tuam præſentiam Regno neceſſariam, valetudinem fractam reputans. Hinc Friderici vires, illinc Angliæ Regis artes, præterea infidelitatem Pictonum, & Albigenſium inquietudinem timemus merito. Dum Germania & Italia diverſis motibus agitantur, difficile eſt Terram ſanctam attingere, ſtationemque ibi tutam invenire: Papam & Fridericum implacabili incenſos odio poſt te relinquis: quo in ſtatu nos deſeris? Regina teneriorem adhibens modum, Dilecte fili! ajebat, audi prudentium amicorum conſilia, nec tuo ipſius judicio confide! Cogita, quam acceptus Deo ſit filius obediens matri! Mane in patria tua! Terra ſancta per abſentiam tuam nihil amittet: numeroſior illuc exercitus mittetur, quam ſi eam ipſe peteres. Deus nobiscum non altercatur: conditio, in quam morbus te conjecit libertate animi ac pene rationis uſu privans, te ſatis excuſat.

Sup. lib. 82. §. 17.

Rex

Rex his ſermonibus moveri viſus, Alienatæ menti, ſubdebat, crucem a me prehenſam tribuitis. Bene eſt: depono eam, ut cupitis; & admota humero manu crucem inde avulſam Epiſcopo tradens, Habe! inquiebat, libere tibi reddo. Aſtantes cuncti gaudio exultabant: cum Rex vultum magis ſerium formans, Nunc profecto, dixit, nec ratione nec ſenſu deſtitutus, nec æger ſum: repoſco autem crucem meam, ac teſtor Deum, me nihil cibi ſumpturum, donec eam recepero. Scilicet Deum hoc agere agnoſcebant omnes, nec auſus eſt deinceps quisquam obſiſtere ſancti Regis propoſito. Sæcul. XIII. A. C. 1248.

Papa, quam grandia de illo ſperaret, 23 Februarii an. 1248 Nobilium Ordini populoque, cum eos ſacrum ad bellum animaret, ſcripſit in hanc ſententiam: D. N. J. C. ad liberandam terram ſuam multos inter Principes elegiſſe videtur dilectum filium noſtrum Galliæ Regem, qui præter puritatem corporis & animi ac virtutum multitudinem etiam viris bellica laude claris, opibusque abundat. Induit crucem, ac præparationes tam magno Principe & tanta molitione dignas fecit, ita, ut eam proſperum ad finem perducturus merito cenſeatur. Papa ſubjungit, ſe Cardinali Odoni, Epiſcopo Tuſculano, crucem manu dediſſe ſua, & legationem ad hunc exercitum detuliſſe. *V. ep. 612. ap. Rayn. 1248. n. 28.* *n. 29.*

Sæcul. XIII. A. C. 1248. Pariter ſcripſit ad Patriarcham Hieroſolymitanum, & ad Cypri Armeniæque Præſules. Legato imperavit, ut ante ſuum e Francia diſceſſum neminem a voto abſolveret: Epiſcopis Ebroicenſi ac Silvanectano injunxit, ut omnes Cruce ſignatos ad iter proximo menſe Martio cum Rege ingrediendum paratos eſſe juberent: idem mandatum ſacris militibus Friſiæ, Bataviæ ac Zelandiæ miſit.

§. II.

Expeditio ſacra in Germania contra Fridericum.

Sed paulo poſt Papa Germanos e templorum pulpitis ad aliud bellum ſacrum contra Fridericum ſtimulari juſſit, quod expeditioni adverſus ethnicos Terræ ſanctæ poſſeſſores non poterat non obſtare. Hic Princeps edici curaverat, ut, quisquis e viris Eccleſiaſticis aut Religioſis ex præcepto Papæ vel Legati Pontificii ſacrum aut reliqua officia divina peragere, vel Sacramenta adminiſtrare omiſerit, bonis patrimonii ſui ac Eccleſiaſticis exutus ex urbe aut domicilii ſui loco pelleretur, & poſteriora quidem bona Clericis huic edicto obtemperantibus, priora vero hæredibus inteſtato ſuccedentibus adjudicarentur. Addebatur inhibitio, nequis Religioſorum ab una urbe

P. Vin. lib. 1. ep. 4.

be ad aliam abiret sine litteris Magistratus loci, a quo discederet, morum decentium & cognitæ in Cæsarem fidei testibus. Sæcul.XIII. A.C.1248.

Comperto hoc edicto Papa anathema illum in Principem pronunciatum, & singulis hactenus annis repetitum die Domini Cœnæ sacro 16 Aprilis 1248 iteravit, severiorem se fore minitans, si Fridericus in contumacia sua persisteret. Ita sonat epistola, quam ad cunctos Germaniæ Præsules 18. Aprilis sive sabbato sancto dedit, ac etiam ad Italiæ Præsules misit. Cum Principem hac agendi ratione nihilo magis commotum cerneret, quod intentaverat, exequendum ratus, quarto Maji Episcopis Frisingensi, Passaviensi, & Ratisbonensi aliisque, ut Teutones in Fridericum ac filium ejus Conradum tanquam Catholicæ fidei & libertatis Ecclesiæ oppressores accenderent, imperavit, illis, qui contra eos sacram militiam inirent, eandem spondens indulgentiam, quam concederet Terram sanctam petentibus. Hæc expeditio magnos in Germania motus concitavit, & inter causas belli civilis in Bohemia fuit, cujus Rex Wenceslaus IV. cognomine Luscus a Summo Pontifice stabat. Nam multi Proceres Wenceslao infensi susceptis Friderici partibus, seditione sua Pri-

V. ep. cur. 44 *Rayn.* *n.2.3. &c.*

Id. n.7.

n. 8. 9.

Sæcul. XIII. A.C. 1248. mislaum filium Regis natu maximum implicuere.

n. 10. 11. 12. Ratisbonæ cives aperte in Epiſcopum conſurrexerunt, qui Papæ mandata faciens eos anathemate perculerat, & urbem interdicto affecerat. Pergebant proſcriptorum cadavera in cœmeterio ſepelire: e contrario cujusdam Comitis ad officium reverſæ corpus e terra erutum & raptatum canibus in prædam projecerunt. Sacerdotem quendam, qui ad Eccleſiæ ſinum redierat, usque ad effuſionem ſanguinis verberatum detinuerunt in carcere, donec tanti ſeſe, quanti volebant, redimeret. Denique ſtatuerunt, nequis ſupra veſtes crucem ferendo ſe Papæ militem profiteretur, alioqui morte mulctandus. Ne hæc ſcelera impune ferrent, Papa per litteras Epiſcopum Ratisbonenſem præter anathema & interdictum rebelles prædiis beneficiariis, quæ ab Eccleſia haberent, privatos denunciare juſſit, addita poteſtate eadem illis conferendi, qui fideles perſiſterent, aut ejus inimicos impugnarent. Præcepit etiam, ut nullæ cum ſeditioſis pactiones fierent, nec eis in judicio reſponderetur de debitis aut depoſitis, quæ repoſcerent, & qui hac de materia juraſſent, ab obligatione ſua abſolverentur. Atque ut pœna ad ſontium poſteritatem tranſeat, volumus, addebat Papa, ut eorum poſteros usque ad

ad quartam generationem a beneficiis Sæcul.XIII.
excluſos, & conceſſa illis privilegia omnia A C.1248.
eſſe ſublata & nulla declares. Dabat
13 Maji.

§. III.

Nova hæreſis in Suevia.

Cenſurarum contemptio in Germania *Alb. Stad.*
usque ad apertam hæreſim progreſ- *an.* 1248.
ſa eſt, ita, ut hoc anno 1248 eam defenſores ſui publicis concionibus Halæ Suevorum ſpargerent, quo regionis Optimates æris campani ſonitu convocaverant. Dicebant, Papam hæreticum, Epiſcopos ſacrilegi mercatus reos eſſe; ſacerdotes ob peccata ſua ligandi & ſolvendi poteſtate carere, atque ob conſcientiam graviter ſauciam panem vinumque in Chriſti corpus & ſanguinem convertere haud poſſe; omnes illos homines a longo tempore profanis imponere. Neminem vivum, nec Epiſcopum, nec Papam officium divinum poſſe interdicere, idque audentes eſſe hæreticos ac deceptores. Faciebant quoque copiam in urbibus interdicto affectis aſſiſtendi ſacrificio, & Sacramenta ſuſcipiendi tanquam noxarum ſordes eluendi media. Perhibebant inſuper, Fratres Prædicatores Minoresque falſis ſermonibus ſuis Eccleſiam pervertere, pravamque agere vitam, velut e-

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

tiam Ciſtercienſes, cæterosque omnes monachos.

Nos ſoli vera loquimur, adjungebant, & fidem operibus ſequimur. Niſi nos veniſſemus, Deus alios concionatores, qui Eccleſiam vera doctrina illuſtrarent, e lapidibus ſuſcitaſſet potius, quam in periculo eam reliquiſſet. Veſtri oratores hactenus vera celarunt, quæ nos detegimus: falſa dixerunt, quæ nos ſilentio premimus. Ille, qui hæc protulit, ſermonem ſuum ſic finiebat: Indulgentia, quam nos vobis damus, non eſt ficta, nec a Papa, ſed a Deo ſolo venit. Vix audemus Papæ mentionem facere: eſt corruptus nimium ac peſſimi exempli homo. Orate pro Cæſare Friderico, & filio ejus Conrado, qui juſtitiam & omnes virtutes colunt! Conradus in Germania agens protegebat hæreticos, hac ratione ſe ac patrem ſuum defendi ratus. Hæc Albertus tunc vivens, qui relicta Stadenſi Abbatia in Saxonia inſtitutum Fratrum Minorum amplexus erat.

§. IV.

Cædes Marcellini Aretini Epiſcopi.

M. Paris. p. 643.

Fridericus odio & contemptu dignum ſe reddebat. Hyemem ad Parmam transegerat, eam ſe capturum confidens; cum obſeſſi per quendam deſperationis impe-

impetum facta eruptione ejus castra seu novam urbem, cui nomen Victoriæ dederat, occuparunt die Martis 18 Febr. Fridericus Cremonam se recipere coactus suas sarcinas ac ærarium amisit una cum Thaddæo Suessio hujus custode a Parmensibus in frusta conciso. Quæ clades Friderici authoritatem in Lombardia non parum imminuit. Sæcul. XIII. A. C. 1248. *Mon. Pad. p.* 692. *Petr. Vin. II. ep.* 5. 41.

Interim Marcellinum Petium Episcopum Aretinum in carcere detinebat. Hic Præsul Anconæ nobilissima ortus prosapia, Guelforum caput erat, ad quos suis monitis & largitionibus non cives solum, sed & populum ruri habitantem attraxit. Asculensis primum Episcopus fuerat, dein per Gregorium IX. Aretinus an. 1237 evasit. Sed a Gibellinis Hetruriam obtinentibus Aretio cum pluribus aliis pulsus, Romam confugit sedente Innocentio IV, qui Guelforum exercitui in Marchia Anconitana eum præfecit: studiis enim bellicis quam sacris addictior ille fuit, nec semel tantum Friderici copias profligavit. Denique captum & amplius trimestri spatio servatum in vinculis Fridericus etiamnum ad Parmam commorans ad suspendium damnavit, quod in arce S. Plamiani, ubi inclusus erat, executioni datum. Ministri Cæsaris accepto hoc mandato Marcellinum, ut Papam, Cardinales, cæterosque Præsules *Ughell. to.* 1. *p.* 469. *Epist. ap. Matth. Par. p.* 660.

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

eorum partibus adjunctos anathemate publico feriret, ac Imperatori fidem suam jurejurando obstringeret, urgebant, hoc pacto impunitatem una cum magnis opibus spondentes. At Episcopus anathema in Fridericum jam sæpius pronunciatum repetiit: deinde gnarus ad supplicium sese ductum iri, Sacramenta morientium omnia suscepit. Putaverat aquis se hauriendum; sed necis genus sibi decretum videns *Te Deum*, & *Gloria* in excelsis cecinit. Sarraceni sententiæ executores vinctis manibus equi caudæ alligatum per urbem ad patibulum raptabant. Interea Fratribus Minoribus ab utroque latere se comitantibus errata sua palam confitebatur, & omnibus inimicis suis libente animo ignoscere se dicebat. Prima jejunii verni Dominica octava Martii erat, qua in furcam agebatur, ubi cadaver triduo custoditum. Fratres Minores subreptum terræ mandarunt. Sed effossum, per sordes tractum, infami rursus ligno suffixum hæsit, donec inde singulari Cæsaris ex imperio ablatum est. Cardinalis Rainerius litteras hac super re patheticas exaravit, quas concluſit hortando Christianos, ut sacram expeditionem in Fridericum bello in Terra sancta gerendo præferrent, ac malo urgentiori occurrerent. Matthæus Paris asserit, has litteras majorem contra illum indigna-

p. 562.

indignationem excitaturas fuiſſe, niſi Papæ partes eam in ſe per avaritiam, ſacrorum nundinationes, uſuras, cæteraque vitia ſua convertiſſent. Sæcul.XIII. A.C.1248.

§. V.

Jacobus Pantaleon Pontificius in Polonia Legatus.

Poſt concilium Lugdunenſe Papa Innocentius Legatum in Poloniam miſit Jacobum Pantaleonem, Archidiaconum Leodienſem, & ſacelli ſui Præfectum. Trecis in Campania natus veteramentarii ſutoris filius erat. In ætatis flore Pariſios ad litterarum ſtudia profectus, primum Magiſter artium, deinde Doctor Juris Canonici, tum Theologiæ deditus celeber concionator, demum Archidiaconus Leodienſis evaſit. Poſtquam venerat in Poloniam, hoc anno 1248 Vratislaviæ in Sileſia concilium habuit, in quo cum ſeptem Epiſcopis ſcilicet Prandotha Cracovienſi, Bogufalio Poſnanienſi, Thoma Vratislavienſi, Michaële Uladislavienſi, Andrea Plocenſi, Nanchero Lebuſienſi, ac Henrico Culmenſi Fulco Archiepiſcopus Gnesnenſis comparebat. Legatus expoſitis gravibus Apoſtolicæ Sedis neceſſitatibus, ut Friderico reſiſtere poſſet, per tres annos proventuum Eccleſiaſticorum partem tertiam poſtulabat: illi quintam

S. Antonin 3.par.tit.19. c. 13.

To. 11. conc. p. 702.

Rayn.n.49.

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

quintam polliciti, ſummam mox integram Papæ per Godefridum, qui ei a confeſſionibus erat, in anteceſſum miſerunt: quam ob rem Innocentius publicas eis gratias egit. In Polonia jam inde ab introducta illuc Chriſtiana fide moris erat, ut vernum jejunium a Dominica Septuageſimæ, ut vocant, inchoaretur: ſed multis ſecus agentibus magna Clericos inter & laicos diſſidia naſcebantur: nam populus reliquas Occidentis nationes volebat ſequi, Epiſcopi vero ad conſervandum morem veterem cenſuras adhibebant. Itaque Legatus & Epiſcopi Poloniæ deliberabant, an Eccleſiæ Romanæ & Catholicarum regionum præcipue Latinarum conſuetudini contraria hæc conſuetudo tenenda eſſet? Reſtabat enim de ritu Græco, quem initio Poloni, ut Sclavi reliqui receperant. Cum omnia ſatis expendiſſent, Legatus ex conſenſu Epiſcoporum & authoritate Summi Pontificis permiſit, ut Poloni univerſi tam Clerici quam profani usque ad diem cinerum carnibus veſcerentur.

V. Thomaſſ. Jeunes. 2. par. c. 1. n. 13.

Quoniam Jacobi Archidiaconi legatio in Boruſſiam & Pomeraniam extenſa erat, poſt Vratislavienſe concilium in Boruſſiam delatus neophytis ſeu novis Chriſtianis, Magiſtroque ac Equitibus Ordinis Teutonici eos ad quandam ſervitutis ſpeciem deprimentibus multa præſcripſit

Poſt Chron. Pruſſ. p. 463.

res

res ſpirituales æque ac temporales tangentia. Ego duntaxat ea, quæ ad Religionem pertinent, memorabo. Neophytis legitimisque illorum filiis ſacros Ordines ſuſcipere licebit ac Deo dicatorum hominum inſtitutum complecti. Ut promittunt, ſuorum cadavera non comburent amplius, nec una cum hominibus vivis, aut equis, armis, veſtibus, vel rebus pretioſis, ſed more Chriſtiano in cœmeteriis ſepelient. Idolo, quod ſub Curchi nomine adorant, aliisque falſis Diis libationes deinceps non offerent, ut quolibet anno ſemel poſt collectas fruges facere conſueverunt. Non habebunt in poſterum deceptores illos, quos Taliſſones Ligaſtonesque vocant, ethnicorum popis ſimiles, & qui in exequiis mortuorum furta, rapinas, impuritates, cæteraque crimina laudant, & ſublatis ad cœlum oculis clamant a ſe conſpici vita functum in equo ſplendidis inſtructum armis magno cum comitatu per aërem volare ad orbem alterum. Sæcul.XIII. A.C.1248. p.466.

Non tenebunt amplius uxores duas, multo minus plures, ſed unicam, quam in præſentia teſtium ducerent, ſuaque connubia in Eccleſia promulgari curabunt. Filias ſuas in matrimonium collocandas non venundabunt deinceps, ut hactenus fecere: unde contigit interdum, ut filius patris ſui viduam ſibi adjungeret veluti

partem

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

partem ſucceſſionis. In conjugiis ſuis obſervabunt gradus propinquitatis ſecundum leges Eccleſiæ, nec hæredes præter legitimos liberos ſuos habebunt. Nemo eorum ſuum filium filiamve perimet, quocunque id modo fiat: ſed ut primum infans natus fuerit, vel ad ſummum octavo die in templum portabitur a Sacerdote ſacroſancto Chriſtianorum ritu ſalutare in lavacrum ter immergendus. Hæc omnia notatu digna ſunt, præſertim trina in aquam immiſſio. Præſcriptum continuatur: Et quia ſacerdotibus ac templis diu caruere, unde accidit, ut multi ob baptiſmi penuriam ad inferos ſint delapſi, & plurimi necdum vitalibus aquis tincti ſuperſint, hoc intra menſem fieri curabunt: alioquin (ut in hoc conſenſerunt) publicabuntur bona tam parentum, qui liberos ſuos intra hoc ſpatium luſtrali fonte ablui per contemptum non curaverint, quam adultorum, qui commoniti baptiſmum accipere obſtinatis animis renuerint: ipſi vero ſolis tecti ſubuculis e Chriſtianorum terris ejicientur, ne malis ſermonibus ſuis reliquos corrumpant. Id totum procul abeſt a vetere diſciplina de præparatione ad baptiſmum.

Deſignantur deinde loca, in quibus neophyti templa conſtruant; nimirum tredecim in Pomerania, ſex in Varmia, tria in Natangia, omnia poſt Pentecoſten proxi-

proximam: & iidem se libros, calices, ornamenta, cæteraque necessaria se collaturos spondent. Ni faciant, eorum sumptibus illa condere jubentur Equites. Hi quoque promittunt, se dotem Ecclesiis, & sustentationem Parochis daturos, donec accipiant decimas, quas neophyti eis allaturos se pollicentur. Hæc præscriptio facta præsente Henrico Episcopo Culmensi, quem Legatus consulto vocaverat, & septimo Februarii an. 1249 data est. Henricus erat Ordinis Fratrum Prædicatorum, & monacho, cui Christianus nomen erat, primo Episcopo Culmensi successerat. Anno 1251 Cathedralis Ecclesiæ suæ Canonicos religiosa lege solutos in Regulares convertit. Vitæ cursum confecit 1 Julii an. 1254.

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

Chr. Pruss. dissert. p. 222

§. VI.

Talmud damnatur.

In Gallia Cardinalis Legatus Odo Castro-Rodulphinus, antequam cum Rege Terram sanctam peteret, rem dudum inceptam finiit, nempe damnationem Talmudis. Sub annum 1236 Judæus quidam Rupellensis testibus Judæis ipsis rerum Hebraicarum scientissimus, Christianam amplexus fidem Nicolai nomen a sacro fonte tulerat. Is ad Gregorium IX. duodecimo sedentem anno scilicet 1238 profe-

Echard. sum. S. Th. vind. p. 583.

p. 592.

Sæcul. XIII. A. C. 1248.

profectus ei significavit, Judæos præter divinam legem a Moyse scriptam habere aliam, quam nominarent Thalmudem, nempe doctrinam a Deo ipso, ut ii quidem perhiberent, viva voce Moysi traditam, & in sua memoria conservatam, donec eorundem Doctores aliqui eam, ne in oblivionem veniret, litteris mandassent, illamque volumen sacro Codice multo grandius efficere. Hunc autem librum tot errores & blasphemias continere, ut pudorem referenti, ac lectori horrorem inciterent; esseque causam præcipuam, quæ Judæos in obstinatione sua detineret.

Quo comperto Papa 9 Junii an. 1239 ad Archiepiscopos Galliæ litteras dedit, in quibus sic loquitur: Præcipimus, ut ex authoritate nostra in sua quisque provincia primo futuri jejunii verni sabbato mane, cum Judæi suas in Synagogas convenerint, omnes eis libros suos adimi, & apud Fratres Prædicatores Minoresve fideliter asservari curetis, Magistratus civilis præsidium, si opus sit, implorantes. Præterea cunctos Clericos & profanos homines, qui libros habebunt Hebraicos, vobis eos tradere jubebitis, proposita, si non pareant, anathematis pœna. Eadem Epistola Angliæ, Castellæ, ac Legionis Archiepiscopis missa est. Papa itidem Franciæ, Angliæ, Arragoniæ, Castellæ,

ſtellæ, Legionis, Navarræ, ac Luſitaniæ Regibus ſcripſit, & ſingulariter Epiſcopo Pariſienſi, cui injunxit, ut omnes has Epiſtolas, quas Judæus Nicolaus Rupellenſis ipſi traditurus eſſet, ad loca inſcripta mitteret. Mandavit ſimul Moderatori Fratrum Minorum Pariſienſium, ut Judæos ſibi tradere libros ipſorum cogeret, eosque, qui errores continerent, igni abſumendos daret. Sæcul. XIII. A.C. 1248.

Una cum his epiſtolis Papa triginta quinque puncta e Talmude excerpta miſit, quæ præter multos errores alios in libris Hebraicis oſtenſa ſunt præſentibus Gualterio Archiepiſcopo Senonenſi, Episcopis Pariſienſi & Silvanectano, Godefrido Blevelio Ord. Præd. Sacelli Pontificii Præfecto, tunc Profeſſore Pariſienſi & aliis quibusdam Theologiæ Doctoribus, ipſisque Judæorum Magiſtris, qui has propoſitiones ſuis ineſſe libris fatebantur. Inter alias agnoſcebant iſtas. Suis in ſcholis pluris æſtimari ſtudium Talmudis quam ſacri Codicis, nec Doctorem vocatum iri eum, qui divinas litteras mandaſſet memoriæ, ſi Talmudem neſciret. Doctores poſſe ſibi merito videri ſolutos lege, qua ſeptimi menſis die primo inflare buccinas & decimo quinto portare palmas juberentur, quoties in hos dies ſabbatum incideret, ne id violarent, tubas palmasque per plateas ferendo. Deum

p. 584.

p. 596.

p. 587.

Levit. 23. *v.* 24. 40.

p. 588.

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

singulis noctibus ter sibi male precari, eo quod deseruerit templum suum, & Judæos in servitutem redegerit. Nullum Judæum ultra menses duodecim inferorum ignes aliamve pœnam in orbe altero sensurum. Improborum omnium corpora & animas in pulverem versum iri; nec aliam illos pœnam passuros, exceptis iis, qui consurrexissent in Deum, ac Dii esse voluissent: horum cruciatus æternos
p. 589. fore. Deum quotidie scholam habere informando pueros, & cum Leviathan jocari.

His Judæorum libris diligenter examinatis constabat, illos per hos a sensu sacri Codicis non spirituali solum verum etiam litterario averti ad figmenta & fabulas. Et secundum sententiam Theologiæ ac Juris Canonici Doctorum omnium
p. 583. cuncti Judæorum libri, qui tunc potuerant tota e Francia colligi, & viginti plaustra oneraverant, biduo concremati fuere.

to. II. conc. ep. 15. p. 625. Rayn. 1244. n. 41.

Cum Innocentius IV. solium Apostolicum conscendisset, 11 Maji an. 1244 sancto Ludovico hac de re scripsit, laudans fervorem ab eo jam demonstratum, & adhortans, ut porro discuti, condemnari, & comburi totum per Regnum suum curaret Judæorum libros, qui errores ac blasphemias continerent. Dein Cardinali Odoni suo in Gallia Legato, qui

&

& ipse tanquam Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius sententiam damnationis tulerat, injunxit, ut Talmudem cæterosque Judæorum libros deferri ad se juberet, sedulo examinatos in punctis Christianæ religioni haud contrariis toleraret, ac Judæorum Doctoribus redderet. At Cardinalis veritus, ne Papa eorum artibus ac mendaciis se decipi pateretur, litteras ad illum dedit, in quibus omnia, quæ hac in causa sub Gregorio IX. facta erant, exponit, additque: Magnæ offensioni, sanctæque Sedi perpetuo dedecori foret, si ea jubente tolerarentur, immo Judæorum Magistris restituerentur libri aliis in apographis præsente Universitate, Clero, ac populo Parisiensi tam juste tamque solenniter combusti. Hæc indulgentia esse quædam approbatio videretur. Nam ut S. Hieronymus ait, nulla doctrina tam falsa est, ut nihil veri contineat: & tamen hæreticorum libri ex authoritate conciliorum condemnati sunt, quamvis boni aliquid complecterentur. Petii a Judæorum Doctoribus, ut Talmudem cæterosque libros suos omnes mihi ostenderent: sed tantum quinque maligna volumina mihi attulere, quæ vestro jussu solicite discutienda curavi.

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

Echard. p. 592.

p. 596.

Denique Legatus 15 Maji an. 1248 coram Doctoribus consulto accersitis sententiam tulit decretoriam his conceptam verbis:

p. 597.

Sæcul. XIII A. C. 1248

verbis: Postquam Galliæ Judæi jubente Papa certos libros Talmudis nomine comprehensos nobis exhibuerant, hos tam ipsi perscrutati sumus, quam a viris doctis probisque excuti curavimus, & innumeros errores, blasphemias, ac res abominandas illis inesse vidimus. Igitur eosdem haud tolerandos nec Judæis reddendos esse statuimus, sed juridico ritu condemnamus. Libros reliquos vel nobis a Judæorum Doctoribus quamquam sæpius admonitis minime monstratos, vel non disquisitos in loco ac tempore cognoscemus amplius, & quod æquum erit, pronunciabimus. Tum nominatim scripti sunt ii, quorum sententias Legatus ad ferendum hoc judicium rogarat, & qui sigilla sua apposuere; scilicet Guilielmus Episcopus Parisiensis, Ascelinus Abbas ad S. Victoris, Radulphus ejus antecessor, & quadraginta alii tum Regulares tum Religiosis legibus soluti Theologiæ aut Canonici Juris Doctores, vel sacrorum Senatuum officiis præfecti.

p. 574.

Ad Talmudis examen adhibiti sunt Catholici duo interpretes Hebraicæ linguæ peritissimi, qui locos excerpendos latine reddebant, nunc verbis, nunc sensui adhærentes. E modo, quo voces hebraicas litteris latinis exprimunt apparet, Judæorum pronunciationem diversam fuisse ab hodierna. Invenio etiam in Mat-

p. 618.

thæo

thæo Paride Doctorem quendam nomine Robertum Aruntinensem Hebraici sermonis scientissimum, e quo libros plures in latinum fideliter converterat, anno 1246 mortuum. Hinc constat, hoc studium inter Christianos haud prorsus neglectum fuisse. Sæcul. XIII. A.C. 1248.

§. VII.

S. Ludovicus Terram sanctam petit.

Dies Veneris post Pentecosten duodecima Junii erat, qua S. Ludovicus an. 1248 ad Terram sanctam abiit. Illa die comitantibus se fratribus suis Roberto Artesiæ, & Carolo Andegaviæ Comitibus Dionysiopolim profectus, ibi e manu Legati Odonis Castro-Rodulphini flammeum Abbatiæ vexillum, crumenam Zonariam, & baculum longiorem peregrinantis signa accepit; tum S. Benedicti familiam in senaculo valere jussit. Parisios reversum plura in supplicationem instructo ordine procedentium agmina usque ad Abbatiam S. Antonii comitabantur: unde in viam se dedit cum Legato, duobus fratribus suis, & magno Episcoporum Procerumque numero. Alphonsus Pictavii Comes, tertius Regis frater crucem & ipse quidem induerat; sed hoc anno etiamnum in Francia cum

Chr. S. Dion. to. 2 Spicil. p. 815 Du Cange dissert. 15. & 18. sur Joinv. Gesta Duchesne p. 346.

Sæcul. XIII. A. C. 1248.

Regina Blanca matre ſua Regni cuſtodiam agendi cauſa manebat: Regina Margarita Regem conjugem ſuum in itinere ſequebatur. Ab eo tempore S. Ludovicus magnam in veſtibus ſuis modeſtiam coluit. Abdicavit colores ſplendidos, textaque ac vellera pretioſa ut muſtelarum ac murium Ponticorum: non coccineo, non viridi, ſed atro vel cæruleo panno e villis caprinis contexto tegebatur: nec inauratis calcaribus aut frenis equorum utebatur amplius; ſed & horum ſellis ornatus aberat. Et quia pauperes Regii veſtiarii reliquias obtinere conſueverant, ſuarum largitionum Præfecto certam pecuniæ ſummam deſignavit, qua hæc earum diminutio compenſaretur, cum modeſtiam ſuam illis damnum creare nollet.

Joinville hiſt. p. 118.

Mat. Par. p. 650.

Per Burgundiam Lugdunum delatus inviſit Papam, &, ut Friderico infauſtis rerum eventibus depreſſo ac veniam petenti benevolas præberet aures, efflictim orabat. Paterna proin benignitate illum recipe, addebat, ut me in itinere meo ſecuriorem reddas, ſi aliud nihil te moveat. Sed in Papæ vultu repulſam legens, recedebat mœſtus, &, Vereor, ajebat, ne duritia tua Galliæ incurſus hoſtium accerſat. Si bellum ſacrum retardabitur, in culpa eris: ego regnum meum ut pupillam oculi defendam, quia ab ejus ſalute

pendet

pendet tua & totius orbis Christiani sa- Sæcul.XIII.
lus. Papa reposuit: Franciam, dum vi- A.C.1248.
vam, tuebor a Friderico schismatico, ab
Angliæ Rege beneficiario cliente meo,
& a reliquis omnibus inimicis suis. Tum
Rex paulo placatior, Quando sic spondes,
inquiebat, Regnum meum tuæ curæ re-
linquo. Et vero Papa ob id solum duos
in Angliam Nuncios misit, ne quem lo-
cum Galliæ proprium Rex Henricus in-
vaderet, prohibituros.

S. Ludovicus etiam flagitavit, ut Ray- *Guil. Pod. Laur. c. 47. Sup. lib. 78. §. 53. Raynald. an. 1247. n. 44. Catel. comtes p. 316. M. Par. p. 650.*
mundo Tolosæ Comiti per Papam liceret
sui patris Raymundi senioris anno 1222
mortui ossa in cœmeterio sepelire. An-
no 1247 Raymundus junior a Papa man-
datum impetraverat, ut Guilielmus Epis-
copus Lutevanus inquireret, qualem Ray-
mundus senior vitæ finem fecisset? Pa-
pa tamen sive ob rem sibi non satis pro-
batam sive alia de causa non permiserat,
ut ejus ossa humarentur: atque ita Ec-
clesiastica sepultura caruerant. Rex, an-
tequam a Papa discederet, sacram ei con-
fessionem fecit, cum ad eam sumpto spa-
tio se præparasset: & absolutus accepta
fausta ejus precatione iter suum perse-
quebatur.

Oppugnavit cepitque in transitu ca- *Gesta. p. 346. G. Pod. Laur. c. 48.*
strum ad Rhodanum situm, cui nomen
Rupes Gluvii erat, & cujus Dominus Ro-
gerius Cloregius prætereuntes, etiam ad

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

Terram ſanctam peregrinantes redemptionis lege vexabat. Cum Rex Avenionem adveniſſet, Galli incolis inſultantes eos vocabant Albigenſes, proditores ac veneficos. Qui angustis in viis illorum alios ſpoliabant, alios occidebant. Quidam Proceres ſuadebant Regi, ut urbem obſideret, aut hoc ipſis permitteret, mortem ſui patris vindicandi cauſa, cui venenum ibi præbitum eſſet. Scilicet hanc in ſuſpicionem Avenionenſes ceciderant. Rex, Non mei parentis, ajebat, nec meas, ſed Chriſti injurias ultum eo. Mare trajiciendi tempus inſtat: non patiamur nos a dæmone decipi obſtacula nobis ponere cupiente. Et inſiſtens itineri Aquas Mortuas attigit, ubi poſtridie feſtum S. Bartholomæi die Martis 25 Auguſti ſarcinas navibus imponi juſſit, ventoque per ſequens biduum expectato, die Veneris 28 ejusdem menſis vela fecit. Fuitque navigatio tam propſpera, ut ex propoſito ad Cyprum die Jovis ante feſtum S. Matthæi 17 Septembris advectus, portum Limeſſonicum teneret.

M. Par.

V. Sup. lib. 79. §. 29.

§. VIII.

Guilielmus coronatus Romanorum Rex.

Poſtquam Guilielmus Batavus in Romanorum Regem electus fuerat, Aquis-

quisgrani ex more coronari volebat: sed Conradus Imperatoris filius eum urbis aditu prohibuit. Legatus Octavianus, Conradus Hochstadius Archiepiscopus Colonienſis, aliique Germaniæ Proceres Conradum amice hortabantur, ne malas patris sui partes sequeretur, si ejus calamitate implicari nollet. Sed reposuit: Proditores vobis similes nunquam efficient, ut omittam, quod patri debeo. Igitur Aquisgranum a Guilielmi partibus oppugnatum, cruentumque in regione bellum accensum est. Colonia, Moguntia, & Argentina Guilielmo favebant: Metæ, Wormatia, Spira, cæteræque Rhenanæ, Sueviæ & Bavariæ urbes a Friderico stabant. Sed Guilielmi partibus accessiones quotidianas faciebant Fratrum Prædicatorum Minorumque conciones ac pecuniæ a Papa missæ. Qui etiam orante Principe Cardinalem Capocium alterum in Germania Legatum suum jussit Frisones belli in Terra sancta gerendi voto exsolvere, si sub ejus signis militarent. Aquisgrani obsidio diuturna fuit: sed tandem interna fame ac externa vi hostium indies auctorum se dedere coactum est; ibique Regi Guilielmo festo Omnium Sanctorum die 1248 Archiepiscopus Colonienſis in præsentia duorum Cardinalium coronam imposuit.

Sæcul. XIII. A. C. 1248.

Matth. Par. p. 644.

Sup. lib. 82. §. 51.

Frag. ap. Urst. p. 92.

Raynald. 1248. *n.* 13.

M. Par. p. 649. 651.

Siffrid. p. 696.

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

§. IX.

S. Ferdinandus Hiſpalim capit.

Chron c. 17. ap. Boll. 30. Maji. to. 18. p. 350. Annal. de Sevilla lib. 1. Madrid. 1677.

In Hiſpania Ferdinandus Rex contra Mauros progreſſus ſuos bellicos urgens ſedecim menſes Hiſpalim Andaluſiæ caput obſidebat, donec eam caperet, non abeundi voto ſuſcepto. Illius caſtra erant ſimilia magnæ urbi bonis legibus inſtitutæ, ubi quælibet ars plateam ſuam, commeatus peculiaria ſibi fora, milites cum uxoribus ac liberis ſuis fixam habitationem habebant. Obſeſſi premente neceſſitate ad pactiones deſcendere cupiebant, & multis conditionibus a Rege recuſatis conſenſerunt in deſerendam urbem & in adeunda loca alia. Id denique ſolum petebant, ut ſibi liceret delubrum primarium, vel ſaltem ejus turrim (unde preces annunciabantur) deſtruere, quia hæc ædificia ad uſum Chriſtianæ religionis adhibitum iri prævidebant. Rex filii ſui Alphonſi arbitrio rem permiſit, qui ne tegulam quidem inde demi voluit. Tandem die S. Clementi ſacra 23 Novembris an. 1248 urbs victori relicta eſt, poſtquam quingentos triginta quatuor annos in Muſulmannorum poteſtate fuerat. Egreſſi trecenties mille numero tum in Africam, tum in Regnum Granatenſe, cæterasque terras, quas adhuc in Hiſpania tenebant, ſe receperunt.

Rex

Rex Ferdinandus Hiſpalim non niſi poſt menſis ſpatium nempe 22 Decembris translationi S. Iſidori ejusdem urbis Epiſcopi ſacro intravit. Ab Epiſcopis & Clero obviam inſtructo ordine procedentibus exceptus, templum SS. Virginis adiit, ubi divinum ſacrificium peregit Guterius electus Archiepiſcopus Toletanus. Rodericus Chimeneſius per hiſtoriam ſuam clariſſimus anno præterito 1247 Lugduno, ubi Papam inviſerat, redux 10 Junii rebus humanis ereptus erat. Joannes Uxamenſis primum, deinde Burgenſis Epiſcopus tunc ad ſedem Toletanam translatus eam vix ſupra annum tenuerat: & in ejus ſucceſſorem electus fuerat Guterius ejusdem Eccleſiæ Canonicus, qui anno 1250 diem obiit. Ut metropolitana ſedes cum Canonicorum Collegio & dignitatibus Hiſpali reſtitueretur, ante omnia curavit Ferdinandus, magnisque illam Eccleſiam bonis dotavit, ut a Papa per litteras eodem anno de proſpero totius belli ſucceſſu datas monitus fuerat. Effecit quidem, ut quartus filius ſuus Philippus in Hiſpalenſem Archiepiſcopum eligeretur: ſed hic Princeps ſolum adminiſtratoris titulum ſibi ſumpſit, & poſtea ceſſit jure ſuo, quin etiam conjugem duxit. Primus Hiſpalis a Chriſtianis receptæ Archiepiſcopus fuit Raymundus antea Epiſcopus Sego-

Sæcul. XIII. A. C. 1248.

Indic. Avrag. p. 87.

ap. Rayn. n. 47.

Sæcul. XIII. A.C. 1248.

Segovienſis, ac Regis Ferdinandi Cancellarius, qui ante Philippi abdicationem tanquam ejus vicarius aut Suffraganeus Eccleſiæ Hiſpalenſi deſervierat.

§. X.

Concilium Valentinum.

Quamvis Imperator Fridericus in Apulia eſſet, Papa Innocentius metuebat, ne trajectis ille alpibus Lugdunum peteret; ut conſtat ex decretis Concilii Valentiæ ad Rhodanum habiti ſabbato poſt feſtum S. Andreæ, nimirum 5 Decembris an. 1248. Duo Cardinales ei præſidebant, ſcilicet Petrus Epiſcopus Albanenſis, & Hugo Presbyter tit. S. Sabinæ: Papæque juſſu eidem intererant quatuor Archiepiſcopi, Narbonenſis, Viennenſis, Arelatenſis, & Aquenſis; ac quindecim Epiſcopi, Biterrenſis, Agathenſis, Uzetienſis, Nemauſenſis, Lutevanus, Aginenſis, Vivarienſis, Maſſilienſis, Foro-Julienſis, Cabellionenſis, Carpentoractenſis, Avenionenſis, Vaſionenſis, Dienſis, ac Tricaſtrenſis. Edebantur ibi tres ac viginti canones, ut veteres executioni darentur, ad conſervandam fidem, pacemque ac libertatem Eccleſiaſticam pertinentes. En ea, quæ inibi memoratu digniora mihi videntur! Secundum decreta conciliorum (inter alia inſpici pot-

Sup. lib. 79. §. 58. to. 28. p. 433.

eſt

est Toloſanum anni 1229) Catholici omnes tertio quovis anno juramentum pacis repetent. Eodem jurejurando ſe nunc adſtringent, ut Friderico ſchiſmatico & pacis turbatori nullum ferant auxilium, atque, ſi forſitan ipſe vel ejus partium quisquam has in provincias venerit, illi tectum & obedientiam denegent. Tum iteratur anathema contra ipſum, fautores ejus, & omnes, qui ad eundem provocavere, aut provocabunt: & illi declarantur infames, nec idonei ad teſtimonium, aliumve actum legitimum.

Sæcul. XIII. A C. 1248.

c. 2.

c. 22. 23.

Ut perjuria tam crebra reprimantur, Epiſcopi ea pœnis per canones ſtatutis ſtrictiſſime vindicabunt. Qui ſententias Inquiſitorum non executi fuerint, tanquam hæreticorum fautores tractabuntur. Qui cruces, quas ut ejuratæ hæreſis ſigna ſupra veſtes ſuas gerere debent, temere depoſuerint, pro hæreticis habebuntur. Ut comperimus, inquit Concilium, quidam contra illos, a quibus proſcribuntur, aut proſcripti denunciantur, conſtitutiones faciunt; id quod pene hæreticum eſt, cum per contemptum clavium Eccleſiæ fiat. Quamobrem ſtatuimus, ut ii, qui tales ſanctiones ediderint, hanc ipſam quoque ob cauſam ab Eccleſiæ corpore ſejungantur, &, ubicunque morabuntur, ab officio divino ceſſetur. Num vero ſperari poterat, ſecundæ cenſuræ majorem

c. 6. 7. 8.

c. 9.

c. 13.

c. 15.

Sæcul. XIII. A. C. 1248.

majorem quam primæ rationem habitum iri? Hoc Concilium etiam conjurationes ac ſocietates prohibet, ac fœdus contra Clerum a Franciæ Proceribus anno præterito conflatum reſpicere videtur.

c. 20. *Sup. lib.* 82. §. 48.

§. XI.

S. Ludovicus in Cypro.

Rayn. 1247. *n.* 55. *Geſta. Duchesne p.* 347.

Interim S. Ludovicus in Cypro ab inſulæ Rege Henrico Liciniacenſi exceptus erat, cui Papa Innocentius etiam Regnum Hieroſolymitanum detulerat, id pro viduo habens ob condemnatos Fridericum & Conradum hujus filium. Quia Franciæ triremes ac navigia, baliſtarii & reliqua Gallorum pars nondum advenerant, Ludovicus de conſilio ſuorum & Cypri Procerum hyemem ibi agere ſtatuit, cum Ægyptum in tempore adire haud poſſet. Decreverat enim, Ægypto bellum inferre, ut Sultanum Terræ ſanctæ poſſeſſorem in ipſius regione invaderet, ſicut annos abhinc triginta factum erat. Henricus cum Regni Præſulibus ac toto pene Nobilium Ordine crucem induit, & anni futuri Paſcha ad abitum univerſi exercitus deſtinatum eſt. Ludovicus per id tempus, quo in Cypro commorabatur, compoſuit multas controverſias inter Proceres cruce ſignatos, quos continere difficile ſemper fuit, cum alteri

Sup. lib. 78. §. 15.

ex

ex alteris non penderent, ac Regibus suis parum obtemperarent. Latinus Nicosiæ, quæ insulæ caput erat, Archiepiscopus a quibusdam Regni Nobilibus dissidebat; quapropter fere omnes a piorum cœtu secluserat: Legatus Odo Castro-Rodulphinus partes reconciliando fecit, ut Nobiles absolverentur. Archiepiscopus Græcus ex insula dudum relegatus fuerat tanquam schismaticus & Archiepiscopo Latino inobsequens: sed tunc reversus ei se submisit cum Græcis reliquis ab Ecclesiæ communione repulsis. Legatus eos anathemate solvit, & coram illo errores quosdam abjurarunt. Sæcul XIII. A.C.1248.

Erant in Cypro Sarraceni captivi, quorum multi baptismum vehementer petebant, quanquam edocti erant, non ideo se liberos fore. Legatus quinquaginta septem fidei mysteriis imbuit, hoc est, catechumenos fecit die festo Epiphaniæ 6 Januarii, & postquam triginta sacro fonte lustraverat, Græcis instructo agmine procedentibus ad certum fluvium se contulit, ubi in præsentia utriusque Regis unum Deum, unam fidem, unum baptisma esse, atque se hanc ceremoniam in memoriam Christi a Joanne simili die in Jordane abluti facere agnoscebant. Intingentes crucem in aquam hæc dicebant verba: Pater est lumen, Filius lumen, Spiritus Sanctus lumen. Fundebant

To.7. Spicil. p. 223.

Sæcul. XIII. A.C. 1249

bant ibi preces pro Papa, non item pro Imperatore Vatacio, quoniam hunc ille sacro fulmine perculerat. Hæc Legatus ipse in aliqua ad Papam epistola refert.

§. XII.

Tartarorum ad S. Ludovicum legatio.

p. 215. Ut idem Legatus iisdem in litteris memorat, die lunæ post festum S. Luciæ nempe 14 Decembris an. 1248 in Cyprum advenerunt Legati cujusdam Tartarorum Regis, & Nicosiam delati S. Ludovico tradidere epistolam Domini sui Ercalthai sermone Persico ac litteris Arabicis scriptam, in qua, cum eum inter exquisitam verborum lautitiam tumido gentium ad Ortum habitantium stylo salutasset, dicebat: Oro Deum, ut Regum Christianorum copiis victoriam ac triumphum de inimicis crucis tribuat. Et postea: Volumus, ut omnes Christiani sint liberi, ac de suis bonis securi, templa diruta reædificent, & in quiete pro nobis preces ad Cœlum mittant. Kiocai Rex terræ præcipit, ut in divina lege inter Latinum, Græcum, Armenum, Nestorianum, Jacobitam & cunctos, qui crucem adorant, nulla sit differentia: omnes sunt apud nos iidem, atque ut omnibus æque faveatis, cupimus. Epistola duobus

Duchesne p. 348. *Matth. Additam. p.*

bus Legatis Davidi & Marco fidem faciebat. Ille, qui Kiocai dicitur, est Cajuc-Can, & Ercalthai suo duntaxat nomine loquitur. Sæcul.XIII. A.C.1249.

Cum S. Ludovicus has litteras acciperet, adstabat ei quidam Frater Prædicator Andreas Longogeminus nomine, qui Davidem priorem ex his Legatis noverat, quoniam eum viderat in exercitu Tartarorum, cum inter hos ageret a Papa cum sociis missus. Rex epistolam Tartari ab Andrea latine redditam in Galliam ad Reginam Blancam deferri voluit. Paulo ante Rex Cypri & Comes Joppes S. Ludovico præbuerant litteras a summo Armenicæ militiæ Præfecto ad se ambos datas. In itinere ad Canum Tartarorum eas scripserat hunc in modum: Per octo jam menses diu noctuque progressi, nondum dimidiam, ut audimus, viam ad locum, in quo Canus est, confecimus. Tum de regione, quam Tangath nominat, loquens: Inde tres Reges Bethlehemium venerunt; ac regionis incolæ sunt Christiani. Intravi eorum templa, & in imagine illos JESU Christo munera sua offerentes vidi. Illorum beneficio factum, ut Canus una cum suis omnibus Christianam nuper fidem amplecteretur. Habent ante suas fores Ecclesias, ac æra campana pulsant, ita, ut, quicunque Canum adit, seu Sarracenus sit, seu Chri-

p. 347.

p. 348.

Spicil. p. 217

Sæcul. XIII. A. C. 1249.

ſtianus, velit, nolit, prius ingredi templum, & Chriſtum venerari debeat.

Invenimus etiam multos Chriſtianos ad Ortum diſperſos, & pulchras haud parvo numero Eccleſias veteres a Turcis deſtructas: quam illi injuriam Cani hodierni avo conqueſti ſunt. Is magno exceptos honore in libertatem aſſeruit, vetansque, nequis eisdem ægre faceret, Sarracenos in ruborem dedit. At his Chriſtianis ſacri Oratores, a quibus informentur, deſunt, culpa non levi cadente in eos, quibus hoc curandum. In India, quam Apoſtolus S. Thomas Chriſto adjunxit, quidam Rex Chriſtianus a Regibus Sarracenis vicinis ſuis antehac multa perpeſſus, advenientium Tartarorum, quorum in clientelam ſe tradidit, auxilio tantos fecit progreſſus, ut omnes ad Ortum plagæ Indicis mancipiis affluant. Supra quinquagies mille conſpexi, quæ Rex venum mittebat. Huic exercitus Armenici Præfecto credi poſſunt ad ſummum ea, quæ vidiſſe ſe ſcribit. Sed quod de Tartarorum Cano ad ſanam religionem adducto audierat, falſum eſſe conſtat ex iis, quæ tum retuli hactenus, tum deinceps narrabo. Nihilominus idem perhibebant Ercalthaji Nuncii, quos ſe dicebant.

Sup. Lib. 82. §. 55. 56. *&c.*

S. Ludovicus acceptis litteris, quas attulerant, in præſentia Legati, quorundam

dam Præſulum & conſilii ſui, Quomodo adventum meum, inquiebat, cognovit Dominus veſter? Unde venerunt Tartari & quo fine? Quam regionem nunc incolunt? Num Rex eorum magnum habet exercitum? Qua ex occaſione noſtram amplexus eſt fidem? Quot ætatis annos numerat? An multi alii baptismate una cum illo reſperſi ſunt? Easdem quæſtiones de Ercalthajo movebat. Rogabat inſuper, cur Bachon (Bajothnojum intelligo) Papæ Nuncios tam aſpere excepiſſet; an Sultanus Moſuliæ Chriſtianus eſſet; denique, quam Nuncii patriam haberent, & quamdiu veram colerent Religionem? Sæcul.XIII. A.C 1249.

Sultanus Moſuliæ, reponebant, ad Canum epiſtolam miſit, quam a Sultano Ægyptio receperat, & in qua iſte de tuo adventu loquebatur, ſe ſexaginta tuarum navium captas in Ægyptum duxiſſe falſo perhibens, ne Sultanus Moſuliæ fiduciam in te poneret. Hac occaſione Ercalthai te adveniſſe comperit, & nos ad te miſit edocendum, Tartaros obſidendo æſtate proxima Bagdetiæ Califæ intentos eſſe, orandumque, ut Ægyptum invadas, ne quod ſubſidium inde trahere Califa poſſet. Poſtquam de Tartarorum origine, ac vivendi modo reſponderant, addebant: Kiocai hodie regnans matrem habuit Chriſtianam Presbyteri Joannis filiam:

Sæcul XIII. A.C.1249.

qua cum Malaſſia ſancto Epiſcopo ſtimulante die Epiphaniæ primis Chriſtianorum ſacris initiatus eſt una cum octodecim filiis Regum ac multis militum ductoribus. Multi tamen luſtrali fonte necdum loti ſunt. Ercalthai, qui nos miſit, annis jam pluribus eſt Chriſtianus; & quamvis e ſtirpe Regia ortum non duxerit, potentia tamen valens, modo in vicinia Perſiæ ad Orientem habitat. Bachon ethnicus eſt, ac Saracenorum conſiliis utitur: idcirco Papæ Nuncios male accepit; ſed acciſis viribus nunc ab Ercalthajo pendet. Sultanus Moſuliæ eſt matronæ Chriſtianæ filius, Chriſtianos ex animo diligit, feſtos eorum dies obſervat, Mahometis legem nequaquam ſequitur, atque ſi ferret occaſio, libenter Chriſtianus fieret. Ad nos quod attinet, ex urbe ſumus, quæ bidui itinere Moſulia diſtat, & Chriſtianam fidem e Majoribus noſtris hauſimus. Papæ nomen nunc eſt celebre inter Tartaros: & Ercalthai Dominus noſter hac æſtate Bagdetiæ Califam adoriri cogitat, injuriamque JESU Chriſto per Coresmianos factam ulciſci. Talis erat Legatorum reſponſio.

Spicil. p. 222 *Duch. p. 350.* *Joinville p. 25.*

A Rege abeundi veniam 25 Jan. 1249 adepti, poſt biduum Nicoſiam reliquerunt comitantibus ſe tribus Fratribus Prædicatoribus Andrea, Joanne, ac Guilielmo,

lielmo, quos ille ad Tartarorum Regem mittebat cum cruce de ligno veræ crucis confecta, cum coccineo tabernaculo Chriſti vitam per opus Phrygium exhibente, aliisque cum donis, quæ Principem curioſum ad religionem allicerent. Eodem fine Cano & Ercalthajo ſcripſit: ac Legatus eos ad agnoſcendum Eccleſiæ Romanæ principatum, Papæque authoritatem, Præſules vero Principibus illis obnoxios ad concordiam primorumque conciliorum fidem conſervandam per epiſtolas eſt exhortatus. Sæcul. XIII. A.C. 1249.

§. XIII.

Joannes Parmenſis Pontificius in Græcia Legatus.

Laurentius Ordinis Fratrum Minorum expiationum Præfectus, ac Legatus ad Ortum Pontificius abhinc biennio nunciaverat, ſe opportunam viam ad reddendos Eccleſiæ Græcos, atque Imperatoris Joannis Vatacii & Patriarchæ Manuelis Caritopuli animos ad id negotium bene comparatos cernere. Igitur Papa Innocentius an. 1249 Joannem Parmenſem Generalem Ordinis Miniſtrum ad eos miſit tanquam Legatum ſuum. Qui Nicæam delatus apud Imperatorem, Patriarcham, Clerum, ac populum tantam exiſtimationem ac reverentiam ſibi conciliavit. *Sup. lib. 82. §. 61. S. Ant. 3. part. tit. 24. §. 5. Vading. ad 1249. Boll. 9. Mart. to. 3. p. 60.*

Sæcul. XIII. A.C. 1249

ciliavit, ut antiquorum Patrum quendam & verum Christi discipulum in eo conspicere sibi viderentur. Etiam socii ejus optimo morum exemplo Græcis erant; inter alios Frater Gerardus, qui donum vaticinationis habuisse dicitur. Joannes Parmensis rem tam strenue gessit, ut Imperator & Patriarcha Nuncios ad Papam Innocentium mitterent. Sed in via expilati subsistere cogebantur, ac deinde ad Dominos redire suos, cum ob temporum difficultatem ad Papam advenire haud possent. Demum summi Pontificis & Imperatoris Græci obitus suscepta reconciliationis consilia fregit. At Joannes Parmensis pluribus annis ante illorum mortem revenerat, & a fine anni 1251 apud Papam erat.

§. XIV.

Nicephori Blemmydæ constantia.

Gregoras p. 26. Matth. Par. p. 562. Cang. famil. Byz. p. 223.

Imperator Joannes Vatacius extincta prima uxore sua Irene Lascaride, anno 1244 duxit Annam Cæsaris Friderici filiam spuriam, Manfredi sororem. Erat in ætatis flore, ac inter alias fœminas eam secuta fuerat quædam Marcesina nomine, quæ apud illam moderatricis tenebat locum. Hæc per elegantiam formæ ac subdolas artes suas Imperatorem ita fascinare sciebat, ut ipsam impotenti

tenti amore deperiens ſandaliis purpureis, cæterisque Imperatoriæ conjugis notis donaret; ſola ut cor Principis, ſic authoritatem in aula teneret, ac juvenem Dominam ſuam præ ſe deprimeret. Sæcul.XIII. A. C. 1249.

Quodam die Marceſina tam curioſitatis quam pietatis cauſa monaſterium adiit, quod Nicephorus Blemmydas vir doctrina ſimul ac probitate ſpectabilis in honorem S. Gregorii Thaumaturgi eo loco, qui Emathia vocabatur, condiderat, & factus Abbas regebat. Illuc Marceſina cum numeroſo comitatu, & magnifica pompa venit, Imperatricis decora, quæ gerebat, oſtentans. Sed, antequam veſtibulum intraret, Nicephorus templi portam intus occludi juſſit, haud permittendum ratus, ut mulier tam indigna, in quam & viva voce & ſcripto libere invectus eſſet, hunc ſanctum locum præſentia ſua profanaret, præſertim inter divinum (quod tunc fiebat) ſacrificium.

Marceſina ſe graviſſime offenſam reputans, furioſa exarſit ira, cui aulici adulatores oleum affundebant. Itaque ad Imperatorem reverſa, injuriam ſibi factam expoſuit, atque in ipſum recidere affirmavit, ad vindictam eum, quantum poterat, ſtimulans, Aulicis, qui tempori ſerviebant, mirifice aſſentientibus. At Imperator ob peſſimi exempli vitam cum Marceſina actam jam diu ſe acerbiſſime

Sæcul. XIII. A.C. 1249.

pungi ſentiens expectabat, dum divina gratia ipſum per pœnitentiam tam miſerabili e ſtatu extraheret. Quapropter Aulicis, ut ignominiam Marceſinæ impoſitam ulciſceretur, inſtantibus, in lachrymas ſolutus ducto e viſceribus imis ſuſpirio, Cur me urgetis, ajebat, ut hominem juſtum puniam? Si ſine probro ac dedecore vivere voluiſſem, Imperatoria mihi dignitas conſervanda fuiſſet integra. Nunc, cum me ac Imperium infamia cumulaverim, æquum eſt, ut patiar pœnam, & amaros ſcelerum fructus colligam.

Nicephorus Blemmydas Imperatoris animum ſic comparatum eſſe probabiliter ignorans, ſed quid ex Aulæ moribus conſtantiam ſuam maneret, videns, publice propugnandam cenſuit cauſam ſuam, & epiſtolam circummiſit, in qua expoſito facto & exaggerata Marceſinæ inſolentia aſſerebat, Eccleſiæ miniſtros ſacras leges invicta fortitudine obſervare, noxia verecundia non impediri, nec metu aut ſpe præterquam æterni ſupplicii vel præmii tangi debere.

ap. Allat. de Conſ. p. 717. not. ad G. Acrop. p. 254.

§. XV.

Friderici ærumnæ.

M. Par. p. 662.

Cæſari Friderico in Apuliam reverſo, ibique graviter ægrotanti medici purga-

purgationem primum, deinde balneum ſuadebant contra morbum ipſius de induſtria præparandum. Medicus autem, quem Doctor Petrus de Vineis Friderici arcanorum particeps ſecum habebat, medicinam & balneum parare juſſus ex Petri conſilio mortiferum venenum immiſcuit. Inimici Papæ perhibebant, ab eo Petrum donis ac promiſſis ad hoc crimen ſubornatum fuiſſe. Fridericus de occulta conſpiratione monitus, adductum a Petro medicum potumque porrigentem priorem bibere juſſit, poſitis retro cuſtodiis, ne illi aufugere poſſent. Improviſa re perculſus medicus veſtigio falli ſe ſimulavit, & data opera corruens maximam potionis partem effudit. At Cæſar modicam, quæ ſupererat, ſontibus ad mortem condemnatis hauriendam dari voluit, qui protinus interierunt. Medico e furca ſuſpenſo, Petrum de Vineis oculorum uſu privatum, ac per plures Italiæ urbes circumductum Piſanis, qui capitali virum odio habebant, tradidit. Vindictam vero præveniens Petrus caput columnæ, ad quam aſtrictus erat, alliſum fregit. „Per invidiam magnæ authoritatis ſuæ accuſatum proditionis eſſe„ Maleſpinus Florentinus ejus temporis ſcriptor perhibet, qui prudentiam illius & facundiam laudat. Nos hac de re judicare poſſumus ex ejusdem epiſtolis, quas

Sæcul.XIII. A.C.1249.

c. 131.

Sæcul. XIII. A.C. 1249.

magno numero habemus plerasque Cæsaris Friderici nomine scriptas, & corruptum sui sæculi gustum indicantes.

Petr. Vin. lib. 3. ep. 22. 23.

Inter has sunt duæ Friderici ad S. Ludovicum peregre agentem: priorem cognoscendi gratia, quid subesset rumori de ejus classe per tempestatem dispersa, alteram cum commeatu ac equis misit, in qua significat, se ipsum ad bellum sacrum proficisci cupere, sed negotiis sibi a Papa creatis distineri. Mense Majo hujus anni 1249 Henricus Friderici filius spurius Sardiniæ Rex in Bononienses movens per insidias captus, & in carcerem conjectus est, ubi eum ad mortem usque con-

M. Par. p. 665. Malesp. c. 140.

temptis Friderici minis asservarunt. Sub idem tempus alius e filiis ejus haud legitimis in Apulia supremum vitæ diem egit: atque hi casus Petri de Vineis proditioni juncti acerbo illum dolore affecerunt. Denique ipse morbo, quem vocabant ignem sacrum, correptus, & arrogantes spiritus tot adversis rebus fractos sentiens, æquas pacis conditiones Papæ obtulit. At iste recusando multos viros nobiles sibi infensos, Friderico faventes reddidit.

Petr. Vin. lib. 2. ep. 34. M. P.

§. XVI.

S. Ludovicus Pelusii.

Gesta. Duchesne. p. 353

Rex S. Ludovicus, postquam Ægyptum petere, ac Pelusium oppugnare statuerat,

tuerat,

tuerat, in Cypri portu Limeſſonico die Sæcul.XIII.
Aſcenſionis Domini 13 Maji an. 1249 A. C. 1249.
exercitu claſſem conſcendere juſſo per
tempus aliquod contrariis ventis retarda- *M. Par. additam.*
tus die Veneris poſt feſtum SS. Trinitatis *p.* 1090.
4 Junii ante Peluſium advenit. Quo vi-
ſo Rex Proceres omnes ad ſe congrega-
tos his animabat verbis: Amici mei! in-
ſuperabiles erimus, ſi nos charitas ita
conjungat, ut ſeparari non poſſimus. Di-
vinæ providentiæ opus eſt, quod inopi-
nato huc adveniamus. Naves appella-
mus ſtrenue, quantiscunque conatibus
nobis obſiſtant hoſtes! Nec me ſpectate!
Vos Rex ac Eccleſia eſtis. Unicus ho-
mo ſum, cui ſicut alii vitam Deus, cum
volet, flatu auferet. Quilibet eventus
nobis eſt favorabilis. Si occumbimus,
Martyres ſumus. Si vincimus, Deo in
gloriam, Franciæ totique urbi Chriſtia-
no in augmentum nominis cedet. In-
eptia foret cogitare, a Deo omnia præ-
vidente me fruſtra huc eſſe miſſum. Mo-
litur magnum aliquid: pugnemus pro eo,
& triumphabit pro nobis, non pro noſtra
ſed ſua gloria. Ludovicus tunc trigeſi- *Joinv. p.* 43.
mum quintum ætatis annum agebat. E-
rat ſtaturæ ad dignitatem tam appoſitæ,
ut humerorum tenus ſupra cæteros emi-
neret. Præcipue in armis auguſtam cor-
poris ſpeciem habebat, manſuetam ta-
men & amicam faciem, capillos fla-
vos,

Sæcul. XIII. A C. 1249.

vos, barbam raſam pro more temporis.

Statuta eſt exſcenſio. Sed quia mare ad hoc littus profundum non eſt, relictis navibus altis triremes ac lembos intrare oportuit. Legatus cum cruce ſub dio eandem cum Rege cymbam occupabat, quam præibat alia flammeum Galliæ vexillum portans. Et cum ne plana quidem hæc ad navigia terræ admovenda ſatis aquarum eſſet, Chriſtianus exercitus ac Rex omnium primus in mare deſiluit totus armatus, & ſupra lumbos in aqua proceſſit, quamvis hoſtes e littore ingentem telorum vim continenter injicerent accedentibus. Enimvero ad fugam compulſi ipſum noctu Peluſium deferebant; cujus vacuam in poſſeſſionem ſequente die Dominica 6 Junii venerunt Chriſtiani. Legatus, Hieroſolymitanus Patriarcha, præſentes Epiſcopi, numeroſus Clerus, Rex S. Ludovicus plurimique alii ſupplicantium ritu ac ordine nudis pedibus urbem intrabant ſpectante Cypri Rege, Procerumque & aliorum hominum numero. Initium Legatus duxit a reconciliatione delubri, quod abhinc annos triginta, cum Chriſtiani cepiſſent urbem, SS. Virgini dedicatum fuerat. Hujus in honorem ille ſacrificium divinum auguſtioribus ceremoniis peregit: atque Rex Peluſii, ut alias fecerat, Epiſcopum

Sup. Lib. 78. §. 29.

pum cum Canonicis inſtituere in animum induxit. Inter inundationem Nili, quæ inſtabat, æſtatem ibi agere decrevit, ac deinde Cairum primariam regni urbem petere. Dum Peluſii morabatur, Cathedralem ejus Eccleſiam magnis intra extraque mænia proventibus dotavit ac prædiis beneficiariis pro decem Equitibus. Tabulas publicas dedit menſe Novembri hujus anni. Sed tertio poſt anno 1252 ethnicis in urbe dominantibus Rex etiamnum in Palæſtina commorans Epiſcopo ſpoliato ducentarum librarum Pariſienſium penſionem ſuo ex ærario exſolvendam in vitam attribuit.

Sæcul.XIII. A. C. 1249.

Baluz. Miſcell.to.4. p.491.495.

§. XVII.

Mors Raymundi ultimi Comitis Toloſani.

Alphonſus Pictavii Comes Regis frater in Francia relictus ad ſubſidium ei adducendum ſe interim parabat. Sub feſtum S. Joannis diem hoc anno 1249 iter ingreſſus Aquas-mortuas petiit cum Joanna conjuge ſua, cujus pater Raymundus Comes Toloſanus ibi eos inviſit. Poſtridie feſtum S. Bartholomæi 26 Auguſti Alphonſus & Joanna ſe commiſere pelago, & die Dominica ante feſtum SS. Simonis & Judæ ſcilicet 24 Octobris Peluſium attigere.

Geſta.p.355

Ante

Sæcul. XIII. A.C. 1249.

Ante aliquod tempus Comes Raymundus Agini octoginta circiter hæreticos ex iis, quos Credentes vocabant, confessos aut convictos comburi jusserat. Relictis Aquis-mortuis Ammilbani Ruteno in agro febri correptus, usque ad vicinum Rutenæ pagum, cui Prisa nomen erat, processit, ubi æger decubuit. Durandus Episcopus Albiæ eum primus convenit, a quo Comes, postquam celebri Eremitæ fratri Guilielmo Albaronio sacram confessionem fecerat, cœlesti epulo communitus est inter luculenta demissi animi signa. Nam cum illud afferretur, e lecto quantumvis fractis viribus obviam iit usque ad dimidium domus, divinamque dapem in genua provolutus accepit. Adierunt eundem quatuor alii Episcopi, nimirum Tolosanus, Aginensis, Cadurcensis, ac Rutenensis, Optimates, Equites multi, & Tolosæ consules. Eo ut veniret, suadebant omnes: at ipse Ammilbanum deferri voluit, ibique testamentum condidit suum, quo apud Reginam Joannam matrem suam Fonte Ebraldi se sepeliri, & male parta omnia restitui jussit, variisque cœnobiis magna legavit bona. Per alias deinde litteras declaravit fixum sibi destinatumque in animo esse, si convalescceret, nuncupatum militiam transmarinam sequendi votum persolvere; si nequiret, hæres suus ad Terram sanctam

Guil. Pod. Laur. c. 48.

Catel. Comt. p. 373.

ctam quinquaginta Equites mitteret u- Sæcul.XIII.
nius anni ſpatio ibi militaturos. Præce- A.C.1249.
pit inſuper, ut pecuniæ, quas per colle- *M. Par.*
ctam ex Eccleſiis partem vigeſimam, ex *p.* 668.
piis legatis & votorum redemptionibus
haberet, Papæ darentur. Hæ litteræ
ſcriptæ ſunt 24 Septembris 1249. & Co-
mes Raymundus extrema unctione ac-
cepta naturæ ceſſit 27 ejusdem menſis
annos quinquaginta natus. In eo extin-
ctum eſt Toloſæ Comitum genus: & Co-
mitatus obtigit Regis fratri Alphonſo Pi-
ctavorum Comiti, qui Joannam unicam
Raymundi filiam matrimonio ſibi con-
junxerat. Interitus potentis hujus pro- *G. Pod.*
ſapiæ videbatur eſſe pœna divina ob hæ- *Laur.*
reſin ab ea protectam.

§. XVIII.

Dies Maſſuræ.

Poſtquam Pictavii Comes Peluſium ad- *Ep. S. Lud.*
venerat, Rex S. Ludovicus 20 No- *Duchesne*
vembris 1249 inde abiit Cairum aggres- *p.* 428.
ſurus, & contra Saracenorum exercitum
in loco, cui Maſſura nomen erat, caſtra
metatum movit. In via comperit Sulta- *M.S.*
num Ægyptium Melic-Salehum Cameli
filium e vita migraſſe: id quod ſecunda
die Saabam an. 647. nempe 11 Novem-
bris 1249 contigerat. Sed illi mortem
Domini ſui celabant, filium ejus Turan-
cham,

Sæcul. XIII. A. C. 1250.

cham, qui in Diarbechia erat, expectantes. Interim regnum administrabant Sejareldora Sultani vidua, & Emir Facareddin copiarum Præfectus. Galli die Martis ante Christi natalem 21 Decembris in conspectum Massuræ venerant: sed accedere nequibant ob canalem e Nilo ductum, ac duos exercitus separantem: hunc nostri fluvium Taneos (a loco sic olim dicto) accolæ Aschmoum appellabant. Quia vadosus non erat, Galli, ut eum trajicerent, struere aggerem cœperunt: at Saraceni fortiter obstantes eorum labores diruebant, & concremabant machinas.

Tandem, cum Baduinus quidam Arabs Gallis vadum monstrasset, genialium dierum postremo 8 Febr. 1250 transmisso flumine obrutorum subito in castris hostium plurimos ipsumque Facardinum necarunt. Robertus Artesiæ Comes contra disertum Regis fratris sui imperium longius progressus Massuram mox invadere volebat. Cum Templariorum Equitum Magister prudentior ac usu rerum exercitatior inhibere illum conaretur, juvenis Princeps ira percitus, En proditio! ajebat, en seditiosus Templariorum & Hospitalariorum spiritus! Est sane, cur dicamus, nos cunctas ad Ortum plagas pridem fuisse subacturos, nisi existimati hi Religiosi per fraudes suas nos impediissent.

M. Par. a 683.

diiſſent. Metuunt, ne dominationem & opes amitterent ſuas, ſi hæc regio Chriſtianis eſſet ſubdita. Ideo fœdus cum Saracenis habent: ideo cruce ſignatos produnt, ferroque ac veneno perimi curant. Nonne Fridericus expertus eſt eorum dolos? Magiſtri Templariorum & Hoſpitalariorum his convitiis laceſſiti cum Arteſiæ Comite Maſſuram, quam apertam invenerant, intrarunt. At Saraceni conſpecta eorum paucitate receptis animis hoc in loco circumventos ita exceperunt, ut plerique caderent, & inter alios Arteſiæ Comes cum multis militarium Ordinum Equitibus. Sæcul.XIII. A.C.1250.

§. XIX.

S. Ludovicus capitur.

Poſt aliquot dies novus Sultanus Maſſuram advenit. Vocabatur Elmelic Moadam Turancha Gajateddin filius Salehi. Tunc promulgato parentis ſui obitu per totam Ægyptum agnitus, ſua præſentia Muſulmannis animos addidit. Contra Chriſtianorum exercitus per morbos & annonæ penuriam indies imminuebatur, quam abſtinentia, cum vernum eſſet jejunium, augebat, ita, ut in caſtris ſuis vitam tolerando impares Peluſium redirent. In via die Martis poſt octavam Paſchatis 5. Aprilis Saracenis omni virium *M. S.* *Joinv. p. 57* *Il. p. 60.*

Sæcul. XIII. A. C. 1250.

rium conatu se invadentibus, quantumvis pauci essent ac debiles, strenue obsistebant. Guido de Castro Porciani Episcopus Suessionensis Martyrii gloriam reditui in patriam præferens, medios in hostes se immisit mox interemptus. Rex S. Ludovicus æger, ut cæteri, parvo equo insidebat inermis, & e cunctis equitibus suis ei solus Godefridus Sergi-nius restabat, qui diu defensum in oppido Charmasac a longiore itinere inhiberi curavit: ubi ille tam male se habuit, ut eo ipso die moriturus esse crederetur. Ingressis illuc hostibus manus dedit cum Gallis præsentibus. Idem postea egerunt duo ejus fratres Alphonsus Pictavii & Carolus Andegaviæ Comites, ac denique quotquot de exercitu supererant: nam numerus cæsorum erat maximus. Legatus per Nilum se Pelusium contulit, ac Reginæ hanc nunciavit cladem.

p. 78.

p. 61.

Sanut. p. 219.

Guil. Guiart. p. 141.

Regem S. Ludovicum Massuram ductum & in ferrea conjectum vincula Arabes per idoneum potum sanitati celeriter restituerunt. Tres menses in carcere detentus Divinum quotidie officium ex more Parisiensi recitabat cum duobus Fratribus Prædicatoribus, quorum alter Sacerdos & linguæ Arabicæ peritus, alter nomine Guilielmus Carnutensis ejus Clericus erat. Officium tam diei quam SS. Virginis, & sacrum integrum sed si-

Guil. Carnut Duchesne p. 468.

ne

ne consecratione dicebant, omnia horis convenientibus, quin etiam præsentibus Saracenis Regis custodibus. Nam capto suus uterque liber scilicet precum horariarum & Liturgiæ sacræ veluti donum allatus fuerat. Admirabantur illi incommoda carceris & ludibria sufferentis patientiam, æqualem animum, & constantiam recusantis ea, quæ iniqua reputabat, dicebantque: Nos te spectamus tanquam captivum & mancipium nostrum; & tu vinculis constrictus nos ut captivos tractas. Duces eorum affirmabant, illum esse hominem ingentis spiritus præ omnibus Christianis, quos vidissent unquam. Joinv. p. 73.

Sæcul. XIII. A.C. 1250.

§. XX.

Pactio pro libertate S. Ludovici.

Aliquot post diebus, quam Rex captus fuerat, Sultanus inducias ei obtulit, inter minas & verba aspera vehementer exigens, ut ipsi mox Pelusium redderet, & compensaret belli sumptus a die, quo Christiani urbem illam occupassent. Rex gnarus, Pelusium defendi non posse, in id consensit. Sed quod spectabat ad loca, quæ Christiani etiamnum in Palæstina tenebant, & quorum restitutio itidem petebatur, reposuit, eam ex se non pendere, cum illa loca diversos ad Proce-

Epist. Duchesne p. 429. 430.

Joinv. p. 66. 67. 68.

Sæcul. XIII. A. C. 1250

res, vel ad Ordinum militarium Equites pertinerent. Sultanus ei minitabatur quoddam tormenti genus, quo homini duo inter ligna vincto crudeliter ossa omnia frangebantur. Ludovicus has minas jacientibus solum respondit, se captivum esse, ac de se, quod vellent, fieri posse. Edoctus, multos Proceres captivos redemptionem suam paciscì, ac solicitus de iis, qui tantum pecuniæ pendendo pares non forent, interdictis peculiaribus his pactis, se pro cunctis soluturum promisit, ac reapse solvit.

Duchesne p. 404.

Joinv.

Sultanus se comminationibus nihil agere videns, ex eo quæri voluit, quantam pecuniæ summam præter Pelusii restitutionem daturus esset? Ille, si Sultanus æquum redemptionis pretium statueret, se Reginam id pendere jussurum dixit. Sultanus millies mille aureos Byzantinos petiit, qui tunc temporis quingenties mille Gallicæ monetæ libras valebant, & hodie dum argenti selibra tantidem æstimatur, quanti triginta libræ Francicæ, quater millies mille libras valerent. Rex se libenter quingenta librarum millia pro suorum liberatione solvere, ac Pelusium, quatenus penes se sit, reddere velle asseruit: at amplioris se dignitatis esse, quam ut pecuniis redimi posset. Quo comperto Sultanus, Mea fide, ajebat, Gallus est magnanimus & libe-

liberalis, cum de tanta ſumma nihil de- Sæcul.XIII.
traxerit. Remitto illi centies mille libras A.C.1250.
de redemptionis pretio: non niſi qua-
dringenties mille dabit. Atque hoc ei
dicite!

Igitur transactum eſt his conditioni- *Ducheſne p.*
bus. Ut inter has duas nationes per de- 430.
cem annos eſſent induciæ. Ut Sultanus
Regem Ludovicum & omnes Chriſtianos
ab ipſius adventu in Ægyptum, immo
etiam ab induciis Fridericum Cæſarem
inter ac Sultanum Camelum avum ſuum
initis captos in libertatem aſſereret. Ut
Chriſtiani de terris, earumque appendi-
cibus, quas in Regno Hieroſolymitano
ſub adventum Regis poſſiderent, nihil
amitterent, & tranquilla pace fruerentur.
Ut Ludovicus Sultano Peluſium reſtitue-
ret, & tam pro damnis præſtandis, quam
pro liberandis captivis octingenties mille
aureos Byzantinos ſolveret. Ut omnes
Saracenos a Chriſtianis in Ægypto poſt
adventum illuc ſuum, & in Regno Hie-
roſolymitano poſt factas cum Friderico
inducias captos dimitteret liberos. Ut
Sultanus Regi cæterisque Chriſtianis o-
mnibus utenſilia Peluſii relicta conſerva-
ret, ægrotisque ac ob res ſuas ibi rema-
nentibus ſecuritatem pariter ac liberta-
tem daret.

His pactionibus ita confectis & jure-
jurando utrinque confirmatis Sultanus

Sæcul. XIII. A.C. 1250

Moadam cum copiis ſuis Peluſium verſus proceſſit, urbis poſſeſſionem aditurus. At cum Phareſcuri eſſet, præcipui Duces offenſi, quod ipſorum conſilia non ſequeretur, & ſine ipſis ita pactus fuiſſet, a prandio exeuntem necarunt. Poſt ſuum adventum in Ægyptum duobus tantum menſibus & aliquot diebus imperium geſſerat: & in eo interiit genus Sultanorum Ajubitarum ſeu poſterorum Jobi, quorum primus fuerat Saladinus & qui octoginta duos annos regnaverant. Tunc imperitare cæperunt Mammeluchi. Erant mancipia natione Turcæ, quos numero mille cum Melic-Salehus a Tartaris emiſſet, educarique ac erudiri ad militiam curaſſet, quosdam eorum ad eximios honores evexerat. Primus ex iis Sultanus fuit Azeddinus ſive Moaz Ibec Turcoman.

Abulfar. p. 324. Joinv. p 69 70. Fragm. Duchesne p. 433.

Extincto Moadamo Duces quamprimum ad S. Ludovici tentorium venere furioſis vultibus, & cruentis manibus cum fumantibus gladiis. Unus eorum ad Regem, Quid dabis mihi, ajebat, quod inimicum occiderim tuum, qui te peremiſſet, ſi longiorem duxiſſet vitam? Rege nihil reponente ille nudato enſe quaſi eum percuſſurus addebat: In Equitum Ordinem me coopta! vel te interficio. Rex minime turbatus, ſe dignitatem Equeſtrem ethnico nunquam delaturum eſſe

Duch. p. 404.

esse respondit. Resedit denique horum omnium bilis: immo submissis oculis capitibusque ac transversis manibus Regem suo modo salutantes, Domine! inquiebant, nihil metue! securus es. Nec mirare id, quod egimus! nam necesse fuit. Quod a te pendet, ex pacto fac celeriter: & mox liber eris. Sæcul. XIII. A. C. 1250. p. 469.

At intervenit difficultas de juramentis ad pactiones firmandas. Duces jurabant, se, nisi promissis starent, velle infamia coopertos esse instar illius, qui Meccam nudo capite peregrinaretur; qui uxorem suam repudiatam revocaret; vel qui porcina carne vesceretur. Rex his juramentis contentus erat: cum quidam Doctor nomine Nicolaus Acconensis de illorum moribus perbene edoctus affirmasset, eos haud posse jurare expressius. Postea Duces de consilio quorundam Religionis desertorum duas jurandi formulas Regi proponebant. Per priorem consentiret, ut a Deo & societate sanctorum arceretur, si promissa falleret. Per alteram, ut perjurus haberetur, velut ille, qui Deum ac baptismum abnegaret, & qui crucem per contemptum conspueret, ac pedibus calcaret. Priorem pronunciabat Ludovicus, alteram recusabat. Tum irati Duces Nicolaum Acconensem ei dicere jusserunt, sibi non esse satisfactum, quia nollet jurare, quod peterent, p. 404. Joinv. 72.

Sæcul. XIII. A.C. 1250. cum ipsi juraſſent, quod voluiſſet. Addidit Nicolaus: certum eſt, niſi jures, te tuosque omnes obtruncatum iri. Facient, quod volent, ajebat Rex: ſed malo bonus Chriſtianus mori, quam in Dei ac Cælitum indignationem incurrere.

p. 73. E Ducibus deinde ingreſſis unus dicebat, Patriarcham Hieroſolymitanum eſſe, qui hoc Regi conſilium daret: ſeque, ſi ſibi fides haberetur, demetendo Patriarchæ caput, & ad Regis genua projiciendo facturum, ut is juraret. Ille Præſul erat Robertus antea Epiſcopus Nannetenſis, & a decem annis Patriarcha Hieroſolymitanus. Peluſio cum litteris fidei publicæ teſtibus venerat Regem in facienda pactione adjuturus, fuitque octoginta annorum ſenex. Duces correptum in præſentia Regis alligabant palo manibus poſt tergum tam arcte vinctis, ut brevi non minus craſſæ, quam caput, fierent, & ſanguis e pluribus earum rimis prodiret. Ah Domine! clamabat, jura fidenter! noxam in me ſuſcipio: nam nulla eſt, cum promiſſa ſervare velis. Neſcio, adjungit Jonavillius, an jusjurandum Rex dederit. Sed denique Duces contenti erant. Conventum eſt, ut Peluſium redderetur poſtridie Aſcenſionem Domini, die veneris 6. Maji, eo-

Sup. lib. 71. *§.* 39.

dem-

demque Rex atque omnes captivi libertatem reciperent. Sæcul.XIII. A.C.1250.

§. XXI.

S. Ludovicus liberatus.

Rex pacta bona fide præstitit: reddidit destinato die Pelusium, & prima solutione ducenties mille libras pependit. Cum triginta librarum millia complendæ summæ deessent, a Templi Equite beneficiario mutua petebat. Qui mox repulsam dedit, se salvo voto suo de pecunia Ordinis statuere nihil posse causatus. At Jonavillæ Dominus jussu Regis ascia effringendam sibi arcam censuit, quam ille noluit aperire, ac necessariam inde prompsit pecuniam. Rex dein edoctus, Saracenos in numero errantes decem librarum millia neglexisse, serio succensens, ante abitum suum ea solvi voluit. Ita cum duobus fratribus suis Alphonso & Carolo, multisque aliis Proceribus Equitibusque ab Ægypto discessit, relinquens viros, qui captivos cæteros averherent, ac reliquam ducenties mille librarum summam penderent. *Joinv. p.87. Duch. p.420.*

Ad portum Ptolemaidis delatum Regem urbis incolæ ad littus usque instructo ordine progressi magno gaudio exceperunt. Inde naves ac Legatos in Ægyptum misit, qui captivos, machinas, *Joinv. p.80.*

Sæcul. XIII. A.C. 1250.

tentoria, equos, arma, & omnia ibi relicta adveherent. Duces his Legatis Cairi diu detentis bonam ſpem faciebant: ſed de pluribus quam duodecies mille captivis quadringentos tantum, & de cunctis utenſilibus nihil reſtituerunt. Poſt ingreſſum Peluſii jugulatis ægris omnibus omnes machinas, & cætera, quæ conſervare debebant, combuſſerant. E captivis ſelegerant ætate florentes, & corporis ſpecie præſtantes homines, atque admota collo enſis acie ad profitendam ſectam Mahometanam adegerant: multi ejurabant fidem; reliqui ſubibant Martyrium.

Duch. p. 431.

Joinv. p. 74.

Ludovicus in Franciam reverti ſtatuerat, captivos libertati redditum iri, & transmarina Chriſtianorum bona per totum tempus induciarum tuta fore confidens. Sed mutare propoſitum per malam Ducum fidem cogebatur. Ab his ſe deluſum perſpicue videns, Galliæ Proceres, trium Ordinum militarium Magiſtros, ac Regni Hieroſolymitani Optimates in conſilium adhibuit. Plerique affirmabant, ſi tunc rediret, ſummum fore periculum, ne Terra ſancta in tam miſerabili rerum ſuarum ſtatu tota amitteretur, & Chriſtiani captivi nunquam libertatem reciperent ſuam. Contra, ſi maneret, liberari eos, ut ſpes eſſet, ac regni loca conſervari poſſe, præcipue ſi ſpe-

Joinv. p. 81. 82.

ſpectaretur diſcordia inter Sultanos Alepium ac Ægyptium. His rationibus ceſſit Rex, ac reditum in Franciam differre ſtatuit: ſed duos fratres ſuos Alphonſum Pictavii, & Carolum Andegaviæ Comites illuc remiſit matri ſuæ regnoque futuros ſolatio. Sic ipſe teſtatus eſt per litteras Ptolemaide menſe Auguſto 1250. ad omnes ſibi ſubditos ſcriptas, quas finiit eos hortando, ut protinus Terræ ſanctæ ſuppetias irent. Sæcul. XIII. A. C. 1250. *B. C. p. 432.*

§. XXII.

Arſacidarum legatio ad S. Ludovicum.

Commorantem Ptolemaide Regem convenerunt Legati Arſacidarum Principis, quem Galli Senem montis appellabant. Qualis hic Princeps, ejusque populus eſſet, dudum Rex noverat. Anno 1236. falſo rumore ſparſo, Regem Franciæ ſacram iniiſſe militiam, ac periculoſiſſimum Muſulmannorum hoſtem eſſe, Arſacidarum Princeps eorum duos in Galliam miſit Regem necaturos. Sed illum nuncium fuiſſe mendacem, ac Regis fratres ejus cædem ulciſci poſſe edoctus; e ſuis alios duos in Franciam miſit, qui monerent Regem, ut a prioribus ſibi caveret. Poſterius miſſi prius advenerant: & Rex horum conſilio parendum *Joinv. p. 85. Duch. to. 5. p. 332.* *Nang. Chr. An. 1236.* *Lacheſe. lib. IV. n. 10.*

Sæcul. XIII. A.C. 1250.

dum ratus, cuſtodes ære rudi armatos ſibi adhibuit. Iidem Arabes in priores tam ſedulo inquiſiere, ut inventos ad Regem adducerent. Qui cum eos magno excepiſſet gaudio, dona & cunctis quatuor dedit, & ipſorum Domino pretioſiſſima per eos miſit in ſignum pacis & amicitiæ. Hoc tunc in Gallia factum.

p. 86. Sed anno 1250. ejusdem gentis Nuncios Ptolemaidem delatos Rex quodam mane poſt Divinum ſacrificium ad ſe admiſit, ſedereque ac commiſſa eloqui juſſit. Emir quidam inter eos Regem, an ipſerum Dominum noſſet, rogabat. Rex, ſe de illo aliquid audiiſſe repoſuit. Miror itaque, ſubdebat Emir, quod ejus amicitiam tibi per munera non paraveris, ut Imperator Germaniæ, Rex Hungarorum, Sultanus Ægyptius, pluresque alii Principes quotannis faciunt, optime gnari, ſe non victuros diutius, quam illi placeret. Te proin monet, ut ſe donis afficias, vel ſaltem penſione a ſe Magiſtris Ordinum Templarii & Hoſpitalarii exſolvenda liberes. Cum Rex hos Magiſtros illis reſpondere juſſiſſet, Veſter Dominus, inquiebant, tam eſt audax, ut Regi Franciæ talia dici curet? Ni cogitaremus vos Legatos eſſe, in mare vos projiceremus. Redite igitur ad veſtrum Principem, & intra quindecim dies

dies revenite cum litteris, quæ bonam Regis gratiam illi & vobis concilient! Sæcul.XIII. A.C.1250.

Intra designatum tempus reduces lineam Regi subuculam, annulumque aureum, cui ipsorum Domini nomen incisum erat, attulere, ut indicarent, hunc illi conjungi cupere, sicut indusium corpori, & annulus digito jungeretur. Apportarunt etiam latrunculos crystallinos electro auroque ornatos, & odoribus imbutos. Rex eos remisit cum muneribus ipsorum Domino deferendis scilicet cum multis togis coccineis, poculis aureis, & vasis argenteis. Adjunxit illis Religiosum quendam fratrem Ivonem Britonem Arabicæ linguæ peritum, quo teste hi Arsacidæ (Baduinos vocat) sectam Ali prosequebantur, ut memoravi superius; & tam impavidi erant hoc ex capite, quod fatalem necessitatem ac metempsychosin crederent, animamque illius, qui jussu Domini sui necem subiret, intrare corpus, in quo felicior esset. Eorum Princeps animam Abelis in corpus Noë primum, dein Abrahæ, tum S. Petri migrasse, & hunc Sanctum etiamnum vivere dicebat. *p. 87.* *lib. 72. §. 73.*

§. XXIII.

Episcopatus Sueciæ.

Interim Papæ Innocentio Archiepiscopus Upsalienſis, Episcopi ei obnoxii, &

Sæcul. XIII. A. C. 1250.

& universus Sueciæ Clerus per litteras significaverant, hoc in Regno alieni juris usurpationem quandam inveterasse, eo quod Episcopi non nisi per profanam Regis ac Procerum potestatem & per populi clamores instituerentur. Quamobrem Episcopus Sabinensis, cum ibi Legatum ageret, præceperat, ut in Ecclesiis Cathedralibus, quæ nondum tenerent Collegium, saltem quinque Canonici essent, quorum unus quadam dignitate excelleret, & qui sede vacante novum eligerent Caput. Hanc Legati sanctionem Papa ratam habuit, vetuitque, nequis Episcopus nisi per electionem Collegii fieret, ac nequis homo profanus quidquam contra moveret, aut fidelitatis juramentum, seu clientelæ professionem ab Episcopis Sueciæ exigeret, cum se a Rege aliisve Dominis nec prædia beneficiaria, nec illustria dona habere dicerent. Diploma datum est Lugduni 7. Decembris An. 1250. Legatus, cujus meminit, erat Guilielmus primum Episcopus Mutinensis per viginti quinque annos tam clarus ex laboribus suis in Ecclesiis Septentrionalibus. A Papa Innocentio IV. An. 1244. Cardinalis Episcopus Sabinensis creatus, Lugduni ultimo Martii An. 1251. vitam cum morte commutavit.

ap. Rayn. n. 40.

Sup. lib. 79. §. 7.

Ital. sac. to. 1. *p.* 195.

M. Par. p. 705.

§. XXIV.

Sæcul XIII. A.C.1250.

§. XXIV.

Obitus Imperatoris Friderici II.

Imperator Fridericus hunc annum 1250. transegit in Apulia, quo ſeptendecim centurias Saracenorum e Barbaria vocavit, & poſtea populo tributum in ſingula capita gravius, quam auditum unquam fuerat, imperavit: quod cum non tantam pecuniæ vim, quantam cupiebat, inferret ærario, curavit edici, ut feſto die S. Andreæ ſolveretur, & iis, qui morem non gererent, triremium pœnas intentari voluit. At ſub idem tempus morbo in periculum vitæ adductus, teſtamento hæredem inſtituit Conradum filium ſuum, ac centies mille uncias auri in recuperandam Terram ſanctam inſumere, cunctaque jura inique a ſe poſſeſſa Eccleſiæ Romanæ reddere juſſit, ſi bonam ſe matrem illi exhiberet. Regi Friderico nepoti ſuo Auſtriam cum Suevia, & Henrico filio ſuo ex Iſabella Anglica ſuſcepto Siciliam in hæreditatem tribuit, Comitatum Catanenſem reſervans nepoti ſuo Conradino, qui nuperrime Conrado natus erat. Tarentinum vero principatum Manfredo filio ſuo ſpurio contulerat. In locum ſepulturæ ſibi Panormum elegit, vel potius Montem Regalem, ubi Reges Normannici humati

Chr. Matth. Spinel. ap. Pagebr. Cona. p. 41.

ap. Rayn. 1250. n. 33. Matth. Par. p. 702.

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

ti erant. Etiam per absolutionem ab Archiepiscopo Panormitano sibi datam ad mortem se præparavit.

Alb. Stad. Chr.

Spinel.

Nono Decembris credebatur extra periculum esse, atque duodecima hora nocturna se mane surrecturum dicebat. Verum illo die S. Luciæ sacro 13. Dec. mortuus cernebatur. Dissipatus deinde rumor est, Manfredum per pulvinar patris faciem premendo ei spiritum intercluisse, ut ejusdem thesauro sane magno & Sicilia potiretur. Fridericus quinquaginta duos annos natus erat, quorum quinquaginta & uno Rex Siciliæ, triginta octo Rex Hierosolymæ, triginta tribus Imperator fuerat. Obiit Farentini, unde cadaver Tarentum transferebatur, ut mitteretur in Siciliam. Portabatur in lectica serico rubri coloris panno contecta, quam ducenti Saraceni pedites viventis Principis custodes, ac sex turmæ armatorum equitum circumdabant: sequebantur aliquot Proceres in lugubri vestitu, & urbium Procuratores. Mons Regalis illud Manfredi curis magnifice sepeliri vidit.

Ricord. Males. c. 144.

Anonym. to. 9. Ughel. p. 754.

Hunc, quamvis spurius esset, præ cunctis filiis suis amaverat Fridericus: hunc educare in aula sua & erudire in deliciis habuerat. Et vero hic juvenis Princeps corporis specie, ingenio, comitate, ac ingenita suavitate excellebat.

Octo-

Octodecim tantum ætatis annos morien- Sæcul.XIII.
te Patre numerabat: tam bene tamen se A.C.1251.
gessit, ut eam nulla magni momenti mutatio sequeretur. Conservavit ejus mi- *Baluz. I.*
nistros & consiliarios; moxque Regi Con- *Miscell.*
rado in Germania agenti de Imperatoris *p.* 476.
obitu scripsit, inter alia dicens: Morti propinquus in testamento suo Romanam Ecclesiam humiliter agnovit matrem suam tanquam fidei catholicæ studiosus, & injurias contra intentionem suam Ecclesiis forsitan illatas plane compensari voluit. Manfredus hortabatur Conradum, ut protinus veniret subditorum omnium vota impleturus. Interea cogni- *M. Spin.*
to Patris obitu Neapolim versus iter faciens, cum Montem Fusculum attigisset, solum vigesies mille passibus inde distantem, comperit, Papam Innocentium Neapolim & ad omnes Regni urbes misisse, qui vetaret, ne cuiquam alii quam summo Pontifici obedientiam præstarent, eo quod Regnum ad Apostolicam sedem devolutum esset. Itaque Manfredus Neapolim misit Comitem Casertium, incolarum sensa cogniturum. Cui, postquam 7 Jan. advenerat, haud obscure dicebant, se interdicti & anathematis, quo tamdiu multati essent, pertæsos statuisse nemini parere, quem Papa faustas inter preces non inauguraſſet. Comes inde Capuam delatus idem responsum audiit.

Sæcul. XIII. A.C. 1251.

§. XXV.

Epistolæ Papæ de Siculo Regno solliciti.

ap. Rayn. 1251. n. 2. Papa per litteras Cardinalis Petri Capochii Legati sui de Friderici obitu edoctus, illi hunc in modum scripsit: Primum reverti Romam cogitavimus, cujus desiderium nos & fratres nostros Cardinales jam diu tenet: postea vero perpendimus incertum esse, totane Sicilia unanimi consensu ad sinum Ecclesiæ redditura sit, an aliqui se huic sint opposituri? Proinde hac de re protinus certiores per te fieri volumus, ut sciamus, an numerosæ nos copiæ comitari debeant? Dabat *n. 3.* 25 Jan. 1251. Simul ad Præsules, Proceresque ac universam Siciliæ gentem litteras misit, quas inchoat invitando Cœlum ac Terram, ut gaudeant decessisse hostem Ecclesiæ, qui Siculorum libertatem tamdiu oppressisset. Gratulatur eis hanc redditam, stimulosque addit, ut ad gremium matris suæ se recipiant, cujus sub tutela pacem illis & securitatem plenam pollicetur. *n. 5.* Seorsum scripsit ad Berardum Archiepiscopum Panormitanum & antea Barienſem, grandævum Præsulem Friderico addictissimum, cui ægro absolutionem dederat, & mortuo supremum persolverat honorem. Tractans eum

eum velut inveteratis criminibus indura- Sæcul.XIII.
tum hominem exhortatur, ut graviſſi- A.C.1251.
mam Eccleſiæ totius offenſionem compenſet; ut noxarum pœnitentiam agat; ut earum ſordes eluat cæteros ad bonas partes reducendo; ut ſe Archiepiſcopo Barienſi jungat hanc ob cauſam in Regnum miſſo. Is erat Marinus Filange- *Ughell. to.7.*
rius, qui poſt Andream Berardi ſucceſſo- *p.885.*
rem ad ſedem Barienſem evectus fuerat, & qui hoc anno 1251 Pontificatus ſui trigeſimo tertio extremum vitæ diem morte confecit.

§. XXVI.

Papa epiſtolas mittit in Germaniam.

Eodem tempore Papa Germanos ab obedientia Conrado II. præſtanda avertere conabatur. Hoc fine Jacobum Pan- *VIII. ep.21.*
taleonem Archidiaconum Leodienſem *ap.Rayn.n.7*
juſſit cum Theodorico Equitum Boruſſiæ Magiſtro Germanicæ linguæ gnaro Imperii Duces, Principesque limitibus tuendis præfectos ſeu Marchiones, & Comites adire, eoque adducere, ut Eccleſiæ mandata facerent, atque in clientelam Guilielmi Batavi ſe conferrent. Scribe- *n.11.*
bat 18 Febr. Etiam Fratri cuidam Prædicatori injunxit, ut adverſus Conradum expeditionem ſacram ediceret cum pœ-

Sæcul. XIII. A.C. 1251.

narum condonatione eadem, quæ Terram sanctam petentibus facta esset, & cum indulgentia quadraginta dierum pro iis, qui concionibus ipsius assisterent. Et quia Suevia vetus Conradi patrimonium erat, hujus regionis populo scripsit in hanc sententiam: Scitote, Friderici prosapiam, cum nobis merito sit suspecta de imitanda patris sui perfidia, & avorum suorum tyrannide, ex consensu Apostolicæ Sedis nunquam Imperium vel principatum Sueviæ obtenturam esse.

n. 9.

Denique Papa ad Guilielmum Bataviæ Comitem litteras dedit, quibus eum animabat ad persequenda jura ipsius, nec audiendas propositiones contrarias; Comitisque vires aucturus procurabat ejus conjugium cum filia Ottonis Ducis Brunsvicensis. Revera Guilielmo maxime necessarium erat fulcrum. Imperio temere accepto, in comitatum Bataviæ, quem ipsum fratri suo cesserat, se recipere, atque alienis vivere sumptibus cogebatur. Sed & partes ejus cunctis Papæ conatibus irritis magis magisque in contemptum per Imperium totum veniebant. Primum Papa in Romanorum Regem eligi curaverat Provincialem Thuringiæ Comitem, cui post probrosam suorum cladem mœror vitam abstulit. Comes Geldriæ, Dux Brabantiæ, & Comes Cornubiæ hanc dignitatem renuerunt. Demum

Alb. Stad.
Mat. Par. p. 698.

Sup. lib. 82. §. 36. §. 52.

mum eam Papa Haquino Norvegiæ Regi obtulit, quem hoc fine in Regem inaugurari jusserat. At hic Princeps se semper hostes Ecclesiæ, sed non omnes Papæ inimicos impugnaturum publice declaravit. Sic ad me ipsum dixit, ait Matthæus Paris, & quidem gravi cum juramento. Sæcul. XIII. A.C 1251.

§. XXVII.

Christiano Archiepiscopo Moguntino suum abrogatur munus.

Sifridus seu Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus ab hominibus demigraverat 9 Martii an. 1249. Quidam scriptor coævus eum laudat tanquam bellatorem egregium, addens, eum nec spirituales functiones suas, nec profanæ ditionis suæ curam neglexisse. Post ejus obitum Canonici Moguntini postulaverunt Conradum Archiepiscopum Colonienſem: sed Papa consentire noluit. Igitur Christianum Ecclesiæ Moguntinæ Præpositum elegerunt, a teneris unguiculis Moguntiæ educatum. Legato, qui aderat, electionem ratam habente, die S. Petro sacra 29 Junii an. 1249 a Rege Guilielmo confirmatus in jure temporalium, eodemque anno consecratus Pallium obtinuit. Omnes frugi homines eum sic promotum esse gaudebant, pa- *Ap. Serrar. p. 839. 840.*

Sæcul. XIII. A.C. 1251.

cem procuraturum ſperantes, præcipue quia in arte militari exercitatus non eſſet. Sed hoc ipſum ei nocuit. Etenim apud Papam accuſatus fuit, quod eſſet Eccleſiæ prorſus inutilis, & a Rege vocatus ad expeditiones bellicas invitus accederet. Verum erat: & ratio Chriſtiani fuit, quod incendia fierent, cæderentur vineæ, meſſes vitiarentur. Atqui hæ vaſtationes, ajebat, Epiſcopum haud decent. Faciam vero, quidquid gladio ſpirituali confici poteſt. Cumque ſtimularetur, ut veſtigiis anteceſſorum inſiſteret, reſpondit: Scriptum eſt: *Mitte gladium tuum in vaginam!*

p. 841.

Joan. 18. *v.* 11.

Hic agendi modus eum reddidit exoſum Regi Guilielmo multisque Laicis; qui a Papa impetrarunt, ut dignitate ſua ſpoliaretur. Hoc decretum executioni dedit Legatus Hugo a S. Charo vel a S. Theodorico Ordinis Prædicatorum Cardinalis Presbyter Tit. S. Sabinæ, adjunctumque ſibi habebat Henricum Seguſianum Archiepiſcopum Embrodunenſem, antea Epiſcopum Segeſteronenſem, ac poſtea Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem. Chriſtianus libenter acquieſcens de ſede Moguntina deceſſit an. 1251. Legatus ei ſuccedere voluit Gerardum hominem juvenem Comitis Conradi cognomine Ferocis filium, qui ſolum Hypodiaconus erat. Hunc ut Legatus eligeret, ei perſuaſit

Gall. Chro. to. 1. *p.* 279.

suasit Archiepiscopus Embrodunensis, qui eo fine ducentas argenti selibras clam acceperat. Hinc apparet, quantum mutata sit disciplina: nam olim honoris gradu dejectus fuisset Episcopus, qui portasset arma. Fuit hoc inter alia Salonio & Sagittario exprobratum an. 579. Atque ista observatio tanto gravioris est ponderis, quod Hugo a S. Charo & Henricus Segusianus inter celeberrimos sæculi sui Doctores fuerint, Hugo propter expositas sacras Litteras, Henricus ob Canonici Juris peritiam. Sæcul. XIII. A C. 1251. *Sup. lib. 34. §. 38.*

§. XXVIII.

Papa Lugduno abit.

Regina Blanca, cum Papam reditum in Italiam adornare sciret, per Nuncium ei regnum suum, & quidquid ex se penderet, obtulit, suumque ejus ante abitum invisendi desiderium indicavit. Ille in gratias effusus, ne tam incommoda utens valetudine, id molestiæ sibi facesseret, orabat, seque ad discessum adigi scribebat 18 Martii. Tum itidem se purgavit Regi Angliæ se adituro: sed denegavit petitam decimam partem ecclesiasticorum Scotiæ proventuum, eo quod res inaudita esset illam cuiquam Principi alieno in regno concedere. *ap. Rayn. n. 19.* *n. 23.* *n. 25.*

Sæcul. XIII. A.C. 1251.

Papa verni jejunii tempus Lugduni agere pergebat, ubi die Cœnæ Domini sacro 13 Aprilis coram multis Episcopis iteravit anathema in memoriam Friderici, & in Conradum ejus filium, ut qui sine consensu Romanæ Ecclesiæ Imperium ac Siciliam sibi vendicassent. Simul ratam habuit Guilielmi Batavi electionem in Regem Romanorum. Decimo nono ejusdem mensis die Mercurii in hebdomade Paschatis Papa Lugduno abiit, postquam ibi sex annos & quatuor menses traduxerat. Comitabantur eum plures Cardinales, Nobilium numerus, & Philippus Sabaudus electus Archiepiscopus Lugdunensis validum copiarum præsidium ducens, ut eundem ab incursibus Friderici partium tueretur. Evitatis multis periculis Genuam attigit patriam suam, quo cuncti Lombardiæ Optimates, qui partes ejus sequebantur, venerationis causa venerunt: usque ad 22 Junii ibi commorabatur.

M. Paris. p. 712.

Stero. an. 1251.

Sup. lib. 82. §. 14.

Matth. Par. p. 707. 710.

Mon. Pad. p. 593.

Rayn. n. 30.

§. XXIX.

Pastorum tumultus in Francia.

Interim Gallia terribili pastorum motu agitabatur. Erat ibi Hungarus quidam Jacobus nomine sexaginta circiter annos natus, qui in juventute sua quadraginta abhinc annis pueros ad peregrinationem

tionem ſacram excitaverat, de qua ſuo loco memini. Deſeruerat Ordinem Ciſtercienſem, multasque linguas, inter alias Latinam, Gallicam & Germanicam ſciebat. Comperta S. Ludovici captivitate vatem ſacrum ſimulare cœpit, perhibens, ſe ſpectabiles habuiſſe Angelos, & ipſam Virginem ſanctiſſimam, eſſeque juſſum ſacram ſuadere militiam paſtoribus ſolum ac plebeculæ, quia Deus Nobilium faſtum aſpernans hominibus obſcuris & ſimplicibus Regis ac Terræ ſanctæ liberationem reſervaſſet. Alteram manum ſemper clauſam tenebat, ea ſe Virginis mandatum ſcriptum tueri aſſerens. Paſtores primum & colonos ad ſe attraxit, qui relictis gregibus & aratris ſuis catervatim eum ſequebantur de victu parum ſoliciti, quo reapſe nunquam carebant. Dicebatque populus, annonam inter eorum manus augeri. Jacobus ſingulorum humero crucem imponebat, & paſtorculi vocabantur.

Sæcul. XIII. A.C. 1251.

M. Par. p. 710.

Piſtor. 1. p. 742.

Lib. 77. §. 14.

At his primis eum per ſimplicitatem comitantibus ſe adjungebant homines vagi, prædis aſſueti, exilio multati, ab Eccleſiæ communione repulſi, & ii omnes, qui temporis illius vocabulo Rivales dicebantur, ita, ut brevi exercitum centies mille capitum conficerent, atque in agmina ſub varios Duces ac quingenta ſigna diſtribuerentur crucem & agnum exhi-

Sæcul.XIII. A.C.1251.

bentia cum Jacobi visionibus, quas affirmabat. Nuncupabatur Magister Hungaricus, aliosque duos Magistros præcipuos sub se habebat. Hi agni discipuli (ita se nominabant) gerebant gladios, pugiones, ascias, clavas, & quidquid armorum congerere potuerant, ac concionantem Magistrum ii, qui optime muniti erant, circumdabant, quisquis contradicere auderet, eum aggressuri: nam Jacobus, & inferiores Magistri, quanquam laici, suo arbitrio de rebus sacris verba faciebant, multaque deliramenta etiam contra fidem loquebantur. Tantam authoritatem sibi arrogabant, ut noxas condonarent, & nuptias solenni precatione conjungerent. Declamabant contra Clerum ac Religiosos, præsertim in Fratres Prædicatores Minoresque, quos vagabundos & pietatis simulatores dicebant. Cistercienses avaritiæ nimiæque fundorum ac pecorum suorum curæ, monachos nigros edacitatis & superbiæ arguebant. Canonicos a laicis haud multum diversos indulgere genio, Episcopos, ac substitutos in foro sacro Judices cumulandis pecuniis occupatos omni deliciarum genere frui perhibebant. Curiæ Romanæ maculas infamiæ aspergebant per calumnias, quas referre non ausim. Populus, qui Clerum odio & contemptui

jam

jam habuerat, his sermonibus applaudebat. Sæcul. XIII. A. C. 1251.

Pastorculi cæperunt comparere post Pascha an. 1251, & longinquus Papæ absceſſus eorum audaciam augebat. Primum in Flandria & Picardia, ubi populi sunt simpliciores, cœtus sociarunt; & maximum jam numerum efficiebant, cum Franciam intrarent. Euntes per pagos urbesque incolas in metu continendi gratia sustollebant arma; & ne Judices quidem opponere se audebant. Regina Blanca eos aliquamdiu tolerabat, filium suum forsitan liberaturos sperans. Relicta Lutetia omnibus se periculis defunctos rati, se agnitos fuisse frugi homines gloriabantur, eoquod in hac civitate, ubi fons esset omnis sapientiæ, ipsis nemo contradixisset, cœperuntque violentiam ac expilationes suas exercere licentius. Die S. Barnabæ 11 Junii magno apparatu Aurelianum delati, invito Episcopo Cleroque, sed volente populo ingrediebantur. Cum Jacobus se concionem habiturum præconis voce promulgasset, innumerabilis multitudo convenit. Episcopus nomine Guilielmus Bussiacensis constituta anathematis pœna omni Clero suo interdixit, ne hunc deceptorem audiret vel sequeretur: nam laici nec monitis ejus nec minis movebantur amplius. Aliqui tamen scholarum auditores

Nang. Chr. to. 11. Spicil. p. 538.

M. Par. p. 711.

Sæcul. XIII. A. C. 1251.

res curiositati suæ cohibendæ impares hunc novum vatem sacrum auscultare volebant: sed Clerici prudentiores transversis septis muniti domibus se suis inclusere.

Postquam Jacobus dicere, solitasque ineptias suas proferre cœperat, quidam ex Academicis ei aures præbentibus fidente accedens animo, Mentiris, inquiebat, infelix hæretice, veritatis inimice! tu simplices fallis. Vix hæc finierat, cum unus pastorculorum securis ictu caput ejus in duas partes diffidit. Protinus ingenti omnes tumultu contra Clericos ire, in eorum domos perfractis foribus ac fenestris irruere, libros pretiosissimos igni tradere, populo haud obsistente illorum multos fortunis evertere, vulnerare, cruenta morte afficere, aut in Ligerim præcipitare. Viginti quinque desiderati sunt. Qui suis in ædibus se continuerant, illis nocturna fuga saluti fuit. Pastorculi a commota urbe sibi metuentes se subduxere periculo: & Episcopus eam interdicto multavit, eoquod illis non restiterit.

Regina Blanca de his malis certior facta, se istorum hominum simplicitatis speciem præ se ferentium fraude in errorem inductam pro sua modestia fatebatur, ac eos dispergere de consilio Præsulum Procerumque statuit. Initium ita

factum

factum, ut a piorum commercio excluſi denunciarentur. Sed ante promulgatum anathema Bituricas delati, & ab incolis recepti, cum Judæorum conventus intraſſent, eorum libris combuſtis domos expilarunt. Egreſſos autem mœnibus ſequente in armis populo Jacobum ſolita impudentia concionantem lanius quidam ſecuri percuſſit in capite, communique luce privavit. Cadaver inſepultum manſit, & ſparſo rumore, paſtorculos una cum fautoribus ſuis ſacra deteſtatione inferis devotos eſſe, illi diſſipati ubivis terrarum impeti perimique inſtar rabidorum canum cœpti ſunt. Sæcul. XIII. A.C. 1251.

Cum ex eorum catervis aliquæ Burdigalam vellent ingredi, Simon Leceſtriæ Comes illic Anglorum Regis nomine imperium habens occludi portas juſſit, & rogavit homines, cujusnam ex authoritate veniſſent? Nec Papa, reponebant, nec Epiſcopi, ſed Deus, qui poteſt omnia, ejusque Virginea Mater nos miſerunt. Recedite confeſtim, ſubjunxit Comes: ſin minus, omnes copias meas, & conſcriptas provinciæ cohortes in vos immittam. Hac comminatione territi abiere: ac Dux eorum ſe clanculum furripiens conduxit navem, ad Saracenos, a quibus venerat, reverſurus. Sed nautæ agnitum Hungari ſocium manibus pedibusque vinctum in Garumnam projiciebant. Invenere poſt- p. 712.

Sæcul. XIII. A. C. 1251.

posthæc in ejus sarcina multum pecuniæ, pulveres venenatos, ac epistolas Arabice scriptas, quibus Sultanum ad persecutionem susceptæ consilii animabat, seque magnam ei multitudinem adducturum spondebat.

Tertius quidam pastorculorum Dux in Angliam profectus ibi supra quingentos eorum brevi collegit. At ob sacram sui proscriptionem ac Hungari necem divulgatam infamia laborantes, corruptorem ipsi in frusta conciderunt. Illorum multi discussa caligine veram crucis militiam pœnitentiæ causa secuti, in Terram sanctam sub signa sancti Regis Ludovici se contulere. Sic finita est hæc hominum depravatio sapientium virorum judicio periculosissima, quæ post Mahometis ætatem contigerit.

§. XXX.

Initia S. Petri Veronensis.

Papa Innocentius manebat Genuæ, ubi ad Petrum Veronensem & ad Vivianum Bergamensem fratres Prædicatores scripsit in hanc sententiam. Postquam Deus Ecclesiam suam liberavit tyrannide Friderici quondam Imperatoris, qui pacem turbabat, præsertim in Italia, & hæresi favebat, statuimus Inquisitionem ibi firmare eo majore studio, quo propius nobis

ap. Rayn. n. 33.

nobis est malum. Quocirca vos Cremonam petere, habitaque synodo diœcesana extirpandæ hæresi efficacem navare operam jubemus. Quos illa infectos aut ejus infamia notatos Ecclesiæ mandatis non perfecte submittere se videritis, secundum Canones tractabitis, Magistratus civilis præsidium, cum opus erit, invocantes. Siqui hæresin abjurare voluerint, eos consulto loci Episcopo absolvetis, adhibitis tamen cautionibus necessariis, ut vos securos de sincera eorum correctione reddatis. Et quia negotii hujus progressus præcipuæ nobis est curæ, volumus, ut declaretis palam, siqua urbs vel societas, siqui Proceres, aliive viri potentes illum impediant, nos facturos esse, ut Ecclesiæ gladium, Regesque, Principes, ac reliquos cruce signatos sibi sentiant inimicos, eoquod magis interest fidem in propinquo quam procul defendere. Dabat 13 Junii an. 1251. Sæcul. XIII. A. C. 1251.

Petrus, cui hæc epistola scripta est, parentibus hæreticis, qualis pene tota ejus familia erat, Veronæ natus est sub annum 1206. Septem aut octo annorum puer, cum de schola veniret, a patruo suo hæretico, quid edoctus esset, rogatus, Symbolum, ajebat, didici, Deumque visibilium omnium & non visibilium authorem esse: & patruo instante, ut diceret, Deum non esse authorem rerum visibi- *Vit. ap. Boll. 29. Apr. to. 11. p. 688.*

Sæcul. XIII. A.C. 1251.

visibilium (nam isti hæretici erant Manichæi) id tamen, quod legerat, constanter affirmabat. Ille fratri suo pueruli patri rem indicavit, suasitque, ut filiolo scholam interdiceret. Metuo enim, addebat, ne magis informatus ad Ecclesiam Romanam transeat, nostramque destruat religionem. Nihilominus pater eum grammaticam absolvere voluit, & statura majorem Bononiam misit sua studia prosecuturum. Ibi tentatam sæpius castitatem servavit integram, ac vivo etiamnum S. Dominico, & quod consequitur, quindecim ætatis annos vel sexdecim habens Prædicatorum Ordinem ingressus est.

Scientiis apprime excultus, evasit concionator per totam Lombardiam celeber, ac hæreticos, a quibus infecta erat, strenue impugnavit. Itaque a Gregorio IX. Inquisitor Mediolani factus Papæ constitutionem contra hæreticos concilii Lateranensis decreto consentaneam inter urbis sanctiones referri jussit die Veneris 15 Septembris an. 1234. Etiam Florentiæ adversum hæreticos tantam dicendi vim adhibuit, ut eos urbe pulsuri complures viri nobiles arma caperent. His vexillum cruce signatum præbuit, & acri pugna in foro S. Felicitatis ad Arnonem fluvium commissa Catholici victores hæreti-

p. 680.

Sup. lib. 77. §. 47.

Boll. p. 693.

reticos e mœnibus ejecerunt. Talis erat Petrus Veronenſis, cum Papa Innocentius Inquiſitoris munus ei impoſuit non Cremonæ modo, ſed & Mediolani, totoque in territorio exercendum. Sæcul.XIII. A C. 1251.

§. XXXI.

Papa Mediolani verſatur.

Genua Mediolanum profectus Papa & ab incolis magno exceptus honore duos ibi menſes commorabatur. Sed antequam Genua diſcederet, quod 28 Junii factum, Eccleſiæ reconciliavit inſignes quosdam viros, quos die Cœnæ Domini ſacro anathemate multaverat; inter alios ſuæ neptis maritum Thomam Sabaudum, poſtremo tempore Friderici partes ſecutum. Per Archiepiſcopum Viennenſem, ac Epiſcopum Gratianopolitanum Papæ juſſu monitus, ut ad officium rediret, cum Fridericum ſciret mortuum, ſe ſubmiſit, & gratiam cum illo iniit. Relicto Mediolano, & Lombardia, ne ſe magnis urbibus includeret, celeriter peragrata, Peruſiæ ſubſtitit Innocentius, ibique reliquam anni partem transegit. *Mon. Pad.* p. 593. *Mat. Par.* p. 707. p. 712. *Epiſt.* ap. *Rayn.* n. 31.

§. XXXII.

Sæcul. XIII. A. C. 1251.

§. XXXII.

S. Ludovici Regis in Palæstina occupationes.

Joinv. p. 88. Rex S. Ludovicus interim in Palæstina curabat, ut Duces Ægyptii pactum cum ipso initum exequerentur. Quosdam identidem captivos ei remittebant: permultos vero pecunia, jam sexcentos, jam septingentos simul redemit: denique, quotquot in Ægypto per viginti annos capti fuerant, liberavit: & quæ in Palæstina Christiani tenebant, loca, scilicet Ptolemaidem, arcem Hiffæ seu Caifæ, Cæsaream, Joppen ac Sidonem, suis sumptibus reparari munirique jussit.

Duchesne p. 404.

p. 469.

p. 359.

p. 456. Pridie festum SS. Virginis ab Angelo salutatæ 24 Martii 1251 religionis causa Nazarethum petens, vix sacrum hunc locum procul viderat, cum equum relinquens in genua procubuit, ac reliquam deinde viam pedes confecit, quamvis ea die nullo præter panem & aquam cibo potuve sumpto magnopere defatigatus esset. Pomeridianam & antelucanam divini officii partem, sacrumque solenniter cantari voluit, quod peregit Legatus Odo Castro-Radulphinus, & pium habuit sermonem. Rex pretiosa varii coloris ornamenta pro ratione dierum festorum singulari quadam cura gerere solebat.

Nazare-

Nazaretho Cæsaream 28 Martii profectus, ibi reliquam ejusdem anni, & aliquam sequentis partem traduxit, illam munitionibus sepiendo præcipue occupatus. Sæcul. XIII. A.C. 1251.

Sanut. p. 220
Joinv. p. 89. 90.

Paulo post, quam eo advenerat, Fratres Prædicatores, quos duobus abhinc annis in Tartariam miserat, redierunt, nempe Andreas Longogeminus ac ejus socii. Ut narrabant, a Cypro in portum Antiochiæ advecti, inde ad locum usque, ubi Tartarorum Canus agebat, in iter annum totum insumpserant, per diem tricies mille passus emetiendo. Omnis regio, quam peragrabant, Tartaris parebat, ac sæpenumero in urbibus & pagis grandes humanorum ossium acervos videbant. Cajuc-Canus mortem obierat, cum advenerunt, ejusque vidua regnum administrabat usque ad electionem, quæ Bato tanquam familiæ natu maximo delata fuit. Is Moncacam, alio nomine Mangum, qui Ginguis-Cani nepos, ut ipse erat, elegit anno Epochæ Arabicæ 649, Christi 1251. Fratres Prædicatores illius electioni aderant, & honorifice excepti novum Canum Christianis satis faventem experiebantur: sed de Ercalthajo, cujus epistola S. Ludovico allata fuerat, nihil audivere. Ex horum relatione Rex Papæ scripsit, multos Tartaros accepisse baptismum, & plures idem facturos, si docerentur fidem. Verum Bagdetiæ

Abulfar. p. 326.

ap. Rayn. 1253. n. 49.

Sæcul. XIII. A.C. 1251.

Califæ potentia, addebat, facit, ut regio pauciſſimos habeat Epiſcopos. Ex re proin eſſet, ſi quidam Fratres Prædicatores Minoresve conſecrarentur in Epiſcopos, & illuc mitterentur, ut Sacramenta Epiſcopos exigentia conferre, atque legibus ad matrimonia & jejunia ſpectantibus ſolvere poſſent.

§. XXXIII.

Querelæ de Papa.

Cæſareæ S. Ludovicus ſcripſit Reginæ matri, fratribus ſuis, & ſubditis, celere militum, commeatus, ac pecuniæ ſubſidium poſcens. Illa acceptis litteris omnes Regni Nobiles convocavit, ea de re conſulendos: qui libere conquerebantur de Papæ ratione agendi, novum in orbe Chriſtiano bellum excitantis. Nam Conradus Imperatoris Friderici filius a menſe Majo hujus anni 1251 Italiam intraverat, poſſeſſionem Siciliæ aditurus: & a Venetis claſſem nactus, 26 Auguſti ad Peſcariam exſcenderat. Cuncti provinciæ Proceres ipſi obviam cum iiſſent, omnes copias ſuas in Comites Aquinatem ac Soranum Papæ adhærentes duxit, & die S. Martino ſacra eis cladem attulit. Papa vero expeditionem ſacram in Conradum præſertim in Brabantia, Flandria, & Gallia promulgari curabat cum

Chr. Matth. Spin.

Matth. Par. p. 713.

cum indulgentia majore, quam quæ Terram sanctam petentibus concessa erat, utpote ad patrem matremque cruce signati se extendente. Sæcul.XIII. A.C.1252.

Itaque Franciæ Nobiles tunc dicebant: Papa novum contra Christianos bellum indicit, ut augeat dominationem suam, & Regis Domini nostri tanta pro fide sufferentis memoriam deponat. Commota his verbis Regina Blanca omnium novorum hujusmodi militum terras occupari jussit, inquiens: Papa sustentet illos, qui ad ipsius servitutem abeunt nunquam redituri. Proceres hujus generis militibus suæ ditioni obnoxiis idem faciendo Papæ molimina disturbabant. Invehebantur etiam in præcones ejus Fratres Prædicatores, Minoresque. Construimus vobis templa domosque, ajebant; vos recipimus, alimus, & fovemus. Quid boni Papa in vos confert? Fatigat vos & divexat: vos, quæ postulat, tributa colligere jubet, & Patronis vestris odiosos reddit. Illi per obedientiam ei debitam se purgabant.

Sub initium anni 1252 Papa per litteras Regem Angliæ hortabatur, ut Regi Franciæ in Terram sanctam suppetias ferret, aut, si eam ipse non peteret, saltem petituros non impediret. Ille Papæ monitum novis pensionibus, quas a Judæis Regni sui extorquebat, prætexuit. *M. Par. p. 717.*

Sæcul. XIII A. C. 1252

Sub festum Paschatis Londinum omnes Proceres cruce signatos convocavit, de subsidio Palæstinæ ferendo deliberaturos: & secunda post Pascha hebdomade die Jovis Westmonasterii Crucis militiam solenniter indici jussit: sed ob indignationem de exactionibus Aulæ Romanæ pauci auditores ibi aderant: nam Rex sub obtentu hujus itineris, quod non fecit, a Papa jam copiam impetraverat, decimam partem per triennium a Regni sui Clero & populo exigendi. Hinc nata suspicio, Regem hoc solo fine induisse crucem. Attamen se post tres annos die S. Joannis profecturum juravit, manum pectori, ut Sacerdotes solent, dein Evangeliis admovens. Assistentes autem non ei fidebant amplius.

p. 719.

p. 720.

ap. Rayn. n. 26.

Papa, quo plures ad transmarinam crucis militiam permoveret, plenæ noxarum veniæ novas addebat gratias, Episcopo Avenionensi potestatem faciens illos, qui percussissent Clericos, aut templa incendissent, absolvendi; Clericos impedimentis sacrorum Ordinum, in quæ incurrissent, liberandi; spurios ad sacros Ordines ac beneficia admittendi; in votum sacræ militiæ cætera (excepto voto ingrediendi Religiosum Ordinem) vota omnia mutandi. Dabat litteras 13. Febr. 1252. Ita solutiones a legibus disciplinæ damno prodigebat.

§. XXXIV.

Sæcul.XIII.
A. C. 1252.

§. XXXIV.

Episcopatus Laudensis & Adrianus.

Anno præterito Papa, cum Mediolani esset, receperat Laudem civitatem antea Friderici partibus addictam usque adeo, ut Papa Gregorius IX. eam Episcopatu privaverit ob graves injurias nonnullis Clericis ac Religiosis viris illatas, combustumque insuper quendam Fratrem Minorem. Ottobellus tum temporis Episcopus Laudensis urbem suam sic depressam videns, præ mœrore diem obiit an. 1242, ac per annos decem nullum habuit successorem. Tandem vero Innocentius IV. urbi in gratiam receptæ Pontificiæ sedis decus restituit, & Bonjoannis electionem in ejus Episcopum approbavit: ut constat e litteris, quas dabat 9 Jan. 1252. *Mon. Pad. Ughell. to.4. p.920. 921. Raynald. n.5.*

Adriam Aprutii ulterioris oppidum, cum a Papa staret, Cardinalis Petrus Collimedius Episcopus Albanensis ei nomen urbis & Pontificiæ sedis honorem, nec tamen Episcopum singularem tribuit, sed Episcopatum Pennensem perpetuo junxit, e quo pendebat Adria, & cujus Episcopus tunc Beraldus erat. Papa rem ratam habuit per diploma 5 Martii an. 1252 datum: & hi duo Episcopatus Pen- *Ughell. to.1. p. 59. Raynald. n. 6.*

Sæcul. XIII. A.C. 1252.

nensis & Adrianus postea conjuncti semper, atque Apostolicæ Sedi proxime subjecti permansere. Sed fateor, me non videre, quid emolumenti spiritualis ex hac Episcopatus duplicatione provenerit.

§. XXXV.

S. Petri Veronensis martyrium.

Interea Petrus Veronensis, Inquisitor, Mediolani hæreticos fortiter impugnabat. Sæpe his spondebat, se comprobandæ fidei catholicæ causa subiturum flammas, si eas secum intrarent. Dicebat, se per illorum scelus e corpore excessurum, ac Mediolani sepultum iri. Quoties ad altare Cæleste Hostiam supra verticem attollebat, toties orabat, ne aliter, quam pro fide animam ederet. Dominica Palmarum 24 Martii sacram Mediolani orationem habens ad decem fere millia hominum clara voce, Certum est, inquiebat, hæreticos in meam necem conspirasse, ac eo fine pecunias apud aliquem depositasse. Sed agant, quidquid velint, mortuus eis plus obstabo, quam vivus fecero. Deinde Comum, ubi cœnobio præerat, remeavit.

Vit. ap. Boll. to. II. p. 696.

p. 698.

p. 681.

Geric. p. 263.

Conjuraverant vero Stephanus Gonfalonerius (seu Ecclesiæ signifer aut defensor) Aliatensis, Manfredus, Clitorus ex

ex oppido Juſſano inter Mediolanum & Comum ſito, Guido Sacchella, & Jacobus Cluſanus. Sicariorum mercedem, quæ inter eos convenerat, conficiebant quadraginta monetæ Mediolanenſis libræ, in manibus Thomæ Juſſanenſis depoſitæ. Cædis executionem commiſere Petro Balſamo agnomine Carino, qui Albertinum Porrum cognomento Migniſum in ſocium elegit. Prætermiſſis diebus Paſchatis, Carinus triduo Comi manens in monaſterio Fratrum Prædicatorum quotidie rogavit, quando Petrus Mediolanum iturus eſſet; ac ſabbato intra hebdomadem Paſchatis ſexto Aprilis ante lucem illum abiiſſe comperit. Manfredum deinorabat, ut ſuum ipſi equum commodaret, tanto certius Petrum peditem aſſecuturo. Abnuebat ille, ne per equum ſuum contra ſe indicium daret, veritus. Cucurrit itaque, ne hanc occaſionem amitteret, facileque attigit virum lentisſime procedentem & fractum viribus per quartanam, qua longo a tempore laborabat. Sæcul. XIII. A.C. 1252.

In media via prope locum, cui Barlaſina nomen erat, denſam inter ſylvam, ubi ab Albertino ſocio ſuo expectabatur, hominem ſanctum aſſequens falce percuſſit in capite, quæ cranium lato & profundo vulnere aperuit non avertenti ſe, nec ullo modo evitare ictum conanti.

Sæcul. XIII. A.C. 1252.

Sed commendans se Deo, pronunciabat symbolum, pro cujus defensione vitam dabat. Magnis interim clamoribus opem flagitanti comiti ejus Fratri Dominico quatuor latro plagas imposuit, e quibus vir bonus post aliquot dies decessit. Tum ille cultro palpitantis adhuc Petri latus hausit, ac cædem consummavit. Cadaver ejus primum ad S. Simpliciani Abbatiam in Mediolani suburbio sitam deferebatur, & postridie in urbe ac S. Eustorgii temploFratribus Prædicatoribus commisso solenniter humatum fuit.

Latronem paulo post ex quodam indicio comprehensum Mediolani Prætor nomine Petrus Lavocatus in carcerem compegit. At ministri pecunia corrupti post decem dies effugium illi permisere. Ergo populus culpam in Prætorem rejiciens ad ejus palatium currit, hoc diripit, ipsum ad tribunal Archiepiscopi accusat: a quo exauthoratus vitam vix salvam præstitit. Archiepiscopus erat Leo Peregus Ordinis Minorum. Carinus Forum Livii fuga delatus, & factorum pœnitentia ductus, Prædicatorum Ordinem intravit, & tanquam frater laicus ætatem sancte traduxit.

p. 682.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Sæcul. XIII. A.C. 1252.

Diplomata pro Fratribus Mendicantibus.

Sub idem tempus Papa Innocentius Fratres Prædicatores sacrarum Deo Virginum regimine exoneravit, ne illos a litterarum studiis & ministerio verbi divini averteret. Duo tantum cœnobia, Romanum S. Sixti, & Prulianum in Occitania, quod omnium primum erat, eorundem curæ reliquit. *Rayn. n. 5.* Generalis Magister Ordinis Frater Joannes Teutonicus Papæ rem mali exempli conquerebatur, quod nimirum aliqui suorum Fratrum contra votum obedientiæ in sui electiones ad Episcopatus consentirent inconsultis Magistris Provincialibus, & Archiepiscopi haud ægre illos consecrarent. *Id. n. 34.* Igitur Papa vetuit, nequis Fratrum Prædicatorum Episcopatum acciperet, ac nequis Archiepiscopus vel alius Præsul, etiamsi Apostolicæ Sedis Legatus esset, Fratrem Prædicatorem declararet Episcopum, aut inauguraret, nisi Generalis vel Provincialis Magister Ordinis hoc permitteret, aut sancta Sedes id mandaret. Actum 15 Jul. an. 1252. Simillimas Papa litteras pro Fratribus Minoribus ad Generalem eorum Ministrum Joannem Parmensem 22 Aprilis eodem anno dederat. *Vading. 1252. n. 22.*

§. XXXVII.

Sæcul. XIII. A.C. 1252.

§. XXXVII.

Reginæ Blancæ obitus.

Sanut. p. 220

Sanctus Ludovicus in Palæstina semper morabatur. Cæsarea Joppen 15 Apr. 1252 profectus, ut eam muniret, ibi substitit. Ibidem comperit, per Sultanum sibi licere Hierosolymam sine ullo periculo petere: feciſſetque libenter: sed regionis Proceres, quos hac de re consulebat, eum dehortabantur, quia consentire non poterant, ut urbem in manibus ethnicorum relinqueret. Proponebant ei exemplum Regis Angliæ Richardi, qui Hierosolymæ proximus noluiſſet eam visere; sed oculis ad sagum suum conversis inter lachrymas dixiſſet: Ah Domine! Absit, ut spectem sanctam civitatem tuam, cum eam hostibus tuis eripere nequeam! Deinde, Tu es maximus Christianorum Rex, ajebant: si pietatis causa Hierosolymam adires, nec liberares, cæteri Reges omnes, qui susceperiſſent hoc iter, se crederent votum solviſſe suum agendo, quod tu egiſſes.

Joinv. p. 103.

M. Par. p. 740.

Ludovicus eodem in loco etiamnum erat, cum nuncium accepit de obitu Reginæ matris suæ, qui prima Adventus Dominica 1. Decembris 1252 contigerat. Meloduni morbo correpta Parisios se deferri, eoque vocari juſſit Abbatiſſam Malbus-

Malbuſſonii Virginum Ciſtercienſium cœnobii, quod prope Ponteſium condiderat. Hæc fuit, a qua ſacram recepit veſtem, & cujus inter manus ſolenni ex formula vota nuncupavit. Poſt mortem ejus capiti ſupra velum corona impoſita, corpus ſupra veſtem religioſam amictu regio indutum, Malbuſſonam portatum, ibique ſepultum eſt: ſic enim Regina voluerat, quæ ſummum ſui deſiderium tota in Francia reliquit. Sæcul. XIII. A.C. 1252.

Perlata in Palæſtinam rei notitia, Legatus Odo Caſtro-Rodulphinus, qui eam primus habuit, aſſumptis in comites Ægydio Tyri Archiepiſcopo ſigilli regii cuſtode, ac Godefrido Bellolocenſi Regis arcano Judice Ordinis Prædicatorum S. Ludovicum adiit, ſeque cum eo his præſentibus in ipſius conclavi clam loqui velle dicebat. Rex illum eſſe triſtem nuncium e ſerio vultu conjiciens, e cubiculo eos in ſacellum duxit, ubi coram altari conſederunt omnes. Tum Legatus expoſuit, quanta Deus beneficia Regi ab infantia contulerit, & inter alia, quod ei dederit matrem, quæ tam probe ipſum educaſſet, Regnoque tam ſapienter præfuiſſet. Hanc expiraſſe tandem addidit, fletum ac ſingultus non tenens amplius. Exclamabat Rex; magnaque vi lachrymarum profuſa, ad aram provolutus in genua, junctis manibus, tenerrimo pietatis *Duchesne.* p. 457.

Sæcul. XIII. A.C. 1252.

tatis ſenſu, Domine! ajebat, gratias tibi habeo, quod tam bonam mihi matrem dederis. Hanc tum, cum tibi lubuit, abſtuliſti. Equidem amavi eam præ cunctis mortalibus, ut merebatur. Sed quoniam ita tibi placuit, ſit nomen tuum benedictum perpetuo! Cum dein Legatus pro illa Deum breviter oraſſet, Rex ſecum in ſacrario ſolum manere Godefridum voluit, qui cum modeſtia dicebat, ſatis naturæ datum; modo rationi per gratiam illuſtratæ parendum eſſe. Surgebat ille protinus, & adiit locum, in quo preces horarias fundere conſueverat. Ibi totum pro vita functis officium, ſeu veſpertinas preces ac novem lectionum pervigilium perſolvit cum Godefrido, qui tanto affectum dolore tam longis in precationibus nihil omnino erraſſe mirabatur. Innumera ſacra precesque in cœnobiis pro Regina matre ſua fieri curavit, & quotidie ſingulari ſacrificio ad intentionem ſuam oblato interfuit. Per biduum in conclavi ſe ſuo continens nemini loquebatur, nec Joppen reliquit ante finem Junii. Præter illa pietatis officia, quæ in Palæſtina matri ſuæ præſtari juſſit, in Gallias tantam gemmarum copiam, quanta juſtam equi ſarcinam conficiebat, inter Eccleſias diſtribuendam miſit, preces pro Blanca & pro ſe poſtulans.

Joinv. p. 110.

Sex

Sex ante menſibus, quam hæc Princeps obiiſſet, Papa Innocentius ad Epiſcopos, Abbates, ac univerſum Regni Clerum ſcripſit, ut ne Clericos in conflictum deſcendere paterentur. Antiquiſſima ſed barbara conſuetudine Clerici jus ſuum in ſervos Eccleſiarum, qui alios agnoſcere Dominos volebant, ſingulari certamine tueri cogebantur, ita, ut ad illud probandum aliter non admitterentur, quamvis per teſtes, aut aliis modis legitimis id facere poſſent. Papa hunc morem abrogat, eoquod Clericis haud liceat ſingulari pugna congredi ſeu per ſe, ſeu per alios: & nullas eſſe declarat ſententias contra illos hac de re latas. Diploma dabat 23 Julii 1252. Sæcul.XIII. A.C.1252. *Rayn. n.31.*

§. XXXVIII.

Moneta Chriſtianorum ad Ortum habitantium.

Legatus Odo Caſtro-Rodulphinus aliquo abhinc tempore Papæ per litteras ſignificaverat, Chriſtianos monetæ, quam Ptolemaide ac Tripoli cuderent, nomen Mahometis inſculpere annumque ab ejus ortu: volebat dicere: annum Epochæ Arabicæ. Contra omnes, qui monetas ejusmodi ſive aureas, ſive argenteas in Regno Hieroſolymitano, in Principatu Antiocheno, & in Comitatu *Rayn. n. 92.*

Tripoli-

Sæcul. XIII. A. C. 1253. Tripolitano ferirent, Legatus anathema promulgaverat; quod eo petente ratum Papa habuit per epistolam 12 Febr. 1253 datam, cum non indigna modo sed abominanda res sit, ajebat, tam odiosi nominis memoriam celebrare. Nihilominus per decem propemodum sæcula Christiani ad Ortum habitantes annos a Diocletiani regimine computabant: ut constat inter alia ex chronicis Georgii Elmacini, qui eodem tempore vivebat; & libri Machabæorum annos ab Alexandri dominatu numerant. Nummariæ vero epigraphæ intelligi debent a populis, quibuscum habetur commercium.

Id. n. 50. Alphonsus Pictavii Comes, Regis frater, cruce semper indutus redire ad Terram sanctam parabat. Idcirco Papa 2 Apr. 1253 Priori Fratrum Prædicatorum Parisiensium scripsit, ut mitteret, qui in Francia, Navarra, Provincia, Britannia, Burgundia, & in Alphonsi terris Christianos ad militiam Crucis accenderent, solitamque sponderent indulgentiam non iis tantum, qui gererent arma, sed & illis, qui ad belli sumptus pecunias contribuerent: Faciebat simul Priori copiam ab omni criminum genere absolvendi.

§. XXXIX.

Sæcul. XIII. A.C. 1253.

§. XXXIX.

Petrus Martyr in Sanctorum numerum refertur.

Ante aliquot dies Papa Fratrem Petrum Veronenſem anno præterito ab hæreticis interemptum Cœlitum albo inſeruerat. Edoctus de multis miraculis ab eo tum in vita tum poſt obitum patratis, cum accuratas in ea inquiſitiones fieri curaſſet, plura, quam communis fama ferebat, comperit. Igitur Peruſiæ 24 Martii 1253 pro foribus templi Fratrum Prædicatorum præſente Cleri ac populi multitudine illum ſolenni ritu ſanctos inter Martyres retulit. Sed quod die mortis, ſexta Aprilis ſæpe Paſcha celebraretur, vigeſimum nonum Aprilis honori ejus conſecravit. Notus idem eſt ſub nomine S. Petri Martyris. Multi aliquamdiu omittebant ejus feſtum agere per neglectum alii, alii per contemptum. Itaque Papa univerſos Clericos ac Religioſos eundem novem lectionum officio colere juſſit, exceptis Eccleſiis, quæ tam longa penſa horaria Paſchatis tempore perſolvere haud ſolerent. Hanc conſtitutionem fecit 8 Aug. 1254.

Vita c. 6. ap. Boll. to. II. p. 700.

c. 7.

Sæcul. XIII. A.C. 1253.

§. XL.

Mors fratris Eliæ.

Cum Papa relicta Perusia mense Aprili 1253 Assisii versaretur, frater Elias olim Ordinis Minorum Generalis Minister per internuncium absolutionem ab eo petiit. Post obitum Friderici, cui se addixerat, Cortonam patriam suam adierat; ubi construendo Fratribus Minoribus spatioso templo ac monasterio se occupabat, quamvis Ordine deserto, immo posita ejus veste pro se privatim viveret, superiori nulli obnoxius. Cum æger decumberet, frater quem habebat inter Minores, desperatam ejus vitam audiens, Cortonam properavit, & illum ardenter monuit, ut Ordinem & Apostolicam Sedem sibi reconciliaret. Elias sibi redditus agnita delicti sui gravitate oravit fratrem suum, ut celeriter Assisium iret, atque ipsius absolutionem a Papa flagitaret.

Vading. hoc an. n. 30.

Eo profecto Elias sabbato sancto suum augeri malum sentiens, Bencium Cortonensem Archidiaconum accersiri voluit, quo præsente jurabat, se, si convalescat, venturum esse ad Papam; vel, si morbus pertinax sit, missurum, qui ad eum accedat. Archidiaconus, ut caute ageret, octo hujus promissi testes sibi asciverat, quinque Sacerdotes ac tres Notarios publicos,

blicos, eumque a cenſuris, alius Sacerdos Ventura dictus a peccatis abſolvit, poſtquam ejus confeſſionem exceperat; denique ſecundo die Paſchatis quidam Fratrum Minorum Diotifecius nomine cœleſti epulo communivit: quæ ille Sacramenta inter magna pœnitentiæ indicia accepit. Non autem perunctus eſt ſacro oleo, quod eo die Cortonæ deerat, Epiſcopum nondum habenti. Proximo die 22 Apr. 1253 vi morbi oppreſſus animam edidit. Poſt aliquot dies ejus frater Aſſiſio rediit cum Valaſco ejusdem Ordinis monacho, quem Papa præfecerat expiationibus, & Eliæ pœnitentiam examinare juſſerat. Hunc ille mortuum audiens, curavit ſummæ fidei litteras confici, quonam is modo vitam finiiſſet, publice teſtaturas. Sæcul. XIII. A C. 1253.

§. XLI.

S. Claræ obitus.

Eodem tempore, quo Papa Aſſiſii commorabatur, S. Clara vivere deſiit. Per annos quadraginta duos cœnobium S. Damiani ex informationibus a S. Franciſco acceptis gubernabat. Sub amictu viliſſimo geſtabat cilicium e ſetis equinis, aut porcinam pellem: cubabat in humo nuda vel ſtrata ſarmentis & trunco pro pulvinari. Jejunium vernum & S. Mar- *Sup. Lib 77. §. 9. Vit. ap. Sur. 12. Aug. c. 12*

Sæcul. XIII. A. C. 1253.

tini sic colebat, ut panem duntaxat & aquam sumeret, ac diebus lunæ, Mercurii, & Veneris ab omni cibo abstineret, donec S. Franciscus ac Episcopus Assisinas eam tantæ inediæ moderari jusserunt. Ejus precationes erant continuæ ac fervidæ, quarum efficacitas hac præ-

c. 14. sertim occasione apparuit. Assisium oppugnabant Imperatoris Friderici copiæ & inter has Saraceni sagittarii, qui monasterium S. Damiani jam conscendebant. Sancta Antistita quantumvis ægra ad portam duci, & ante se in capsella argentea eburneæ inclusa Hostiam divinam eo deferri voluit. Ibi prostrata inter lachrymas, Domine! ajebat; Tune ethnicis trades pauperes ac inermes famulas tuas, quas in tui amore educavi? Mox e sacra capsula vocem puerilem audiit dicentem: Ego vos semper custodiam. Et cum etiam pro civitate oraret, eadem vox inquiebat: Urbs patietur ærumnas: sed eam protegam. Confestim Saraceni reliquerunt muros, in quos ascenderant. Papa Gregorius IX. initio Pontificatus sui per litteras se commendabat in ejus preces, ac singularem in ea fiduciam ponebat.

c. 25. Præ austera vivendi ratione solutis viribus per octo & viginti annos affixa lecto, ut se occuparet, ac suæ in SS. Altaris Sacramentum pietati satisfaceret, in

in lectulo ita se curabat erigi, ut sederet; ducebatque tenuissimum e colu filum, ex quo contexta linteola Evchariſtica in viciniæ templa distribuebat. Multos sanabat ægros signum Crucis super eos formando. Virgines suas ad amorem paupertatis, solitudinis, ac silentii, ad oblivionem parentum ac propinquorum, ad laborem manuum per precum intervalla cohortabatur. Sæcul.XIII. A.C.1253. c. 28. c. 21. c. 9. c. 22.

Aula Romana Perusiæ versante anno 1252, Cardinalis Raynaldus Episcopus Ostiensis, Papæ Gregorii IX. nepos, sanctæ Antistitæ ac Ordini ejus apprime favens, cum ejusdem morbum ingravescere comperisset, eam invisere properavit, & divina refecit dape; ad sorores autem sacram orationem habuit. S. Virgo his ei commendatis, ut perfectæ paupertatis privilegium ipsis concessum a Papa & Cardinalibus confirmari curaret, impensissime oravit. Anno sequente 1253 Papa Innocentius Assisii audiens Claram in dies magis langueſcere, ipse ad eam venit. Intravit cænobium cum quatuor Cardinalibus, manumque osculo excipiendam ei præbuit. At illa etiam pedi volebat suavium dare, eique gratificandum erat. Deinde, ut noxis exsolveretur, demisse petiit, dixitque: Utinam hæc absolutio mihi sufficeret! Dabat hanc ei cum benedictione ampliſſima; & S. Virgo c. 25. c. 26.

Sæcul. XIII. A. C. 1253.

go plena ſolatio manſit, cum ſacram communionem eo ipſo die e manu Miniſtri Provincialis accepiſſet.

Vading. an. 1253. n. 5.

Exemplo S. Franciſci teſtamentum condidit, in quo ſuſceptum talis vitæ conſilium memorat, & ſuis ſororibus ante omnia paupertatis ſtudium ad mentem S. Patris ſui commendat. Denique ſpiritum Deo reddidit poſtridie feſtum S. Laurentii 11 Aug. 1253. Ut primum id compertum eſt, tota urbe ad cœnobium S. Damiani accurrente Magiſtratus cuſtodes ibi poſuit, ne corpus auferretur. Cum Fratres Minores inchoaſſent officium pro mortuis, Papa aliud nempe de Virginibus cantari voluit, perinde, ac ſi jam tum eam inter Cælites collocaret. At Cardinalis Oſtienſis eum monebat, ne properaret nimium. Itaque Officium & ſacrum pro vita functis celebratum eſt, atque idem Cardinalis de contemptu rerum fluxarum verba fecit. Non videbatur ſacrum corpus in monaſterio extra urbem ſito relinquendum; ſed intro ad S. Georgii templum, ubi ſanctus Franciſcus primum ſepultus fuerat, deferebatur inter tubarum ſonos & ritu, quam fieri poterat, ſolenniſſimo, Papa & Cardinalibus honoris cauſa præſentibus.

Vita. c. 27. c. 28.

§. XLII.

Sæcul.XIII.
A.C.1253.

§. XLII.

S. Richardus Ciceſtrienſis moritur.

Hoc anno celebres duos Epiſcopos Angliæ mors abſtulit Richardum Ciceſtrienſem ac Robertum Lincolnienſem. Ille a Papa juſſus populos ad crucis militiam pro Palæſtina accendere, ab Eccleſia ſua duxit initium: & maritimis in locis hoc fungens munere Cantuariam, tum Dorobernium venit jam decem diebus æger. Nec tamen labore abſtitit: ſed quotidie dicebat e ſuggeſtu, & ſacramenta Pœnitentiæ, Confirmationis, ac Ordinum adminiſtrabat, donec cunctis viribus exhauſtus eſſet. Dorobernii, cum in hoſpitali domo habitaret, ab ejus Præfecto rogatus, ut cœmeterii ædiculam in honorem S. Edmundi Cantuarienſis exſtructam dedicaret, fecit cum gaudio, ac de his ceremoniis verba faciens, Quamdiu ſum Epiſcopus, inquiebat, ardenter cupii unum ſaltem templum ſancto Domino meo conſecrare, priusquam morerer. Deo gratias ago, quod deſiderium meum fruſtratus non ſit. Scio mortem imminere mihi, quam in veſtras commendo preces.

Vita. c. 3. ap. Boll. to. 9 p. 281. 306.

Altero die ſacrum audiens ſubita animi defectione concidit. Miſſus in lectum, ſe inde non ſurrecturum dixit, juſſitque

p. 282. M. Par. p. 744. 747.

Sæcul. XIII. A.C. 1253.

suas exequias præparari. Reapse triduo post animam efflavit die lunæ 3 Apr. 1253 quinquagesimum sextum circiter ætatis annum, Episcopatus nonum agens, si ab ejus electione ordiamur numerum. Corpus Ciceſtriam relatum, & in templo Cathedrali ad aram, quam ille S. Edmundo dicaverat, humatum est, ubi deinde multa fiebant miracula. Et vero post annos novem Papa Urbanus IV. cœlestes illi publicosque honores decrevit, nimirum 20 Febr. 1262 & Ecclesia die mortis ejusdem memoriam colit.

Mart. Rom. 3. Apr.

§. XLIII.

Roberti Capitonis de curia Romana querimoniæ.

Robertus Capito Episcopus Lincolniensis famam nomenque collegerat puritate vitæ, doctrina, morumque probitatis ac disciplinæ studio: sed hoc amara verborum immoderatione maculavit. Hoc ipso anno, cum præceptum Pontificium, quod justum non censuit, accepisset, Episcopis, qui hoc ipsi miserant, ita scripsit: Apostolicis mandatis reverenter obedio. Sed iis contraria pro sanctæ Sedis honore abnuo. Utrumque me jubet Deus. Apostolica vero mandata non possunt esse talia, ni consentanea sint doctrinæ Apostolorum & ipsius JESU Christi,

Id. p. 749.

Christi, cujus personam Papa in Ecclesia sustinet. Atqui epistola, quam recepi, non convenit Apostolicæ sanctitati. Primo continet clausulam: *Non obstantibus*; quæ inconstantiæ, imprudentiæ, mendacii, fraudis, diffidentiæ radix est ac eversio societatis humanæ. Vult sic dicere: Non datur amplius regula certa, si Papæ liceat abrogare per hanc clausulam leges omnes, omnia pacta singularia suæ voluntati adversa. Ad hæc, pergit ille, post peccatum Luciferi, quod etiam Antichristi erit, non datur grandius, quam animas perdere, eas fraudando cura, quam pastor illis debet, nec nisi temporalia e grege commoda captando. Itaque, cum mali causa sit effectu deterior, certe, qui hos pastores falsos & animarum latrones in Ecclesiam introducunt, his ipsis pejores sunt, Luciferoque & Antichristo tanto propiores, quanto magis illos repellere ob majorem authoritatem suam debent.

Sæcul.XIII. A. C. 1253. p. 750.

Papa plenam potestatem suam a Christo non accepit nisi ad salutem: igitur nihil præcipere aut agere potest, quod ad peccatum tam detestabile ac humano generi tam perniciosum tendat: hoc esset manifesto abuti authoritate, a solio Christi procul recedere, in inferna pestilentiæ cathedra considere. Et quisquis sanctæ Sedi præstat fidem, nec ab ea per schis-

Sæcul. XIII. A.C. 1243.

ma sejungitur, ejusmodi mandatis, vel si a supremo Angelorum Ordine venirent, obtemperare nequit; sed pro viribus debet obsistere. Quam ob rem Venerabiles Domini mei, vobis indico, tantum abesse, ut eis obsequar, ut repugnem etiam: nec ideo contra me vobis acerbum quidquam statuendum est; quod enim facio, ad Papæ ac vestrum honorem spectat.

Quantacunque demum ratione Præsul hic ductus fuerit, duritas expressionum, quæ has implent litteras, ac præsertim ironia seu irrisio aspera, quæ ab initio ad finem ibi regnat, excusari nequit: non enim poterat dubitare, quin mandatum illud revera Papæ fuerit. Et vero is cognita hac epistola graviter offensus Episcopum per Regem Angliæ castigaturus erat. Sed Cardinales dicebant, illum magna existimatione in Francia & Anglia florere. Habetur pro insigni Philosopho, subjungebant; est Latini ac Græci sermonis gnarissimus, Theologiæ Doctor, & concionator puritatis ac justitiæ studiosus, sacrilegi mercatus osor ac vindex. Sic loquebatur inter alios Ægidius Hispanus unus e Cardinalibus ætate provectissimis. Itaque, ne tumultus fieret, Papæ, ut rem dissimularet, suadebant. Erat sane, addit Matthæus Paris, erat, cur caverent, quia scimus, seditionem aliquando fore. Videntur jam tum prævi-

prævidisse, quid post annos trecentos in Anglia eventurum esset. Sæcul. XIII. A. C. 1253.

Sub finem æstatis Episcopus Lincolnienſis in quodam fundo suo ex morbo gravi decumbens, Joannem a S. Ægidio Ord. Præd. artis medicæ peritum ac Theologiæ Doctorem ad se acciri jussit corpori & animæ laturum opem. Huic viro quodam die inter alios sermones de Papa loquens, Vos fratres Mendicantes, ajebat, viros potentes liberius arguendi gratia hanc paupertatem amplexi, nisi eorum criminibus obsistatis, de his vos reos facitis. Et quia noctes jam erant longæ (nam October inibat) Clericis suis colloquii causa vocatis, de animarum damno Aulæ Romanæ avaritiam consequente mentionem inferens, Christus in Terram venit, inquiebat, ut animas sibi adjungeret. Igitur, qui eas perdere non dubitat, nomen Antichristi meretur. *M. Par. p. 752.* *p. 753.*

Ac iterum: Papa per clausulam: *Non obstantibus*, sanctiones suorum antecessorum sine verecundia abrogans, eorum contemptum nimium prodit, & ad antiquandas etiam suas successoribus exemplum præbet. Et rursum: Quamvis plures jam Pontifices Maximi Ecclesiam afflixerint, hic tamen ei gravius imponit jugum, præcipue per fœneratores, quos in Angliam introduxit, ipsis pejores Judæis. Accedit, quod Fratres Prædicatores

Sæcul. XIII. A.C. 1253.

res Minoresque jusserit assistentes moribundis authores esse per testamentum Palæstinæ præstandi auxilium, & sacræ militiæ crucem induendi, ut, seu convalescerent, seu obirent, hæredes ipsorum bona amitterent. Cruce signatos profanis venundat hominibus, ut olim boves ac verveces vendebantur in templo: & indulgentiam metitur pecunia sacro pro bello data. Præterea per litteras mandavit, ut Præsules certis hominibus beneficia, quæ hi voluerint, conferant, quamvis essent extranei, absentes, prorsus indigni, illiterati, linguæ regionis ignari, ita, ut nec e suggestu ad populum dicere, nec sacramentum pœnitentiæ administrare sciant, immo nec inopes adjuvare, nec viatores recipere possint, cum non resideant.

p. 754.

Ut video (quod mihi novum est) Papa virorum potentium favorem sibi conciliandi causa patitur fieri Episcopum qui nunquam se consecrari curet; solum ut proventus acquirat, & simul priores porro accipiat. Tangebat sine dubio Philippum Sabaudum Archiepiscopum Lugdunensem. Excurrebat in vitia Romanæ Curiæ, in avaritiam maxime ac impuritatem: addebatque, illam, ut hauriat omnia, sibi attribuere bona morientium absque testamento, & ut expilet liberius, rapinarum partem Regi cedere.

Quere-

Querebatur etiam, quod Papa ad colligendas pensiones Fratres Mendicantes litteris ac virtuti deditos adhiberet, abutens horum obedientia, ut eos cogeret relictos homines profanos revisere; & quod eosdem magna instructos potestate in Angliam mitteret tanquam Nuncios personatos, quia, nisi Rex poscceret, Legatos, qui hoc nomen induerent, eo mittere haud posset. Sæcul. XIII. A. C. 1253.

Tales erant Episcopi Lincolnienſis querimoniæ, revera acerbæ nimium, sed & nimis fundatæ, ut docent scripta illius temporis, & Papæ ipsius epistolæ. Naturæ debitum reddidit die S. Dionysii 9 Oct. 1253 sanctitatis fama clarus, eoque moriente miracula facta esse dicebantur. Supersunt aliquot ejus opera typis excusa parum memorabilia, & quædam manuscripta. *Cave. Sæc. Schol. p. 497.*

Ex indignis rebus, de quibus Anglia querebatur, aliquas in Francia eodem tempore, sed ab Episcopis factas legimus. Distrahebant beneficiorum fructus annuos, ut augerent numerum Canonicorum, & instituebant aliquos, quibus annonam sacram primo vacaturam destinabant. Absque necessitate petebant a Clero subsidia: parœcias pensionibus onerabant ita; ut Curioni sacro vix restaret, unde viveret. Conferebant illas jure fiduciario possidendas Clericis jam alias *to. II. conc. p. 707. 10. 12. 13. 28. 29.*

Sæcul. XIII. A.C. 1253.

alias nomine proprio habentibus, & quasdam menſæ ſuæ adjungebant, proventibus aliunde ſatis inſtructæ. Atque iſta novimus ex decretis concilii, quod hoc anno die Martis poſt feſtum S. Andreæ ſcilicet 2 Decembris Salmurii ad S. Florentium Petrus Lambalienſis Archiepiſcopus Turonum cum Epiſcopis ſibi obnoxiis celebrabat.

§. XLIV.

Eccleſia Lithuana.

Rayn. 1251. *n.* 46. 47. *&c.*

Mendogo ſeu Mindovo Lithuaniæ Principi, cum quasdam terras an. 1251 Equitibus Boruſſiæ ceſſiſſet, hi ſuaſerant, ut Regis titulum obtinendi cauſa in Papæ clientelam ſe conferret. Itaque ſolennem ad Papam Innocentium Legationem miſit, qui ei ſcripſit in hanc ſententiam: Ut multo cum gaudio audivimus, divina te illuſtrante gratia cum magna ethnicorum multitudine ſalutis fonte tinctus, te, tuum Regnum & omnia bona tua Apoſtolicæ Sedis tutelæ penitus ſubmiſiſti. Quamobrem votis tuis annuentes, ſub jus ditionemque S. Petri recipimus Regnum Lithuanum, cunctasque terras, quas ethnicorum manibus eripuiſti, aut deinceps adimes; ac te cum tua conjuge, liberis, ac familia in fidem ſanctæ Sedis accipimus. Actum Mediolani 16 Jul.

Baudrand. to. I. p. 582.

16 Jul. 1251. Luthavia seu Lithovia, ut in illa regione dicitur, est eadem, quæ Lithuania. Sæc ul.XIII. A.C.1253.

Papa simul per litteras Henrico Episcopo Culmensi præcepit, ut & Mindovo coronam imponeret Regiam, & postquam is Ecclesiam Cathedralem condidisset, dotasset que satis, pro Lithuania Episcopum consecraret, qui Papæ soli esset subjectus, & post sui consecrationem ipsi mox juraret fidem. Etiam Episcopo Rigensi, duobusque aliis ei vicinis Papa scripsit, ut novum Regem in adducendis ad Christum Lithuanis adjuvarent. Biennium abiit: nec tamen Episcopatus institutio executioni data erat: & an. 1253 Papa eam denuo mandavit Archiepiscopo Livoniæ ac Borussiæ, qui, priusquam epistolam Papæ acciperet, in Episcopum Lithuaniæ consecraverat quendam Ordinis Teutonici Sacerdotem Christianum nomine, & ab eo juramentum fidelitatis suo ac Ecclesiæ suæ nomine receperat; id quod Papæ vehementer displicebat. Hoc enim jusjurandum declaravit nullum, & Episcopum Lithuaniæ tanquam S. Petri propriæ debere sanctæ Sedi soli obnoxium esse affirmavit per litteras, quas dabat 3 Sept. 1254.

Rayn. n. 48. 49.

n. 50.

Rayn. 1253. n. 26.

Id. 1254. n. 27.

§. XLV.

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

§. XLV.

S. Ludovici factorum continuatio.

Sanctus Ludovicus absolutis Joppes munitionibus, etiam Sajettam seu Sidonem operibus firmare statuit, eoque profectus est die S. Petri 29 Junii 1253. In via deliberabat, an Naplosam, quæ vetus Samaria est, caperet? Suadebant hoc Templarii, & regionis Proceres; sed ipsum eam adire nolebant, si libertatem vitamve amitteret, Palæstinam perditam esse causati. Cum Rex a suis abesse in animum haud posset inducere, molitio omissa est. Sidonem adveniens comperit, corpora ter mille circiter Christianorum, quos Saraceni tribus vel quatuor abhinc diebus trucidassent, in planitie mansisse inhumata. Illuc, antequam cibum sumeret, se contulit comitante se Legato Odone Castro-Rodulphino, quem ibi cœmeterium quoddam solenni precatione lustrare, tum cadavera eo deferri jussit, quibus colligendis & in saccos mittendis ipse operam dabat, non prohibitus fœtore tanto, ut servi & pauperes mercede conducti ægerrime id facerent. Per quinque dies hunc Rex laborem continuabat, non obstruens nares, ut permulti alii, nec signa fastidii edens. Mane post sacrum petebat locum, & ad Equites suos,

Joinville p. 105. Duchesne p. 458. Sanut. p. 122.

Duch. p. 360. 404. 469. Joinv. p. 108.

Venite,

Venite, ajebat: ſepeliamus Chriſti Martyres, qui plus, quam nos, pro eo pertulere. Inferias illis ſolenni ritu dandas curavit. Sæcul. XIII. A.C. 1254.

Per annum reliquum munienda Sidone occupatus, hoc interim ſpatio e Gallia tum per epiſtolas, tum per nuncios ob id ſolum miſſos intellexit, ex eo tempore quo Regina mater obiiſſet, magnum Regno ſuo periculum ab Anglia & Germania imminere. Quapropter reditus conſilia agitans, accerſitum Legatum ſupplicationes publicas habere juſſit, ut Deus, quid vellet, ipſum doceret: ac denique ſtatuit, per hebdomades verni jejunii iter apparandum curare, & die Paſchatis 12 Aprilis diſcedere. Propoſiti conſcius Legatus die quodam Dominum Jonavillæ domum ſuam & in veſtiarium duxit, ibique obortis ſibi lachrymis, manibus prehenſum ſic alloqui cœpit: O Prætor! gaudeo, ac Deo gratias ago, quod e tot periculis cum Rege evaſeris. Sed & maxime doleo, quod bonam & ſanctam ſocietatem veſtram amittam, & ad Aulam Romanam cum hominibus tam perfidis, quales habeo, redire cogar. Decrevi poſt abitum veſtrum unius anni ſpatio Ptolemaide manere, & quod pecuniæ mihi ſupereſt, in muniendum ejus ſuburbium inſumere, nequid objici mihi poſſit. *Duch. p. 360.* *Joinv. p. 110.*

Sæcul. XIII. A.C. 1254. *Id.* III.

Divulgato Regis propoſito, Patriarcha Hieroſolymitanus ac regionis Proceres eum adierunt, & pro beneficiis, quæ muniendo Ptolemaidem, & Saidam, Cæſaream, Joppen reædificando Palæſtinæ dediſſet, actis demiſſe gratiis, Perbene videmus, inquiebant, tuam hic commorationem, o Rex, Hieroſolymitano Regno haud poſſe amplius eſſe utilem. Quocirca tibi ſuademus, ut Ptolemaidem petas, ut per tempus verni jejunii reditum tuum appares. Rex huic parens conſilio Ptolemaide usque ad ſuum diſceſſum manſit. Suaviſſimo ei ſolatio fuit per tempus ſuæ in Palæſtina præſentiæ quam plurimos Saracenos Chriſto adjunxiſſe. Ejus mira in rebus adverſis patientia, minime flexibilis in propoſito conſtantia, firmitas fidei, & amor Religionis, cujus impulſu relictis Regni ſui deliciis ſe tot periculis exponebat, illos permoverat, ut ſalutem ei ſuam commendarent. Rex apertis exceptos brachiis per Fratres Prædicatores Minoresque ſolicite informari curabat, qui religionis Mahometanæ ineptias, & Chriſtianæ veritatem illis oſtendebant. Vitali aqua lotis ad vitam neceſſaria largiebatur. Multos cum uxoribus ac liberis in Franciam avexit: aliquos præmiſit: omnibus penſiones, quamdiu viverent, aſſignavit. Emit etiam complura mancipia tum ſectæ Mahometanæ,

Matth. Par. p. 759. Gaufr. c. 27. ap. Duch. p. 457.

tanæ, tum falsis addicta Numinibus, & parem eorum curam gessit. His a Saracenis probabiliter tot familiæ, quibus id nomen est, veniunt. Sæcul.XIII. A.C.1254.

Tandem die Veneris 24 Aprilis an. 1254 universi populi, Ordinis Nobilium, Præsulumque ad navim usque comitantium faustis precationibus cumulatus Ptolemaidis portu solvit. Legatum cum magno pecuniæ & copiarum subsidio reliquit, obtinuitque ab eo copiam in nave SS. Sacramentum asservandi, ut ægrotis, sibi, suisque, quoties par esse duceret, sacra communio præberetur. Hoc Legati permissu opus erat, quia cæteri peregrinantes, quantacunque dignitate pollebant, id facere haud consueverant. Rex vas Evcharisticum in navis loco dignissimo poni, & ibi tabernaculum ex auro & serico contextum cum ara erigi jussit, ad quam conversus singulis diebus officium divinum solenniter celebratum, scilicet cunctas preces horarias & sacrum excepto Canone audiebat: sed Sacerdos ac ministri ejus, prout dici officium postulabat, vestiti erant. *p.* 454. *Joinv. p.* 111

§. XLVI.

Episcoporum Cypri cum Latinis controversiæ.

Interim Papa Innocentius Legato Odoni Episcopo Tusculano de Græcis Cypriis man-

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

mandatum misit. Latinus Nicosiæ Archiepiscopus a Papa Gregorio IX. jussus erat prohibere, nequis ex Episcopis sibi obnoxiis aliquem Sacerdotem Græcum ad aram sacris operari pateretur, qui non Ecclesiæ Romanæ obedientiam juratus addixisset, atque omnem hæresim ejurasset ac singulariter proterviam, qua Græci Latinis conversionem panis azymi in corpus Christi exprobrare solerent. Hoc Papæ præceptum Archiepiscopus convocatis provinciæ suæ Græcis Episcopis prælegi curavit ac exponi. Qui contra id multa objiciebant: sed palam obsistere non ausi, ejus exemplum seu apographum & deliberandi spatium postulabant. Interim e templis ac cœnobiis, quidquid poterant, asportantes Abbatibus, monachis ac præcipuis Sacerdotibus Græcis comitantibus clam relicta Cypro in Armeniam se receperunt. Papa, quid hac in re fieri vellet, ab Archiepiscopo Latino consultus, Sacerdotes ac monachos reliquos e Regno pelli, eorumque templa & monasteria Sacerdotibus Latinis committi jussit per litteras, quas dabat 13 Apr. an. 1240.

ap. Rayn. 1240. n. 45.

Rayn. 1247. n. 30. Vading. eod. n. 7. Rayn. 1250. n. 40. 41.

Post annos septem Papa Innocentius IV. Laurentium Fratrem Minorem, quem expiationibus præfecerat, cum ampla Legati potestate misit, ut Græcos cæterosque Schismaticos ad Eccle-

siæ

siæ Romanæ gremium reduceret: qui Græcum Cypri Archiepiscopum, ut Latinorum Præsulum infectationi cederet, ultro exulem revocavit. Is Legatum novum, Episcopum Tusculanum, cum S. Ludovico illam in insulam advectum adiit, & inter ejus manus Ecclesiæ Romanæ obedientiam cum Suffraganeis suis promisit. Tum ad Papam libellum miserunt, quo petebant Sæcul. XIII. A.C. 1254.

1. Ut Archiepiscopus Græcus ac ejus successores haberent libertatem quatuordecim suæ nationis Episcopos consecrandi, eo quod ab omni memoria tot Episcopatus in Cypro essent. 2. Ut in officio erga Romanam Ecclesiam manentes, jurisdictioni Præsulum Latinorum haud obnoxii eadem cum illis libertate gauderent. 3. Ut in suum Clerum ac populum jurisdictionem, quatenus ad spiritualia spectaret, ordinariam exercerent, sicut ante sejunctionem ab Ecclesia Romana, & sicut Præsules Latini, cum plena libertate accipiendi Ordines, & vitam monasticam profitendi sicut ante, quam regio Latinorum ditioni subjecta esset. 4. Ut monachi Græci decimas terrarum, quas suis manibus vel impensis colerent, Episcopis Græcis, non Latinis darent. 5. Ut a judiciis, quæ Græci Episcopi tulissent, ad Papam quidem vel ad ejus ibi Legatum, qui protegere illos deberet, non

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

vero ad Episcopos Latinos appellare licitum esset. 6. Ut Papæ placeret abrogare omnia, quæ Legatus Pelagius Episcopus Albanensis contra illos in pœnam ipsorum contumaciæ statuisset.

Papa se de facti circumstantiis non satis edoctum ratus, ut responsum decretorium daret, Legato Odoni Episcopo Tusculano, qui præsens accuratius rem cognoscere posset, causam commisit cum plena potestate omnia ex consilio Præsulum aliorumque sapientium virorum componendi, prout ad salutem animarum, ad Ecclesiæ pacem & incrementum obedientiæ catholicæ magis expedire crederet.

§. XLVII.

Græcis Cypriis præscripta agendi ratio.

Rayn. 1254. *n.* 7. *To* 11. *conc. p.* 612.

Post quadriennium, nempe 5 Martii an. 1254 Papa eidem Legato fusum misit præscriptum, quo tolleretur controversia Archiepiscopum Nicosiæ ac ejus Suffraganeos Latinos inter & Græcos Cypri Episcopos Ecclesiæ Romanæ obnoxios. Legatus illi significaverat, quænam Latini jura sibi assererent, & qualia Græci responsa darent. Simul decisionem poscenti Papa satisfecit per hanc præscriptionem, quæ præcipue ad ritus Græcos

Græcos in administrandis Sacramentis pertinens viginti sex puncta complectitur. Eorum summam vide! Sæcul.XIII. A.C.1254.

Græci sequentur morem Romanæ Ecclesiæ in unctionibus baptismalibus. Eorum consuetudo catechumenos per totum corpus ungendi tolerabitur, si absque offendiculo aboleri nequeat. Frigidamne an calidam aquam ad baptismum adhibeant, nihil interest. Episcopi soli fonte lustrali tinctos sacro chrismate in fronte signabunt, id est, confirmabunt ad arcana certamina. Nempe apud Græcos hoc Sacramentum una cum baptismo ac sæpissime per Sacerdotem administratur. Quivis Episcopus in templo suo die Cœnæ Domini sacrum chrisma ex olivarum oleo & opobalsamo conficere, aut etiam tolerari poterit, si Græci velint, ut pro veteri more suo Patriarcha id faciat cum Archiepiscopis, vel Archiepiscopus cum Suffraganeis suis. Sacerdotes haud contenti erunt confitentibus de se reis solam unctionem pro satisfactione injungere: sed extrema unctio moribundis dabitur. *Art.* 1. 2. 3. 4. *v. Eucholog. Goar. p.* 367. 5. *Conc. p.* 628. 6. 7. *v. Goar. p.* 432. *Arcud.*

Ad sacrificium altaris quod attinet, Græci poterunt sequi suam consuetudinem illi aquam frigidam vel calidam admiscendi, dummodo credant, consecrationem pariter cum utralibet fieri. Scilicet aquam ferventem in calicem fundunt 8. *Goar. p.* 148.

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

ad significandam Spiritus Sancti virtutem. Non vero debent, addit Papa, Evchariſtiam die Cœnæ Domini vel alias conſecratam ultra quindecim dies ægris reſervare, ne alteratis ſpeciebus ad ſumendum minus habilis fiat, quamvis Sacramenti veritas & efficacitas per diuturnitatem temporis haud evaneſcat.

9.

10. 11. Ni prius, quam Pſalmos antelucanos recitaverint, vel poſt nonam ſacrum faciant, obſervabunt ejus horam & modum priſtinum. Intelligo preces antelucanas,

13. 14. quæ a nobis laudes, a Græcis ὄρθρος vocantur. Calix erit aureus, vel argenteus, aut ſaltem ſtanneus, altare mundum cum Evchariſtico linteolo candido. Mulieres ad aram non ſervient.

15. Græcis licebit ſuam tenere conſuetudinem verni jejunii ſabbatis duplici refectione corpora curandi. Sacerdotes con-

16. 17. juges confitentibus noxas remittere, ſed Epiſcopi aliis quam Parochis hanc poteſtatem dare poterunt. Nimirum Græci monachis quam Sacerdotibus maritis ſa-

18. cras confeſſiones faciunt. Non dubitandum, quin ſimplex puellæ vitiatio pecca-

19. tum ſit mortiferum. Diſerte volumus, ut in poſterum Epiſcopi Græci ſeptem Ordines ſacros ex more Romanæ Eccleſiæ conferant: quia tamen aliter initiati numerum ingentem conficiunt, tolerabun-

Sup. lib. 76. §. 25. tur. Ut jam notavi, Græci tres Ordines Mino-

Minores Oſtiarii, Exorciſtæ, atque Acoly- Sæcul.XIII.
ti non agnoſcebant. A. C. 1254.

Nuptias ſecundas vel tertias ab Apo- *Mon. Orain.*
ſtolo permiſſas Græci non culpabunt. *exerc.14.c.1.*
Sed matrimonium non contrahent intra 20.
gradum propinquitatis, quem ipſi octa- 22.
vum, nos quartum dicimus. Illos ta-
men, qui ſecus egerunt hactenus, per gra-
tiam legis conjunctos eſſe patimur. Sine
ſatisfactione pro gravibus peccatis debi-
ta, vel cum levioribus noxis egreſſas e
corporibus animas purgari, ac Eccleſiæ
meritis adjuvari poſſe cum credant Græ-
ci, volumus, ut purgationis locum no-
biscum purgatorium vocent, quamvis
Doctores ſuos id ei nomen dediſſe negent.
Papa Epiſcopo Tuſculano præcipit, ut hoc
præſcriptum Epiſcopis Græcis exponi
curet, & accuratam ejus obſervationem
injungat; nec minus, ut Archiepiſco-
pum Nicoſiæ ac Suffraganeos ejus nul-
lam Græcis moleſtiam contra illud fa-
ceſſere jubeat.

§. XLVIII.

S. Ludovici reditus in Franciam.

Sanctus Ludovicus cum claſſe rediens
menſes duos ac medium verſabatur
in mari, & per hoc ſpatium nova pieta-
tis ſuæ ac in proximum charitatis ſpeci-
mina dabat. Ter quavis hebdomade in *Gaufr. c.23.*

Sæcul. XIII. A C. 1254. nave concionem haberi, & tranquillo mari nautas singulariter de fide ac peccatis edoceri curabat, id hominum genus rarissime verbum Dei audire reputans. Hos omnes præterea selectis consulto Sacerdotibus conscientiæ vulnera patefacere voluit, in sermone, quem hac de re ipse instituit, memorans, eos sæpe in periculo mortis esse: atque inter alia dicebat: Si navis interim, dum vestrum aliquis criminum virus evomet, illius opera indigebit, ipse seu rudenti trahendo, seu alii labori admovebo manus. Hæc adhortatio non caruit fructu: & multi nautæ scelerum sarcinam deposuere, quod
c. 29. per annos plures non fecerant. Ægrorum quoque curam Rex magnam gerebat, præsertim, ut Sacramenta acciperent. Tertia nocte, postquam Ptolemaidem reliquerat, navis ejus prope Cyprum in arenarum cumulos incurrit, ita, ut magnopere periclitari videretur. Rex ante
c. 30. aram evcharisticam stratus calidas ad
Joinv. p. 112 Deum preces fundebat: & orto die perlustrata navi compertum est, illisum decem & octo circiter pedes trabis imæ ac præcipuæ seu fundamenti abripuisse. Nautæ, quid agendum esset, rogati, aliam in navem transeundum dicebant, timendumque ut præsens adeo concussa mare altum sustineret. Convocato consilio sequendam nautarum sententiam putante,

Rex

Rex iterum accitis instabat hunc in modum: Per fidem mihi debitam quæro: si navis hæc esset vestra & plena mercibus, an exscenderetis? Non, ajebant omnes una voce: mallemus periculis vitam nostram exponere, quam perdere navim, in qua quadragies vel quinquagies mille libras Francicas amitteremus. Tum Rex: Hæc navis quingentos aut sexcentos homines continet, qui, si exscendam, exemplum sequentur meum, & in Cypro manebunt sine spe reditus in patriam suam. Malo vitam meam, Reginæ, ac nostrarum trium prolium Deo committere, quam tanto hominum numero tale damnum creare. Eventus rei sapientiam suscepti consilii declaravit. Nam Oliverius Termesensis Procerum, quos hæc navis vehebat, potentissimus, ultra sesqui annum Regi se denuo adjungere non potuit. Sæcul. XIII. A.C. 1254. p. 113.

Tandem Ludovicus salvus & sospes Provinciam tota cum classe sua attigit, & in portum Areensem exscendit die sabbati 11 Julii an. 1254. Ibi audivit mentionem fieri fratris Hugonis Franciscani per conciones suas ea in regione tantum sibi nomen colligentis, ut ingens utriusque sexus multitudo ipsum pedibus sequeretur. Coram Rege dicere jussus primo sermone suo invectus est in Religiosos, quos magno numero in Regis comitatu Joinv. p. 116 p. 117.

Sæcul. XIII. A. C. 1254.

mitatu esse cernebat. Negabat eos commeare viam salutis, quia sicut piscis extra aquam vivere, sic Religiosus extra cœnobium suum innocentiam conservare non posset; & lautus, quo in aula uteretur, victus continua illi tentatio esset contra severitatem instituti sui. Regem dein monebat, ut justitiam coleret, si pace frui, & a populo suo amari vellet. Legi divinas litteras, inquiebat, & reliquos sacræ Scripturæ libros. Sed nusquam vidi vel Christianos vel ethnicos a suo defeciisse Domino nisi ob læsam æquitatem. Tunc temporis non modo libri Canonici, sed omnia Ecclesiasticorum volumina Scriptura sacra vocabantur. Rex sæpius orando studuit per tempus suæ in Provincia commorationis hunc virum bonum apud se tenere. At is unico die cum illo fuit, & abiit; Massiliæ postea in existimatione sanctitatis mortuus.

Olbia Areæ Rex Aquas Sextias venit, inde ad speluncam sacram iturus, ubi S. Magdalena diu solitaria habitasse, ejusque corpus haberi dicebatur. Sic asserit S. Ludovici hoc in itinere comes Jonavillæ Dominus: idque primum, quod sciamus, testimonium est illius opinionis, S. Magdalenæ ossa in Provincia asservari. Ut legisti, anno 898 Imperator Leo Philosophus ea Constantinopolim deferri jussit: & an. 1146, immo, ut brevi leges, etiam-

p. 118. *Tilmont. to.* 2. *p.* 520. *Sup. lib.* 54. *§.* 34. *Sup. lib.* 69. *§.* 14.

etiamnum S. Ludovici tempore Veſelii in Burgundia eſſe credebantur. Is per Occitaniam & Arverniam Pariſios reverſus, ad S. Dionyſii die Dominica 13 Sept. acceſſit, ibique texta ſerica, grati animi monumenta, obtulit. At cruce ſignatus manſit, ut oſtenderet, ſe votum perſolviſſe ſuum ſibi non videri, ſed tantum ejus executionem pro aliquo tempore ſuſpendiſſe. Sæcul. XIII. A.C. 1254. *Not. Joinv. p. 101. Duchesne p. 362. M. Par. p. 766.*

§. XLIX.

Concilium Albigenſe.

Rex in Occitaniam tranſiens concilium haberi voluit, quod eodem anno Zoënius Epiſcopus Avenionenſis, & ſanctæ Sedis Legatus Albigam convocavit. E Provinciis Narbonenſi, Bituricenſi, & Burdigalenſi multi convenerant Epiſcopi, aliique Præſules: quorum ex conſilio edidit unum & ſeptuaginta Canones, tum ad extirpandam hæreſin, tum ad Cleri correctionem ſpectantes. De hæreticis fere tantum repetuntur decreta Concilii Toloſani 25 abhinc annis nempe 1229 celebrati. Id ſolum obſervo, hoc Albigenſe hæreticos, qui tanquam per vim ad ſanam adducti fidem includebantur, vocare *Immuratos*, eo quod reapſe quatuor inter muros compingebantur. Epiſcopi & Parochi jubentur populo *to. 11. conc. p. 720. ex to. 2. Spic. p. 630.* *Sup. lib. 79. §. 38.* *c. 27. 28.*

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

pulo Christianæ doctrinæ capita exponere, ac puerulos Symbolum Apostolicum, Precationem Dominicam & Salutationem Angelicam docere, id est, primis fidei rudimentis imbuere. Prohibetur, ne

c. 36. Episcopi, cæterique Superiores pro absolutione a censuris quidquam exigant;

c. 36. ne ii, qui beneficia ecclesiastica conferunt, pensionem poscant, vel pactionem ullam faciant; ne Clerici in ludis equestribus scutati hastis certent.

§. L.

Epistola decretoria de litterarum studiis.

Romæ Papa Innocentius magni momenti sanctionem de litterarum studiis ad cunctos Præsules Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Valliæ, Hispaniæ, ac Hungariæ scripsit in hunc modum. Ut dolentes

M. Paris. p. 736. Addit. p. comperimus, Clerici omnes omissa Philosophia (ut jam nihil de Theologia dicamus) legibus profanis studia impendunt sua; & quod pejus est, in plerisque regionibus Præsules ad beneficia & dignitates ecclesiasticas solos hodie Professores Juris vel Advocatos promovent, removendos potius, nisi alia eos ratio commendet. Ita, qui Philosophiæ dant operam, premuntur miseriis, non habentes, quod rodant, & tam male tecti, ut se monstra-

re

re non audeant: dum Advocati cum pompa equis belle ornatis vehuntur, ferico veſtiti, argento, auro, gemmis ſplendidi, & profanorum hominum indignationem non ſibi duntaxat, ſed toti Eccleſiæ accientes. Sæcul.XIII. A.C.1254.

Horum inſolentiam deprimendo ut attollamus ſtudium Theologiæ, aut Philoſophiæ ſaltem, quæ pietatis quidem expers ad ſcientiam ducit, & ab avaritia ſecludit, præcipimus, ut in poſterum nec Profeſſor Juris, nec Advocatus, quantacunque legum peritia excellens ad dignitates vel beneficia eccleſiaſtica promoveatur, niſi artes liberales didicerit, probosque mores habeat. Siquis Præſulum ſecus agat, proviſio erit nulla; & ipſe tunc quidem conferendi copia carebit. Si rurſum contraveniat, erit, cur officii ſui jacturam metuat. Et quia his in regnis profanorum cauſæ per ipſorum conſuetudines, non per leges Imperii deciduntur; ac præterea cauſæ eccleſiaſticæ per Canones ſine legum ſubſidio judicari poſſunt: prohibemus, ne deinceps leges profanæ his in Regnis doceantur, dummodo Reges ac Principes hac de re nobiſcum ſentiant. Anno 1219 Papa Honorius III, cum jus civile Pariſiis tradi nollet, id per celebrem decretalem *ſuper ſpecula* vetuerat, cujus incitamenta poſterior hæc melius declarat. c.28. *extra. de Privileg.*

§. LI.

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

§. LI.

Ecelinus a Papa proscribitur.

Per duos circiter annos quidam Friderici partium Centurio Ecelinus de Romano dictus in Marchia Tarvisiana inauditam exercebat crudelitatem. Initium fecit exeunte Augusto anni 1252 enecando Carnorolam Equitem Veronensem, quem conjurationis contra se initæ caput esse putabat, & Veronæ, Patavio, Vicentiæ, omnique regioni magnam inferre cladem perrexit. Equites, civesque spectabiles turmatim occidebantur in locis publicis; concisa deinde in frusta cadavera colligebantur ignibus absumenda. Amici, propinqui, fratres, ut tyranni gratiam sibi conciliarent, alteri alteros prodebant, vel suismet jugulabant manibus, ipsi post paucos dies ejus jussu perempti. Infantibus Nobilium excæcatis fame in carceribus pereundum erat, ubi etiam multæ matronæ virginesque nobiles moriebantur. Quotidie aliqui expirabant in cruciatibus; clamoresque lamentabiles diu noctuque implebant aures. Nemo tamen publice de tot malis audebat conqueri: Ecelinum laudare, justum, prudentem, patriæ conservatorem dicere, vitam ei ac victoriam precari opus erat: ac ne his quidem blanditiis

Mon. Pad. p. 594.

ditiis agebatur quidquam: ſemper æque crudelis non ætati, non ſexui, non ſtatui parcebat: Clerum, ut populum, Religioſos ut profanos tractabat. Epiſcopatuum, Abbatiarum, cæterorumque beneficiorum bonis occupatis ad perpetranda facilius crimina ſua utebatur. Nec ſacra oratio vel confeſſio, nec acceſſus templorum, nec aliud exterius pietatis exercitium fiebat amplius. Sæcul. XIII. A. C. 1254.

Papa Innocentius ſæpius admonitum coram ſe comparere juſſit tanquam ſuſpectum de hæreſi. Ecelinus per nuncios ſe obtulit ad jurandum ſe credere omnia, quæ crederet Eccleſia. Sed Papa rejecta hac purgatione, eum debere ſe de tali crimine per ſe ipſum purgare aſſeruit. Tandem poſt plures comperendinatus eum Romæ ſolenni ritu die Cœnæ Domini 9 Aprilis 1254 per ſacram deteſtationem jugulavit. Sententia dicit, eum ſub humana ſpecie ferocis beſtiæ cor habere; ſitire ſanguinem Chriſtianorum, humani generis hoſtem eſſe implacabilem; ac ejusmodi opprobria multa continet. Denique tanquam hæreticum manifeſtum declarat diris devotum, & cunctis hæreſeos pœnis ſubjectum Papa per hanc ſententiam ſibi vendicabat jus decernendi de bonis ejus. Ac ea reapſe adjudicavit Alberico ejus fratri

Rayn. 1251. *n.* 36.

to. 11. *Conc. p.* 610. *ap. Rayn.* 1254. *n.* 35. *Raynald. n.* 40.

Sæcul. XIII. A. C. 1254.

tri tunc Ecclesiæ partibus addicto. Difficultas erat in adeunda possessione.

§. LII.

Rex Conradus obit.

Papa etiam Regem Conradum Imperatoris Friderici filium accersiverat, ut ad varia accusationis capita de fide ac moribus responderet: ac Legati, quos hic Princeps Romam miserat, eum publice defendebant. Tum Papa rogantibus Joanne Comite Montfortio, & Thoma Sabaudiæ Comite dilationem vadimonii Conrado dedit usque ad medium jejunium vernum hujus anni 1254. At Rex in Apulia suos progressus continuabat, cum mors eum abstulit 21 Maji, viginti sex circiter annos habentem. Reliquit filium Conradum seu Conradinum nomine, annos duos natum, qui cum Regina Elisabetha matre sua in Germania permanserat. Hunc moribundus Bertoldo Marchioni Honebrucensi, quem in Italia secum habebat, tanquam Tutori commendavit, Apostolicæ Sedis fidei committendum. Itaque Bertoldus Legatos ad Papam misit: qui pupilli defensionem suscepit ea lege, ut Ecclesia Romana mox adiret possessionem Siciliæ, donec infans satis adultus esset, servandæ. Id Papæ docet epistola, qua declarat, se Conradino

Anonym. ap. Ughell. to. ult. p. 765.

p. 766.

ap. Rayn. n. 47.

dino regnum Hierosolymitanum, Sueviam, & omnia jura, quæ ad Siciliam vel alio habere possit, conservaturum. Et permittimus, adjungit, ut omnes regni hujus incolæ nobis jurantes fidem addant: Salvo jure parvuli Conradi. Sæcul. XIII. A. C. 1254.

Interim Anagniam Papa venit propius res Siculas curaturus: ibique die SS. Virginis in cœlum assumptæ 15 Aug. Marchionem Honebrucensem, Manfredum, & partes eorum edicto publico solenniter moneri jussit, ut usque ad Natalem SS. Virginis 8 Sept. liberam Siciliæ possessionem Ecclesiæ Romanæ relinquerent, alioquin proscribendi, omnesque dignitates & alia jura amissuri. Elapso tempore, cum nondum feciſſent satis, Papa in epistola ad Guilielmum Batavum Romanorum Regem 12 Sept. data declaravit, eos in has pœnas omnes incurrisse. *Id. n. 52.*

Eodem tempore Legatum in Siciliam misit Guilielmum Fiescum Cardinalem Diaconum tit. S. Eustachii, filium fratris sui ætate florentem. Huic exercitum dedit & potestatem amplissimam, nimirum Ecclesiæ Romanæ nomine sumendi mutuum, quantum videretur; & accipiendi proventus omnes Cathedralium, & aliarum Regni Ecclesiarum vacantium, immo & illarum, quæ non vacarent quidem, quarum tamen Præsules Ecclesiæ Romanæ rationibus non satis consule-

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

rent. Guilielmus per obtentam facultatem poterat etiam novas collectas imponere ac exigere; monetam novam cudere; privare bonis cunctos Friderici ac liberorum ejus fautores, ac cæteros, qui commoniti ad obsequium Ecclesiæ debitum non redirent; omnes fundos Coronæ proprios revocare; cunctas in prædia beneficiaria inductiones ac reliquas concessiones retexere; denique omnia rebellium deposita occupare. Tantam jurisdictionem 2 Sept. accepit.

§. LIII.

Manfredus se Papæ subjicit.

p. 769. Manfredus Conradini patruus cedente Marchione Bertoldo ejusdem tutor ac regni Gubernator factus, cum magnam Apuliæ Siciliæque partem propendere ad obedientiam Papæ præstandam cerneret, eum humaniter in regnum admittere quam expectare maluit, donec per

p. 770. vim intraret. Igitur edocuit Papam, se paratum esse ad ipsum excipiendum: &

p. 771. Innocentius Anagniæ 27 Sept. ad illum diploma dedit, quo eum in gratiam recipit, & ratum habet decretum, quo ei pater suus Fridericus Imperator principatum Tarentinum, & comitatus Gravinensem ac Ticaricanum tribuerat. Etiam

Rayn. n. 57. vicarium suum in magna regni parte il-

lum

lum constituit. Ingresso proin Papæ Manfredus Ceperanum usque obviam factus, ejusdem equum usque ad pontem Liris freno ducebat. Papa Capuæ a vigesimo Octobris per tempus aliquod commoratus Neapolim petiit, ubi 3 Novembris erat. Sæcul. XIII. A.C. 1254. n. 63. n. 64.

§. LIV.

Contentio inter Universitatem Parisiensem ac Dominicanos.

Hæc civitas fuit, in qua celebres dabat litteras, quibus Religiosorum Mendicantium privilegia constringebat. Rei occasionem exponere decet. Anno 1252 Theologiæ Doctores eam tunc Parisiis tradentes sanxerant, ut in posterum nullus Religiosus, qui collegium non haberet, ad societatem ipsorum admitteretur, atque ut Doctorum multitudinem per codicem sacrum vetitam impedirent, volebant quodlibet Religiosorum collegium uno Doctore suum exercente munus, & unica schola contentum esse. Is vero, addunt, priusquam suo nomine doceat, tentabitur docens ut prima donatus laurea, seu baccalaureus sub alio Doctore. Quisquis honores proximos a Doctorum gradu adeptus, seu Licentiatus fuerit, ab eorum societate excludetur, nisi se huic *Duboul. p. 245.* *Jac. 3. 1.*

Sæcul. XIII. A.C. 1254. constitutioni submiserit. Data est mense Februario an. 1251, nempe an. 1252 ante Pascha. Hic collegia vocantur ædes, in quibus Religiosi communiter vivebant, ut Dominicani, Franciscani, & a brevi tempore Cistercienses.

Id p. 250. Anno sequente 1253 quadam nocte verni jejunii quatuor Academici & famulus quidam laicus ab excubiis vim passi unus illorum peremptus, reliqui vulnerati, per injuriam in carcerem conjecti & spoliati, postridie tamen semianimes dimissi sunt poscente Universitate. Quæ per mensem & amplius a lectionibus suis cessans, frustra postulato sæpius jure, ad urgendam satisfactionem jurejurando se obstrinxit exceptis tribus Doctoribus Religiosis, duobus Dominicanis, & uno Franciscano, hoc juramentum recusantibus. At illa securitati suæ providens sanctionem fecit, ut nemo deinceps in Magistrum aut Doctorem ullius facultatis reciperetur, qui non in pleno congressu, vel saltem coram tribus Doctoribus jurasset, se Universitatis leges observaturum: ut præterea, si qua cessatio lectionum ob causam huic similem contingeret, quisquis eas incipere aut resumere auderet, ab Universitate perpetuo excluderetur. Sic statutum mense Aprili. Tandem Alphonsus Pictavii Comes, absente Rege

Rege fratre suo Regni administrator, eos, qui Academicos tam male habuerant, meritis affici pœnis jussit: duo per vicos raptati e furca suspensi sunt: cæteri in exilium ejecti fuere. Sæcul.XIII. A.C.1254.

Rem altissime repetit ac fusissime narrat epistola, quam anno proximo Universitas cunctos ad Præsules scripsit, & cujus hæc est summa. Fratres Prædicatores Parisios parvo numero delati, cum in sua vivendi ratione speciem pietatis ac utilitatis publicæ præ se ferrent, nobiscum in Theologiæ studium cum fervore ac demissione ingressi sunt. Itaque sincera charitate susceptis domum quandam nobis propriam dedimus, in qua etiamnum habitant. Sic beneficiis nostris proficientium numerus adeo crevit, ut multa modo per omnem terram collegia habeant. Modestiam coluerant initio: sed ambitione tacti, cum esse Doctores cuperent, volebant in rem suam vertere ærumnam, quæ Scholæ Parisiensi accidit, & maximam ejus partem Andegavum transtulit. De rixa loquuntur an. 1229 Academicos inter ac cives orta. In hac raritate discentium, qui Parisiis manserant, & in absentia Doctorum Fratres Prædicatores ab Episcopo & Cancellario Professoris cathedram obtinuere. Conservarunt eam, cum Universi-

Dubou p. 255.

Sup. lib. 78.

Sup. lib. 79.

Sæcul. XIII. A. C. 1254.

versitas Parisiis instaurata esset, suoque nomine alteram erexerunt per nostram indulgentium facilitatem, cum nondum alia Religiosorum Collegia nos coarctarent.

Progressu temporis Parisiis dari sex collegia Religiosorum, scilicet Claravallensium, Præmonstratensium, Vallis Scholasticorum, Trinitariorum, Fratrum Prædicatorum, Minorumque, præter cæteros Regulares Lutetiam venientes litterarum causa, sed collegia non habentes, aliquos Doctoris cathedram conscendisse, alios eo aspirare consideravimus. Præterea Ecclesiæ Parisiensis Canonici, quorum tres apud nos Theologiam docent, consueverunt multiplicare numerum pro ratione hominum idoneorum, quos habent. Denique si urbis statum & Apostolicæ Sedis præscriptum consulamus, vix duodecim Theologicæ facultatis cathedras honeste sustentare possumus, tum ob paucitatem nos audientium, tum ob Fratres Prædicatores & alios aliis in locis docentes.

p. 256.

Cum de his duodecim cathedris novem continenter occupent Religiosi, duæ tantum vel tres restabunt sæcularibus ex omni terrarum parte Lutetiam adeunti-

euntibus. Atque si cætera collegia Fratrum Prædicatorum exemplo duplicare cathedras vellent suas, auditores profani omnes a cathedris Theologicis perpetuo excluderentur; & nos hanc urbem, in qua magnis sumptibus a longo tempore nostra nobis commoda comparavimus, relinquere cogeremur, & loca minus opportuna petere, aut nos totos scientiis profanis applicare, cum tamen Theologia magis necessaria sit Clericis sæcularibus ad regendas Ecclesias & curam animarum vocatis, quam Regularibus, quibus hæc rarius injungitur. Ex his rationibus post maturam deliberationem decrevimus, ut nullum cœnobium duas Doctorum simul docentium cathedras in nostro corpore tenere possit: non tamen obstare volumus, quin Regulares, quotiescunque visum fuerit, fratres suos doceant. Sed huic sanctioni Fratres Prædicatores se totis viribus opponunt. Sæcul. XIII. A.C. 1254.

Postquam injuriam præterito jejunio verno acceptam persequi statuimus, soli Fratres Prædicatores tunc docentes se ad id adstringere recusabant, nisi duas Theologiæ cathedras in perpetuum sibi concederemus. Id vero nequibamus: nec tunc quæstio de scholis illorum vel

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

noſtris erat, ſed de compenſanda injuria nobis facta. Eorum renixus fecit, ut per ſeptem hebdomades & retardaretur compenſatio, & lectiones noſtræ interrumperentur. Interea ſimilem aliorum Doctorum contumaciam præventuri, alia conſtitutione ſanximus, ut nemo ad Doctoris gradum admitteretur, qui non antea juraſſet, ſe decretis noſtris obſecuturum.

p. 257.

Fratres Prædicatores iterum denegabant conſenſum, niſi duas ſibi ſcholas permitteremus: & nos poteſtate per præſcriptum Pontificium nobis data eos a communione ac corpore noſtro ſejunctos declaravimus, idque pro more noſtro per omnes ſcholas promulgari juſſimus.

Tum vero Fratres Prædicatores veteris modeſtiæ ſuæ noſtrorumque beneficiorum obliti, nobis afferre infamiam, nos pietatis ac Religioſorum omnium inimicos dicere, & apud Comitem Pictavii, ejusque Aulicos primarios accuſare, quod leges contra Deum Eccleſiamque univerſalem, & conſpirationes contra Regis honorem, ac regni ſalutem fecerimus. Ad Papam dein & ad Cardinales profecti nemine noſtrum præſente per mendacia & calumnias impetrarunt, ut Venerabilis Epiſcopus Ebroicenſis juberetur nobis author eſſe illos in noſtrum corpus ſalvis decre-

decretis noſtris recipiendi, donec Papa rem melius edoctus aliud ſtatuiſſet. Curaverunt etiam, ut idem Epiſcopus hujus reſcripti executionem Magiſtro Lucæ Canonico Pariſienſi injungeret. Qui nec in jus nos vocans, nec noſtras defenſiones audiens, nec appellationis noſtræ rationem habens, ex altero Papæ reſponſo ad ſe miſſo, Theologiæ, Jurium, Medicinæ Doctores cunctos, & auditores eorum univerſos a functionibus ad tempus abſtinere juſſit: & hanc ſententiam in omnibus Lutetiæ parœciis promulgandam curavit magna laicorum offenſione. Sæcul.XIII. A. C. 1254.

Ut vero noſtrum ſejunctionis decretum per omnes ſcholas ſemel ac iterum novorum auditorum indies ſupervenientium cauſa edici ſolet: miniſtri noſtri ſeu bidelli ad ſcholam Fratrum Prædicatorum venerant: & unus eorum legere decretum cœpit. Sed Fratres, qui magno ibi numero erant, infeſtos inter clamores adverſus miniſtros ibant, & cum eos convitiis operuiſſent, charta e manibus legentis erepta, alium ſic verberabant, ut ſanguinem funderet. Rector ipſe cum tribus artium Magiſtris eo venit: ſed nihilo melius acceptus, re infecta abiit. Inſuper Magiſtrum Lucam adegerunt, ut per epiſtolam teſtaretur, e Doctoribus & audito-

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

auditoribus noſtris quadraginta ſe præſente conſenſiſſe, ut illi ad noſtrum corpus admitterentur. Sed hæc epiſtola coram nobis publice lecta cum nominati negarent factum, Magiſter Lucas in ruborem datus, ejus ſigillum ipſe rupit, miſitque aliam, in qua contrarium aſſerit. Nos utramque aſſervamus. Idcirco veriti, ne Fratres Prædicatores in omnes diffuſi Eccleſias fratres ſuos Pariſienſes defendendi gratia factorum veritatem tegerent, vos nobis informandos duximus, ut illorum molitionibus, quarum conſectaria videtis, convenientia afferatis remedia: alioqui timendum, ne labante Schola Pariſienſi, quæ fundamentum eſt Eccleſiæ, ipſum ædificium periclitetur. Hæc epiſtola ſcripta in urbe S. Juliani pauperis ibi legebatur in conſeſſu Doctorum die Mercurii poſt Purificationem an. 1253 nimirum 4 Febr. 1254. Alibi nondum legi Scholam Pariſienſem fuiſſe fundamentum Eccleſiæ.

Guil. a S. Amore p. 38. 39. 500.

Mat. Par. p. 806.

Eodem anno Pariſiis palam explicari cœptus eſt liber inſcriptus *Evangelium Æternum*, Joanni Parmenſi tunc Miniſtro Fratrum Minorum Generali attributus. Nitebatur in doctrina Abbatis Joachimi, & plures continebat errores. Perhibebat, Evangelium Chriſti finem habiturum an.

an. 1260, ut succederet Evangelium æternum priore tanto superius, quantum sol lunæ præstaret: id fore Evangelium Spiritus Sancti, qui præscripturus aliam vivendi rationem, Ecclesiamque aliter ordinaturus esset. Hujus doctrinæ odium in Dominicanos æque ac in Franciscanos rejiciebant Doctores Parisienses, quos inter vehementius eos impugnabat Guilielmus a Sancto Amore palam conquerens, novos Religiosos suis abutentes privilegiis hierarchiæ ordinem turbare. Sæcul.XIII. A.C.1254.

§. LV.

Litteræ Pontificiæ contra molimina Regularium.

Papa Innocentius auditis pluribus ejusmodi querimoniis ad omnes omnium Ordinum Religiosos litteras dedit, in quibus postquam Præsulum & Cleri sæcularis querelas exposuit, ita loquitur. Quandoquidem hæ molitiones Parochos in contemptum adducunt, ac verecundiam, quæ magna pœnitentiæ pars est, auferunt, dum populus non pastori suo semper præsenti, sed extraneo cuidam confitetur, quem nonnisi transeuntem videt, & ad quem in necessitate refugere vix aut ne vix quidem potest: disertis prohi- *Bulla: Etsi animar. præf. S. Am. p. 74. Duboulai p. 270.*

Sæcul. XIII. A. C. 1254.

prohibemus verbis, ne Dominicis ac festis diebus alienæ parœciæ homines absque discrimine vestra in templa, & sine Parochi sui permissu ad sacra tribunalia admittatis: nam ex Concilio generali, si quis justam ob causam Sacerdoti extero confiteri velit, id faciendi copiam a Parocho suo obtinere debet, aut ei prius confiteri, & ab eo absolutionem accipere.

Atque ne templis parochialibus congruens pietatis exercitium subtrahatur, sacrificii hora, qua parochianis ibi comparendum est, vos in templis vestris sermones non habebitis, ne populus hos audiendi gratia a parochialibus templis absit. Sed nec aliis in parœciis sacras dicetis orationes, nisi vos Parochus invitaverit, aut ejus permissum humiliter petieritis. Et ut Episcopis debitus habeatur honor, illo die, quo Episcopus Diœcesanus, vel ejus loco alius de rebus divinis solenniter ad populum dicet, eodem in loco, præsertim si Cathedralis sit Ecclesia, nemo vestrum e suggestu verba faciet, ne concio nimis frequens fastidium pariat, & in contemptum veniat. Si vestris in templis alienæ parœciæ hominibus sepulturam in quodam casu, in quo licebit, dabitis, remunerationis partem dimidiam, aut tertiam, vel quartam

Epis-

Episcopo vel Parocho tradetis ex decreto Papæ Gregorii. Hæ litteræ Neapoli 21 Nov. 1254 ad omnes Religiosos scriptæ ponunt aliquos habere parœcias sicut Canonicos Regulares. Sæcul.XIII. A. C. 1254.

§. LVI.

Papa Innocentius IV. moritur.

Interim novus in Sicilia Papæ Legatus, Guilielmus Cardinalis Diaconus tit. S.Eustachii authoritatem suam sic extendebat, ut Manfredi partes dicerent, hunc Præsulem non Gubernatorem sed Dominum agere; Papamque velle regnum sibi vendicare, ac familiam Cæsaris Friderici extinguere. Præterea Procerum quidam Burelius nomine, qui, ut se Papæ addiceret, a Manfredo desciverat, ab hujus clientibus & satis prope ipsum occisus est, quanquam ejus injussu, ut perhibebat. Sed Papa contrarium credidit: & Manfredus se non securum ratus, ut ab illo etiamnum Capuæ morante se removeret, per vias aversas Nuceriam adiit, cujus incolæ Saraceni apertis eum brachiis 2 Nov. excipiebant. Magnis ibi opibus repertis intra modicum tempus numerosam collegit manum. Cumque Legatus ac exercitus Papæ Trojam

Anon. ap. Ughell. p.771.

Epist. Manfr. ap. Petr. de Vin. II. c. 5.

Anon. p.792. p.794.

&

Sæcul. XIII. A. C. 1254

p. 801.

& Foveam prope Nuceriam occuparent, pars copiarum Manfredi pugna se implicuit, quæ huic occasionem dabat Foveam intrandi die Mercurii 2 Decembris an. 1254. Præsidium nocte sequente abiit; ac eodem tempore Legatus trepidans Trojam præcipiti fuga reliquit: sic Manfredus utroque loco potiebatur.

Legatus Neapolim se recipiens ibi comperit, Papam Innocentium IV. 7 Decembris posuisse vitam, cum Sedem Apostolicam annos undecim, menses quinque, dies quatuordecim tenuisset. In Cathedrali Templo Neapolitano terræ mandatus est, ac Romanum interregnum ultra septendecim dies non duravit.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER LXXXIV.

ALEXANDER IV. PAPA.
IMPERIUM OCCID. VACAT.
BALDUINUS II. IMP. ORIENTIS.

§. I.

Alexander IV. Papa.

Cardinales cum tota Aula Romana Manfredi victoria territi cogitabant relicta Neapoli redire in Campaniam. Sed Marchio Bertholdus absolutos metu vehementer urgebat, ut congregati Papam eligerent. Itaque die Christi Natali

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

Anonym. ap Ughell. to. 9. p. 803.

Sæcul. XIII. A.C. 1254.

tali cooptabant Cardinalem Raynaldum Epiſcopum Oſtienſem, qui aſſumpto ſibi Alexandri IV. nomine coronatus eſt ſequente die Dominica S. Joanni Evangeliſtæ ſacra 27 Decembris an. 1254. A Comitibus Signianis oriundus patrem habuit Philippum Papæ Gregorii IX. fratrem, primamque aſpexit lucem in arce Jennenſi Diœceſeos Anagnienſis Abbatiæ Sublacenſi obnoxia, ubi diu manſit, & Cathedralis Eccleſiæ Canonicus fuit. Papa patruus ſuus eum primo Cardinalem Diaconum tit. S. Euſtachii, dein Epiſcopum Oſtienſem an. 1231 creavit. Singulari probitate morum, in Deum ac Cælites pietatis ſtudio & abſtinentia clarebat; ſed nimis faciles adulatoribus aures præbere dicebatur. Ultimo Decembris die epiſtolam ex more ſcripſit ad omnes Epiſcopos circumferendam, qua eis de ſuo Pontificatu dabat notitiam, & in omnia ſacra ſe commendabat.

Papebr. conat.
Rayn. to. 2. init.
Ughell. to. 1. p. 83.
M. Par. p. 771.

Primas ad ſiſtendos Manfredi progreſſus curas convertens Legatum in Siciliam miſit Octavianum Ubaldinum Cardinalem Diaconum tit. S. Mariæ *in via lata*, qui ſuum Vicarium Generalem eſſe juſſit quendam Fratrem Minorem Ruſinum nomine Pontificio ſacello & expiationibus præfectum, magnæ exiſtimationis & induſtriæ hominem. Et quia Manfredus omiſerat Papæ pro more Princi-

Rayn. 1255. n. 2. 3.
Anonym. p. 806.
Vading. 1255. n. 13.

pum

pum ſummam dignitatem gratulari, Alexander Epiſcopum quendam miſit, qui eum juberet die Purificationis in aula Pontificia comparere, ut de cæde Burelii Anglonii, ac de injuria reſponderet, quam ſanctæ Sedi feciſſet Legatum Guilielmum ac Eccleſiæ copias ex Apulia fugando. Manfredus reſpondit per litteras, ſe ſuum & Conradini jus tuendo nullam Eccleſiæ Romanæ injuriam intuliſſe. Poſtea tamen ad Papam duos, qui ſibi a ſecretis erant, de pace acturos miſit, ſuos progreſſus bellicos non ideo interrumpens. Sæcul.XIII. A.C.1255. *p.807.*

§. II.

Eccleſiæ Septentrionales.

Cum Religio in Livonia incrementum caperet, Papa Innocentius IV. permiſerat, ut Archiepiſcopus ſedem ſuam figeret in quadam ſuæ ditionis Eccleſia Cathedrali, quam idoneam ſibi crederet; vacantem proin Sedem Rigenſem is in Metropolitanam elegit probante Papa Alexandro per litteras 20 Jan. 1255 datas. Igitur ab eo tempore Riga Livoniæ Eſtoniæque ac Boruſſiæ Metropolis fuit. Haud multo poſt Papa huic Archiepiſcopo mandavit, ut novum Epiſcopatum, quando ita videretur, erigeret in gratiam ethnicorum viciniæ, quos duo fratres nobiles Otto Luneburgius ac Theodori- *l.ep.342. ap. Rayn. n.64.* *ep.294. R. n.63.*

Sæcul. XIII. A. C. 1255.

cus Kivelius ad fidem ſanam adduxiſſent: omnia ſalvo jure Equitum Teutonicorum. Scripſit 19 Martii.

Modico abhinc tempore Papa annuerat, ut Mendogus Lithuaniæ Rex per Epiſcopum Latinum, quicunque ipſi placeret, filium ſuum coronari Regem curaret, terrasque illi, quas ethnicis Ruſſiæ adimere poſſet, conceſſerat. Sed hoc ipſo anno 1255 Mendogus armis in Chriſtianos converſis, Lublino in Polonia incenſo, multa mancipia in Lithuaniam abſtraxit. Sic fides, quam profeſſus erat, nihil habebat ſolidi: ejusque ſucceſſores per annos centum triginta porro falſos coluere Deos.

Sup. lib. 83. §. 43. Rayn. 1253. n. 37. 38.

A fine anni præteriti magnus Cruceſignatorum exercitus Boruſſiæ Chriſtianis auxilio venit duce Ottocaro novo Bohemiæ Rege, cujus nepos Otto Marchio Brandenburgicus hac in expeditione Mareſchallum agebat: comitabantur Dux Auſtriæ, Marchio Moraviæ, Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, Anſelmus Epiſcopus Olomucenſis; & ſequebantur ſacri totius Germaniæ pugiles tanto numero, ut ſexaginta millia conficerent. Advenerunt in hyeme, & Chriſtianorum terris parcentes ethnicorum loca direpta cremabant. Boruſſis prælio victis & magna ex parte captis, Rex Ottocarus cunctis baptiſmum accipientibus, & deſerto-

Dusburg. Chr. Pruſſ. p. 173. Dubrav. lib. 17. p. 137.

ribus

ribus Religionis ad Ecclesiæ sinum re- Sæcul. XIII.
deuntibus vitæ gratiam fecit; reliqui o- A. C. 1255.
mnes necati sunt. Duo Borussorum Duces primarii urbi cuidam se incluserant; ubi ob annonæ penuriam obsidioni sustinendæ impares consilium ab incolis petebant. Qui responderunt: Jam statuimus Christianam religionem amplecti potius, quam unacum nostris liberis ac bonis perire. Nos idem decernimus, subjungebant Duces, quia clare videmus, nos incassum pugnare contra Deum.

Igitur se Regis Ottocari arbitrio postridie permissuros urbem per nuncios promisere. Admisit ille: & mane duos Borussorum Duces Episcopus Olomucensis lustrali fonte tinxit: e quo Rex alterum, alterum Marchio Otto suscepit, suoque impertivit nomine. Utrumque Rex toga candida ex serico auroque contexta induit, suumque amicum dixit. Tum ethnici reliqui non ejus duntaxat urbis sed totius Borussiæ certatim ad salutis aquam accurrebant. Rex usque ad mare Balticum victor progressus, ad construendam ibi urbem, cui Montis Regii nomen posthæc inditum, necessaria mandata edidit, quæ Equites Teutonici executioni dederunt. Etiam Episcopus Olomucensis Regis permissu urbem condidit, & Montem Brunonis ex suo vocavit nomine, ubi Albertus Episcopus Var-

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

mienſis aliquamdiu ſedem habuit: ſed nova urbe a Boruſſis combuſta, Elbingam ſe recepit, ubi magna in ſenectute obiit. Bruno Epiſcopus Olomucenſis erat natione Saxo, genere Comes Stheumbergius: Eccleſiam ſuam reddidit opulentiſſimam, multos ei fundos comparavit, & loca quædam munitionibus cinxit: multos templis reditus annuos attribuit, multaque prædia beneficiaria erexit, ita, ut magno Equitum numero ſtipatus incederet, cum ejus anteceſſores pauci tantum Eccleſiaſtici comitarentur. Vide, quo ex capite tunc Epiſcopi laudati fuerint!

Diſſert. Pruſſ. p. 213. De Epiſc. Olom. p. 182. Frecher.

§. III.

Litteræ Pontificiæ in gratiam Religioſorum Mendicantium.

Papa Alexander apprime favebat Religioſis Mendicantibus; ut ab ingreſſu Pontificatus ſui oſtendit per litteras ad omnes Epiſcopos & generatim ad omnes Eccleſiaſticos ſcriptas, quæ ſic inchoantur: Nihil extraordinarium eſt attentius examinare id, quod per anteoccupationem aut præcipitem celeritatem actum eſt. Cum dein retuliſſet, quid continerent litteræ Innocentii IV. 21 Nov. an. 1254 datæ, quibus initium: *Etſi animarum*, quæ Religioſorum Mendicantium privilegia

ap. Vading. append. to. 2. p. 18. Duboulai p. 273. Sup. lib. 83. §. 55.

legia conſtringerent, addit: Quoniam hac de materia diligentius deliberare ſtatuimus, præcipue pacem ac quietem Eccleſiarum optantes, eas litteras, cæterasque omnes, forſitan eadem de re contra eosdem Religioſos ſcriptas, & omnia per conſecutionem facta omnino retexenda duximus, vetamusque, ne illas exequamini. Dabat ultimo Decembris an. 1254 nempe quinto ab accepta corona die. Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Poſt tres menſes fuſum edidit diploma finiendis inter Doctores Pariſienſes ac Dominicanos controverſiis, atque Univerſitati pro regula ſerviturum. Sic incipitur: Schola Pariſienſis eſt velut arbor vitæ in terreſtri paradiſo, aut velut lampas accenſa in domo Domini. Et poſtquam in hujus Scholæ laudes excurrit, narrat originem contentionis inter Doctores ſæculares ac Dominicanos, & qua ratione horum duo, Frater Bonushomo & Frater Elias quibusdam Univerſitatis ſanctionibus ſe ſubmittere recuſaverint, quæ hanc ob cauſam eos a ſocietate ſua excluſerit. Tum inhibitionem, ne Regulares eodem in cœnobio duos Doctores ſuo munere fungentes habeant; & Fratrum Prædicatorum, Minorumque appellationem ad ſolium Apoſtolicum refert, ad quam nec decretoriam ferre ſententiam, nec rem conficere potuerit Papa Innocentius morte præventus. *Duboulai. p. 282. Vading. an. 1253. n. 2. M. Par. p. 781.* *Sup. Lib. 83. §. 54.*

Sæcul. XIII. A. C. 1255.

Alexander auditis duarum partium Procuratoribus & Magistro Dominicanorum Generali declarat, se pro bono pacis statuisse sanctiones Universitatis moderari congruenter cuidam Gregorii IX. decreto. Igitur fusissime modum, quo Cancellarius Parisiensis docendi copiam faciat, præscribit, permittitque, ut hic ea potestate impertiat tot Doctores, quot decere putaverit, nullum eorum figendo numerum ne Regularium quidem. Ratam habet statutam cessationem lectionum, si Universitati fiat injuria. Denique pristinum in locum restituit Doctores Ord. Præd., ab Universitatis corpore sejunctos: huic mandat, ut eos recipiat, & omnes sententias contra eosdem latas retexit. Hoc diploma datum est 14 Aprilis an. 1255 & dicitur *Quasi lignum vitæ* ob verba, per quæ inchoatur. Papa simul Episcopis Aurelianensi & Antisiodorensi præcepit, ut has litteras executioni darent, ac singulariter ut duos Doctores Dominicanos Bonumhominem ac Eliam in prioribus cathedris reponerent. Idem etiam Doctoribus Parisiensibus diserte imperavit.

Vading. append. t. 2. p. 23. Duboulai to. 3. p. 286.

§. IV.

S. Ludovici virtutes.

ap. Rayn. n. 42. 45.

Eodem pene tempore Papa S. Ludovico petenti duplicem præstitit gratiam, ut

ut docent duo diplomata 25 Apr. an. 1255 data; in quibus eum prædicans dicit, Franciam, quamvis sua nobilitate regna cætera antecellat, per splendorem ejus virtutum altius eminere; eum magnam gubernando regno suo, sed præcipuam suæ saluti curam impendere; delicias, & quidquid soli serviret corpori, contemnere, ut emolumento ac decori animæ suæ tanto magis studeret. Consentit proin, ut nec Ludovicus, nec Margarita ejus conjux, nec Reges successores anathemate vel interdicto percelli possint absque singulari Apostolicæ Sedis mandato. Præterea decem dierum indulgentiam concedit omnibus, qui Deum orarent pro Rege vivo, & post ejus obitum per annos decem. Crebritas censurarum, & has irrogandi facilitas eum cogebat adhibere cautiones ad se suosque tuendos. Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Ludovicus in Galliam reversus exercitia pietatis auxit bonaque opera sua. In corporis cultu & moribus demissior, accuratius subditis jus dicebat, & plus charitatis afflictis omnibus exhibebat. Trans mare etiamnum agens audierat, magnum quendam Sultanum sedulo cunctos in libros inquirere, qui Musulmannis philosophis esse necessarii possent; illosque suis descriptos sumptibus ac in bibliotheca sua reponere, ut litteratis omnibus, quando illis haberent opus, com- *Gaufr. de Belloloco. c. 31. c. 23.*

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

munes essent. Sanctus Rex ethnicos majore superstitionis suæ, quam Christianos veræ Religionis studio flagrare videns, ac videndo commotus statuit, post suum in Franciam reditum omnes libros ecclesiasticos authenticos utilesque, quos in bibliothecis Abbatiarum invenire posset, impensis suis transcribendos curare, ut ipse primus omnium, deinde docti ac Religiosi, quibus ad ipsum aditus esset, illos in emolumentum tam suum quam proximi legerent.

Hoc propositum fideliter exequens, ea tantum de causa ad gazophylacium Parisiensis sacelli sui locum securum & commodum exstruxit, quo SS. Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, cæterorumque Doctorum catholicorum exempla seu apographa plura congessit sedulo, quæ perlibenter & ipse, cum ei vacaret, pervolvebat, & aliis versanda dabat. Malebat vero libros denuo scribendos curare, quam scriptos emere, dicebatque, sic præter numerum etiam utilitatem eorum crescere. Partem librorum, quos ita in bibliothecam suam Parisiensem collegerat, Fratribus Minoribus aliam, aliam Dominicanis, reliquam Cistercienſibus Montis Regii testamento reliquit: quam Abbatiam in Diœcesi Bellovacensi pro centum quatuordecim monachis ipse condiderat. Quoties legebat coram quibus-

Gall. Chro. to. 4. p. 776.

dam

dam familiaribus illiteratis, lecta de ser- Sæcul.XIII.
mone latino in gallicum scitissime conver- A.C.1255.
tebat. Legebat autem libentius libros Patrum utpote stabilitæ admodum authoritatis, quam Doctorum recentium.

§. V.

Vincentius Bellovacensis.

Sancti Ludovici bibliotheca fuit, quæ Vincentio Bellovacensi opportunitatem dabat componendi librum suum, quem Speculum Magnum vocabat. Vincentius Bellovaci natus Ordinem S. Dominici vix institutum intraverat. Lectioni præcipuam & compositioni operam navantis fama usque ad aures Regis S. Ludovici pervenit, qui benevolentiæ causa Montem Regium, quo sæpe divertebat, illum venire jussit. Vincentius apud eum lectoris munere fungebatur, ac regiorum Principum studia inspiciebat; fortassis etiam monachos auditores habebat & discipulos. *Echard. summa S. Tho. vind. p. 73. p. 16. p. 19. 20.*

Igitur Regis beneficio libris affluens, litteras faciliores reddendi gratia e cunctis, quos legerat, authoribus sacris & profanis, quæ utiliora videbantur, in unum congessit corpus: idque a *Speculo mundi*, seu libello, quem hoc sub nomine prius ediderat, distincturus *Speculum Magnum* dixit. Hoc grande opus in tres divisit *p. 491. p. 41. p. 46. p. 74. 75.*

Sæcul. XIII. A. C. 1255.

divisit partes. Primam nuncupavit *Speculum Naturæ*, quia totam historiam naturalem complectitur. Alteram appellavit *Speculum doctrinæ*, quoniam de scientiis omnibus agit. Tertiam nominavit *Speculum Historiæ*, eo quod contineat totam seriem historiæ ab orbe condito usque ad annum 1250, vel potius 1253. quia refert Petri Veronensis martyrium & ad Cœlites adscriptionem.

p. 500.

Vinc. lib. 31. c. 204. p. 65.

In præfatione totius operis author quasdam observationes facit, quæ produnt qualis Critica illius temporis fuerit. De authoritate librorum loquens post litteras sacras Summorum Pontificum Decretalibus primum decernit locum, Gratiani exemplum sequens, qui authoritate Leonis IV. nititur, nec animadvertit, hunc Papam Decretales a S. Silvestro incipere; cum Gratianus adhibeat omnes, quas Isidorus collegit, & antecessoribus Leonis attribuit. Ita Vincentius has falsas Decretales non modo scriptis Patrum, verum etiam canonibus conciliorum præfert, S. Bernardum inter Patres numerat; & S. Anselmum Bedam, Alcuinum, Rabanum, & alios in loco minore ponit. Agnoscit, se quædam e scriptis incerti authoris ac dubiæ fidei excerpta, quæ nec defendat, nec rejiciat, inseruisse, eo quod ea legere salva fide possint credentes, Deum relata facere potuisse: & hoc prin-

dist. 20.

p. 58.

principium promit e quodam opere, quod S. Hieronymo perperam adscribitur. Inter historias serias eundem cum Cæsare ac Suetonio locum tribuit historiæ Caroli Magni sub nomine Archiepiscopi Turpini priore seculo excusæ. Fatetur, se annos accurate notandos haud suscepisse ob authorum hac in re discrepantiam, ac historiæ Ecclesiasticæ studium suo tempore neglectum queritur.

Sæcul. XIII. A. C. 1255.

de nativ. S. Mar. to. 3. p. 443.

p. 76. ap. Reuber p. 67. Ech. p. 50. p. 43.

§. VI.

S. Ludovici in Religiosos Mendicantes propensio.

Inter omnes Religiosos Ordines maxime duos Mendicantes Fratrum Prædicatorum Minorumque amabat Rex S. Ludovicus, dicebatque, se, si dividi posset in partes duas, utrique Ordini unam daturum esse. Aspirans igitur ad perfectionis apicem, statuerat filio in spem regni genito, cumprimum is ætatem haberet idoneam, plane coronam cedere, atque alterutrum intrare Ordinem bona Reginæ conjugis venia, cui hora tempestiva id clam aperuit. Illa silentium quidem petitum promisit, sed in rem neutiquam consensit, rationes solidas, ut eum inde avocaret, afferens. Remansit ergo in aula; sed a rebus fluxis animum magis sem-

G. de Bello. c. 12.

per

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

per magisque avertens, in demissione Deique timore tanto longius procedebat.

c. 14.

Filios geminos sibi trans mare peregre agenti natos Joannem Tristanum ac Petrum, postquam ætatem rationis compotem attigissent, Parisiis apud Dominicanos alterum, alterum apud Franciscanos educari testamento jussit, ut pietate ac litteris imbuerentur, & in eorum cœnobiis convenientia illis conclavia præparari voluit, sperans fore, ut progressu temporis Deus illis vitam religiosam in his sanctis familiis amplectendi desiderium inspiret. Pari modo filias suas Isabellam & Blancam habuit. Etiamnum ultra mare versans priori epistolam sua scripsit manu, ut contemptis rebus profanis Parthenoni cuidam nomen daret, magnopere hortans. Blancam Deo in Abbatia Malbussoniana prope Pontœsiam obtulit, in probitate ac vitæ religiosæ studio educandam. Sed aliud statuit Deus: nam omnes quatuor Principes matrimonium inierunt.

Hæc Religiosorum Mendicantium existimatio, & hic in eos favor erat inter præcipuas causas invidiæ Doctorum secularium ac veterum monachorum. His novis advenis exprobrabant, quod Principum Præsulumque mensas appeterent, honorifica ibi loca tenendi, genioque indulgendi

Guil. a S. Amb. p. 9. 10.

dulgendi gratia ; id quod illos in obsequendo promptos & adulatores esse cogeret; quod multis se negotiis immiscerent; Procerum Præsulumque consiliis interessent; cum eis sedem caperent in tribunalibus ad jus dicendum. Præterea, cum hi novi Religiosi per suam doctrinam & ardens Dei gloriam promovendi studium se necessarios redderent, eorum cum monachis dotatis comparatio faciebat, ut isti venirent in contemptum tanquam homines otiosi ac inutiles. Sæcul. XIII. A. C. 1255. p. 12.

§. VII.

Fratres Minores Episcopi.

Multos jam Episcopos ex Ordinibus Fratrum Mendicantium productos vidimus ; & invenio tres Fratres Minores Episcopos, quorum mentionem faciunt diplomata hujus anni 1255. Sedes Tarvisiana vacabat per translationem Petri Pierii Veneti ad Episcopatum Venetum a Papa Alexandro 13 Febr. confirmatam. Pro eligendo successore in partes itum est, quibusdam Canonicis Albertum Riccium Ordinis Minorum Vicentinum Theologiæ Professorem, cæteris Bartholomæum Quirinum Clericum Venetum cooptantibus. Re ad Papam delata, Frater Albertus in Pontificii Senatus *Ughell. to.3. p. 483. Vading. an. 1255. n.17. Rayn.n.16.*

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

natus frequentia cedebat jure suo, Papæ supplicans, ut sibi liceret dies suos finire in paupertate ac demissione, quam pridem amplexus esset. Verum Papa viri modestia motus, electione rata habita, eum Ecclesiæ Tarvisianæ præesse jussit, ut docet diploma Anagniæ datum 20 Augusti anno 1255.

Vading. append. to. 2. p. 30.

Id. 1255. n. 17

Alter Frater Minor est Rainerius Mainæ in Morea Mainotarum urbis principis Episcopus, cui Papa hoc anno copiam fecit in Italia vel alibi manendi, quamdiu in Diœcesi sua non foret securus a bellis, ac ipsius reditus ethnici occuparent. Tertius est Frater Lopesius Hispanus, quem Papa Innocentius IV. Episcopum Marocensem creaverat anno 1246. Cum ille anno 1255 in Hispania esset, Papa Alexander per diploma 13 Maji scriptum ei potestatem dedit classicum canendi contra Saracenos Africæ, quibus inferre bellum parabat Alphonsus Castellæ Rex. Injunctum Lopesio mandatum se in Hispaniam & Vasconiam extendebat; & indulgentia eadem, quæ Palæstinam petentibus, erat concessa. Etiam authoritatem Legati ad omnes Africæ Christianos illi Papa contulit. Castellæ Rex in locis, quæ ipse ac ejus antecessores Saracenis ademerant, nempe Carthagine Nova, Silvis, & Bagoxi tres novas Ecclesias Cathedrales erexerat: sed difficile fuit earum

Id. 1246. n. 9.

Rayn. 1253. n. 49. 50.

n. 31.

rum Diœceſes terminis circumſcribere, quia longa ethnicorum poſſeſſio horum documenta deleverat. Igitur Papa hoc quoque munus Lopeſio Marocenſi Epiſcopo impoſuit. Sæcul. XIII. A. C. 1255.

§. VIII.

Alphonſus Sapiens Caſtellæ Rex.

Ferdinandus Caſtellæ Rex anno 1252, regiminis ſui trigeſimo quinto, die Jovis 30 Maji ad Deum exceſſerat, noſtra ætate inter Sanctos relatus a Papa Clemente X. anno 1671. Succeſſit ei filius natu major Alphonſus X, cui ſuus ſcientiarum, præſertim Aſtronomiæ amor fecit cognomen Aſtrologi, ſeu Sapientis, nempe Docti ſecundum linguam illius temporis. Condidit Univerſitatem Salmanticenſem, magnisque inſtruxit proventibus. Papa rem ratam habuit hoc anno 1255; & conſenſit, ut omnes exceptis Regularibus, ibi Jus Civile per triennium audirent, ac Doctoribus inibi creatis liceret Profeſſoris munus exercere in omnibus cæteris Univerſitatibus, Pariſienſem ſi demas & Bononienſem. *Vit. ap. Boll. to. 18. p. 362. n. 149. p. 385.* *Rayn. n. 52.*

§. IX.

Concilium Burdigalenſe.

Hoc anno 1255. Gerardus Malemortius Archiepiſcopus Burdigalenſis concilium *To. 11. p. 759*

Sæcul. XIII. A. C. 1255.

lium provinciale habuit 13 Aprilis, & constitutionem triginta punctorum edidit. Noto sequentia. Clerici habentes ecclesias (parœcias intelligo) semper ibi præsto sint, & singulis quatuor anni temporibus se initiandos offerant; alioqui se suis beneficiis privatos noverint nulla alia monitione præmissa. Videtur fuisse satius futurum, ea illis non conferre nisi post sacros Ordines. Pueris cæterisque, quibus interdicta est sacra communio, die Paschatis non dentur hostiæ consecratæ, sed panis benedictus tantum. Quod hic pueris abjudicatur, videtur fuisse reliquum ex veteri consuetudine illis post baptismum Evchariſtiam dandi: id quod Ecclesia Græca semper tenuit. Latina ab ineunte sæculo nono haud promiscue illam eis præbebat: & vidimus, Concilium Lateranense communionem in Paschate non præcipere nisi ætatem rationis compotem habentibus.

c. 1.

c. 5.

Martenn. Antiq rit. p. 430. to. 1.

Conc. Turon. 813. c. 18.

Sup. lib. 46. §. 6.

Sup. lib. 77. §. 52.

c. 6. Concilium Burdigalense pergit: Quivis Parochus Ecclesiæ suæ proventus in libro Liturgiæ sacræ seu in missali scribat.

c. 7. Sacræ reliquiæ laicis ad jurandum præterquam certis diebus non commodentur; nec extra capsam extrahantur, nec

c. 9. exponantur venum; nec publice colantur novæ, nisi Papa eas approbaverit.

c. 26. Pro administrandis Sacramentis, vel conferendis beneficiis nihil antea, sed post

rem

rem factam honeste peti poterit, quod ex more justum est. Si Sacerdote invito templum intraverit laicus proscriptus, & divinum turbet officium, ejus bona fisco addicat Dominus sæcularis, alioquin ipse proscribendus. Qui per dies quadraginta sejunctus ab Ecclesia manserit, mulctam novem librarum, vel aliam pœnam convenientem persolvet. Anathemate percussus ne in mortis quidem articulo absolvatur, nisi vel ipse, vel alius ejus nomine parti læsæ satisfactionem præstiterit, alioqui huic Sacerdos, qui eum absolverit, faciet satis. Nempe sacra proscriptio fieri solebat pro executione judicii, aut ob aliud debitum non solutum. Sæcul.XIII. A.C.1255. c. 27. c. 28. c. 11.

Hujus constitutionis puncta duodecim ad solas spectant decimas. Laici, qui eas retinent, Ecclesiis tradant: alioqui nec ipsi, nec eorum uxores ac liberi ad matrimonium, aut Evchariſtiam, vel sepulturam ecclesiasticam admittantur. Pari modo agatur cum conductoribus, qui laicorum decimas habent. Laici non vendant, nec emant decimas, quod sub anathematis pœna interdicimus. Laici per censuras cogantur solvere primitiarum nomine trigesimam, quadragesimam aut quinquagesimam partem. Quamvis decimæ alias ad Ecclesias interdum pertineant, novalia semper parœciis, ubi crescunt, relinquantur. Ultima puncta c. 13. 23. c. 14. c. 16. c. 20. c. 21.

Sæcul. XIII. A.C. 1255. c. 29. 30. tangunt sodalitia, quæ nonnunquam degenerabant in conjurationes contra jura & libertatem Ecclesiæ. Idcirco Concilium prohibet, ne sodales in sua capita Comites eligant, vel sanctiones, ad bonum Ecclesiæ aut publicum non tendentes, & sine Parochi sui consensu faciant.

§. X.

Patriarchatus Bituricensis.

Archiepiscopus Burdigalensis Bituricensem pro Primate suo tum temporis agnoscebat, ut demonstrat epistola ab eodem Gerardo Malemortio 28 Oct. an. 1247 ad Philippum Berruerium tunc Archiepiscopum Bituricensem scripta; a quo jussus erat se præparare ad ipsum inspectionis causa recipiendum, idque Suffraganeos suos edocere; & cui Gerardus reposuit, se ad eum honorifice excipiendum, & ad mandata ejus exequenda paratum esse. Primatum seu Patriarchatum Bituricensem jam inde a seculo nono erectum vidimus, quia Bituricæ Regni Aquitanici urbs princeps erant: & tunc Primatus ille tres in provincias, Narbonensem, Auscanam, & Burdigalensem sese porrigebat.

Patr. Bituric. p. 116.

Sup. lib. 51. §. 8.

Thomass. discipl. par. 4. lib. 1. c. 11. Narbonensis primum, dein Auscana se ab illo disjunxit: sed Burdigalensis in obse-

obsequio mansit: & Bituricensem potestatem in hanc provinciam confirmavit inter alia diploma Papæ Eugenii III. an. 1146 datum. Reges Angliæ Duces Aquitaniæ facti Burdigalam jurisdictioni Bituricensi subducere volebant. At Rex Philippus Augustus rem Papæ Innocentio III. conquerens orabat, ut is jura hujus Ecclesiæ, quæ sola in regno Gallico Patriarchalis esset, conservaret. Scripsit mense Majo an. 1211. Anno sequente idem Papa ratam habuit sententiam, qua Archiepiscopus Bituricensis Burdigalensem ob ipsius absentiam a suo concilio functionibus ad tempus abstinere jusserat; nec prius absolvit, quam is promitteret, se concilio Bituricensi, quando vocatus esset, interfore. Denique hoc ipso anno 1255. Cardinalis Octavianus jubente Papa præscriptum fecit, Archiepiscopi Bituricensis inspectionem in provinciam Burdigalensem tractans, quod Alexander IV. approbavit.

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Patr. p. 88.

Gall. Chr. to. 1. p. 74.

Inn. III. lib. XV. post. 43 130.

XVI. ep. 66.

ap. Rayn. n. 41.

§. XI.

B. Philippus Berruerius.

Philippus Berruerius quatuordecim annis Aurelianensem tenuerat sedem, cum ad Bituricensem translatus est an. 1236. Simone Solliacensi an. 1232 vita functo, aliquoties frustra in suffragia itum;

Sup. lib. 78. §. 61.

Sæcul. XIII. A.C 1255.

Patr. Bitur. p. 112. Gall. Chr. to. 2. p. 252. Alberic. an. 1232. & 1234

postea Doctor quidam nomine Petrus Castro-Rodulphinus electus fuit, sed biennio post de gradu dejectus suo. Demum Papa Gregorius IX. huic Ecclesiæ providendi jus esse ad se devolutum asserens, Archiepiscopum ei tribuit Philippum, qui viginti quatuor annos eidem præfuit. Magnam gerebat curam, ut familia sua bonis esset moribus; nec hominem improbum in servitiis suis ferebat. Quosdam mali exempli Sacerdotes beneficiis privatos suis alebat sumptibus, ne mendicato vivere cogerentur, & ad illa homines probos ac eruditos promovebat. Allectos ad se viros doctos in ministerio verbi divini ac pœnitentiæ socios habebat, eoque fine Bituricas an. 1239 accivit Dominicanos, quibus cœnobium condidit sumptum largiter suggerentibus Domino Borbonii & Blanca Virsionis Domina, Comitis Joviniacensis filia. Archiepiscopus ipse sacros inter Oratores sui temporis præcipuos erat, & in tanta populi existimatione, ut finitis concionibus alii locum, in quo verba fecerat, unguibus scalperent, alii liberos suos, quibus bene precaretur, offerrent, alii fila e vestibus ejus excerperent.

Vitæ genus ducebat asperrimum. Medio Novembri Adventum jam inchoabat, & tum esurialibus tantum cibis vescebatur. Cunctis diebus Veneris, & in pervigiliis

giliis feſtorum SS. Virginis pane & aqua contentus erat. Quolibet veſpere Sacerdoti conſcientiam detegebat ſuam: totus veſtitus cubabat ſupra cilicium: media nocte ſurgebat; & in ſe flagris ſæviens, centies flectebat genua: dein proſtratus pro Eccleſia tota fundebat preces. Sic vivebat, usque dum Papa Innocentius IV. ex lapſu ab equo male affectum audiens, in lecto, qualis in communi uſu eſſet, decumbere, carnesque comedere juſſit, ne ſe functionibus ſuis imparem redderet. Sæcul.XIII. A.C.1255.

Ejus largitiones erga pauperes erant maximæ. Bituricis in ejus domo quotidie generalis quædam, & alia ter quavis hebdomade in tribus ejus terrarum locis fiebat: triginta ſemper inopes coram eo ad menſam ſedente reficiebantur. Inſpectiones ſuas habens, eorum domos ingredi, ægros quærere, horum neceſſitatibus ſuccurrere, his ſervire ipſe ſolebat: tum ſacra confeſſione perpurgatis ſolatia, benedictionem, & interdum ſanitatem dabat. Nam multa curationum miracula ei tribuebantur. Quandoque in egenos gelu rigentes incidens, ut eos tegeret, ſe veſtibus ſpoliabat. Anno quodam fames cum eſſet, Bituricis ad quatuordecim frumenti ſextarios ſingulis diebus diſtribui juſſit, ac œconomo ſic annonam defore dicenti repoſuit: Si pro-

Sæcul. XIII. A. C. 1255.

ventus Ecclesiæ non sufficiant, ex patrimonio meo supplebo, quod deerit. Piissimæ vitæ cursum confecit die Veneris 9 Jan. 1266. Referuntur prodigia ejus rogatu facta: & quædam Ecclesiæ titulo Beati eum honorant.

Boll. 9. Jan. in Prætermiss.

§. XII.

Palæstinæ status.

A. C. 1255.

Quo tempore Papa Alexander orante Castellæ Rege permittebat, ut adversus Africanos expeditio sacra ediceretur, simul eundem ad ferendum Palæstinæ auxilium animabat; ut videmus in litteris 12 Apr. 1255. datis, quarum hæc est summa. Terra sancta plus quam ulla alia ethnicorum incursibus est exposita ex omni parte venientium. Aliquod abhinc tempus per Coresmianos vastata, continenter a Turcomannis & Saracenis impetitur. Regionis Præsules Proceresque, Ordinum militarium Magistri, ac recte credentium cœtus perbene vident, sibi haud posse mitti suppetias ob præsentem statum Christiani orbis ex parte maxima bellis civilibus agitati. Ethnicis interea numero & robore crescentibus, agentes illic Christiani summam ad paucitatem rediguntur, modicam Terræ sanctæ partem sibi reliquam protinus amittendi periculo obnoxii. Ethnicis animos addit,

Rayn. n. 68. 69. &c.

addit, quod per experientiam sciant, nullum Principem Christianum ibi posse tanto tempore commorari, quantum felix belli conclusio peteret. Cum proin Palæstinam nulla unquam subsidia nisi brevia & longe allata habituram sperent; ipsi autem sint in propinquo, & ad irruptionem semper parati, cum Christianis nec pacem inire nec inducias dignantur, tam parvas reliquias in sua mox potestate fore rati. Hæ rationes viderentur solide probasse negligendam ex eo tempore Palæstinam: sed Papa inferebat, tanto promptius ei subveniendum, idque ut Rex Alphonsus tam per se quam per subditos ageret, orabat. Papa ipse hoc fine in Hetruria & probabiliter alibi curabat ecclesiasticorum proventuum partem vigesimam colligi. Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Eodem tempore Ordinem Equitum hospitalis lepra infectorum domus Jerosolymis S. Lazaro dicatæ sub regula S. Augustini ratum habuit per diploma Neapoli scriptum 11 Apr. an. 1255. Sub finem ejusdem anni Jacobum Pantaleonem, qui, cum plures per annos Archidiaconus Leodiensis fuisset, an. 1252 ad Episcopatum Virodunensem evectus, in Pomerania Legatum egerat, inde reversum Papa in Palæstinam misit tanquam Patriarcham Jerosolymitanum & Legatum ad provinciam Christianumque exercitum *Bullar. Alex. IV. const. 1.* *Rayn. n. 73.* *Rayn. n. 65. 66.*

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

citum ibi versantem. Diploma dabat 7 Dec. 1255. Confirmavit etiam Legati potestatem & jura Constantinopolitano Patriarchæ Latino. Is erat Pantaleon Justinianus nobilis Venetus, cui Papa Innocentius IV. ante biennium tantum munus commiserat, addita legatione per totum Imperium Constantinopolitanum, ita tamen, ut cederet Legato *a latere*, siquis hæc in loca veniret. Simul illi præcepit, ut mille circiter nummorum Sterlingorum selibras ad opem Imperio præstandam mutuas sumeret, ac Ecclesiarum bona pro eis oppignoraret. Nam Latinorum conditio in Romania sicut in Palæstina indies fiebat deterior.

Id. 1253. *n. ult.*

§. XIII.

Joannis Vatacii mors.

Imperator Græcus Joannes Ducas Vatacius exeunte Februario anni 1254 apoplexia tactus ex ea obiit prope Nymphæam 30 Oct. anno ætatis sexagesimo secundo, regiminis trigesimo tertio. Ejus solium conscendit filius Theodorus Lascaris tres ac triginta natus annos: nam sub idem tempus vitæ lucem adierat, quo pater agnitus est Imperator. Sedes Patriarchalis vacabat per decessum Manuelis, paulo ante Imperatorem mortui. Successerat Methodio successori Germani, qui Eccle-

Theod. Lascaris emp. Georg. Acrop. n. 32. p. 55. Niceph. Greg. lib. 2. c. 8. n. 4. Allat. de cons. 11. c. 14. n. 5.

Ecclesias reconciliandi consilia cum Papa Gregorio IX. agitaverat. Porro novus Imperator, ut bello contra Bulgaros adesset, coronari maxime cupiebat, sed non poterat nisi per Patriarcham. Mox oculos conjecit in Nicephorum Blemmidam sibi mutuo amore junctum, quo Magistro doctissimus evaserat. Sed Nicephorum patriarchalis dignitas parum tangebat; ejusque recusationem Imperator ipse haud moleste tulit. Nam Principes volunt Patriarchas submissos sibi & assentantes, quales fere sunt indocti, suis in rationibus nullam ponentes fiduciam: eruditi vero sunt rigidiores, & Dominis obsistunt suis. Sic loquitur historicus Georgius Acropolita.

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Sup. lib. 80. §. 17.

Acrop. p. 57.

§. XIV.

Continuatio turbarum Universitatis Parisiensis.

In Gallia Doctores Parisienses allato ad se diplomate *Quasi lignum vitæ*, ac ejus executionem ex mandato Papæ urgentibus Episcopis Aurelianensi & Antisiodorensi, negabant se posse adigi, ut in suum corpus admitterent Religiosos, qui vitæ genus a suo diversum ducerent. Duo Episcopi nulla oppositionum, immo nec appellationis ad Papam ab illis interjectæ ratione habita, anathematis sententiam

Duboulai to. 3. p. 37.

Sæcul. XIII. A. C. 1255

tiam tulerunt in totam Universitatem, quæ nihilominus perstabat in proposito, nec Dominicanos recipiebat. Imminebant feriæ litterariæ: atque disceptationes istæ faciebant, ut Magistri ac discipuli multi Parisiis ante tempus discederent. Nec redituri videbantur: ac reapse plures alibi figebant sedem, hanc controversiam haud cito finem habituram rati. Post festum S. Remigii diem illi, qui Parisiis remanserant, congregati ad Papam scribere statuebant, mittereque, qui ei dicerent, jam non societatem inter ipsos, nec corpus Universitatis Parisiis esse, ipsosque omnia privilegia sua abdicasse. Litteræ Parisiis manentium Doctorum, auditorumque privatorum nomine 2 Oct. an. 1255 scriptæ sunt hunc in modum.

p. 288.

Fere triennium est, ex quo Dominicani nostram divexant scholam tam per lites, quas nobis inferunt, quam per terrorem potestatis profanæ: ac nuperrime per importunitatem suam a Tua clementia subreptitias impetrarunt litteras *Quasi lignum vitæ*, quæ veterem scholæ nostræ ordinem turbant, immo funditus evertunt. Sumus inermis extraneorum multitudo, quibus indigenæ atrociter sæpe insultant: nec aliud habemus mali remedium quam lectionum nostrarum suspensionem, quæ Principem adferendam

p. 289.

dam nobis opem excitet. Hoc ipsum vero remedium unicum nobis adimit epistola tua prohibens, ne cessemus a lectionibus, nisi duæ tertiæ Magistrorum cujusque facultatis in id consentiant. Nam plusquam tertiam Doctorum saltem Theologiæ conficiunt Ecclesiæ Parisiensis Canonici, cæterarumque societatum Religiosi, quibus persuaderi haud posset, ut comperimus, generalis lectionum intermissio: metuerent enim, ne Universitas alio transferretur, vel auditores abirent. Sæcul.XIII. A.C.1255.

Videntes interim Te per plenam potestatem tuam jungendos iterum Universitatis corpori duxisse fratres Bonumhominem ac Eliam ob rebellionem suam a nobis excluſos, horum restitutioni haud obsistendum censuimus, cum operam dare litibus præsertim contra fautores eorum nequeamus. Maluimus autem privare nos commodis Universitatis, quam istorum hominum societatem ferre diutius, quam nobis noxiam experti sumus, ac ne toti Ecclesiæ periculosa esset, timuimus. Illud quoque consideravimus, societatem per amicitiam, non per vim formari solere; ac secundum Juris regulam neminem adstringi posse ad societatem ingratiis suis ineundam vel conservandam. Igitur nos a corpore Universitatis sejunximus, hujus fructibus ac privilegiis nos exuimus, & illorum hominum

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

societatem sic evitavimus, ut imperio tuo non adversaremur.

Veruntamen Episcopos Aurelianensem & Antisiodorensem ita deceperunt, ut istud per Præsulum mandati verba transgrediens in omnes Magistros & auditores, qui duos Dominicanos horumque discipulos intra viginti dies non reciperent, anathema contorqueret, ac eidem inhærentes corpori, qui eos possent ac deberent admittere, non distingueret ab iis, qui separati ab illo corpore id nequirent. Quæ res nos denuo ad pietatem tuam appellare coëgit. At hi Fratres provocationis nostræ nullam ducentes rationem, nos pro viribus suis vexare non desinunt, quamvis eos neutiquam impediamus, quin scholas & auditores, quotquot acquirere possunt, habeant, ipsique ac eorum discipuli cunctis privilegiis nostris fruantur. Nec superiores illis, nec inferiores esse volumus; nihilque poscimus aliud, quam ut in quadam urbis parte nobis esse tranquillis per eos liceat, nec in nostras domos, scholas, conventus per vim se inferant. Hoc oravimus, hoc, quantum valebamus, viva voce interdiximus, probe gnari, eos semper habere ad nutus suos conversam armatorum hominum multitudinem.

p. 290.

Iidem Fratres a malo impulsi spiritu insuper quandam calumniam invenerunt contra

contra Magistrum Guilielmum de sancto Amore, virum venerabilem, sacrario nostro præpositum, ac Theologiæ Professorem, quem, quia nos defendit, odio habent. Hunc falso accusarunt, quod famam tuam, quæ integerrima semper fuit, offenderit, nec semel nostris in cœtibus libellum existimationi tuæ iniquum legerit: etiam nos omnes, quasi cum voluptate eum audiissemus, reos volebant facere, ac per Nuncium tuum Gregorium Parisios profectum suam de hoc Doctore querimoniam ad Regem ac Episcopum Parisiensem detulerunt. Doctor ad Episcopum vocatus, Nuncium quoque acciri cupiit, dicturum, quo authore rem ipsi objectam comperisset, ac documenta contra ipsum accepta exhibiturum. Nec Episcopus Nuncium accersere, nec Nuncius in judicio comparere audebat: sed iste cum in verbis suis haud constitisset sibi, ac postea, quod primum dixerat, negasset, subito ex urbe abiit. Tandem Episcopus post plures dilationes nulla probatione contra Doctorem habita, canonicam coram quater mille scribis sui purgationem pollicitum juridico ritu ab actione absolvit. Hæ pluresque aliæ injuriæ, quas recensere longum foret, nos lectiones nostras etiamnum suspendere coëgerunt. Sæcul.XIII. A C.1255.

Conclu-

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Concludunt Doctores orando Papam, ut anathematis ſententiam duobus ab Epiſcopis pronunciatam eſſe nullam declaret, ac libertatem, quam habuiſſent, cum ſummus fieret Pontifex, ipſis redderet. Alioquin, addunt, vel ſcholam noſtram aliud in Regnum transferemus, vel in ſuam quisque patriam redibimus, ut ibi libertate, quam nobis natura dedit, fruamur potius, quam obtruſæ nobis ſocietatis hujus ſervitutem feramus. Tum vero timendum eſſet, ne inſcitia & cæcitate laboraret Eccleſia, & ab hæreticis vaſtaretur. Itaque ſanctiſſime Pater, reſponſum nobis ultimum mitte celeriter (ita ſupplicamus tibi) neque nos diutius ſuſpenſos tene, ut & nobis & ſcholæ noſtræ proſpicere poſſimus!

p. 291.

p. 292.

Anno priore Epiſcopus Pariſienſis ad Papam Innocentium miſerat libellum quendam, cui inſcriptio erat: *Introductio ad Evangelium æternum.* Papa Alexander tribus Cardinalibus, ſcilicet Epiſcopis Tuſculano ac Prænestino, & Hugoni a S. Charo Presbytero tit. S. Sabinæ, Ordinis Prædicatorum id opuſculum examinandum dedit, ac rejectum voluit ſupprimi ab Epiſcopo Pariſienſi anathematis pœna, ni pareret, propoſita. Scribebat 23. Oct. 1255. At 12. Nov. eundem Epiſcopum juſſit cavere, ne libelli ſuppreſſio Fratribus Minoribus eſſet dedecori.

p. 293.

Nempe

Nempe Joannes Parmenſis Miniſter eorum Generalis opuſculi author eſſe credebatur. Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Papa Doctorum Pariſienſium litteris haud commotus, Cancellario ad S. Genovefam per litteras 25 Nov. ſcriptas interdixit, ne facultatem quampiam Pariſiis docendi poteſtatem daret iis, qui renuerent obſervare diploma *Quaſi lignum vitæ*. Unde conſtat, Cancellarium ad S. Genovefæ tum temporis feciſſe copiam tradendi publice quatuor facultates. Papa eodem fine ſcripſit Epiſcopis Aurelianenſi & Antiſiodorenſi: ſed executionem novi hujus mandati diſtulere ad concilium Pariſiis eodem anno celebrandum.

§. XV.

Inquiſitio habetur in Gallia.

Interim S. Regis Ludovici rogatu Papa Alexander per litteras 13 Dec. Romæ datas Dominicanorum per Franciam Magiſtro Provinciali, & Fratrum Minorum Pariſienſium Præſidi (Guardianum vocant) injunxit officium Inquiſitionis per regnum univerſum exceptis terris Comiti Pictavii Toloſæque Alphonſo Regis fratri propriis, fidei Cognitores jam habentibus. Inquiſitores jubet inveſtigationes, ac cætera, quæ cum hæreticis acta ſint, ab illis omnibus, qui ea conſcripta teneant, po- *Rayn. n. 95.*

Sæcul. XIII. A. C. 1255.

ſtulare, in hæreſis reos, vel ſolum infamia ejus flagrantes, niſi ſe prorſus Eccleſiæ ſubmittant, animadvertere, & Magiſtratus civilis præſidium, ſi opus ſit, invocare. Dat illis poteſtatem abſolvendi eos, qui hæreſin ſincere ejuraverint, & faciendi, quidquid ad hoc munus exercendum neceſſe ſit, haud obſtante, quæ Religioſis conceſſa fuerit, libertate ejusmodi mandata abnuendi. Vult autem, ut ad hæreticos judicandos, vel perpetuo multandos carcere ab Epiſcopis locorum conſilium petant. Hæc Inquiſitio per Franciam generalis, &, quod majus eſt, ob Regis S. Ludovici preces inſtituta notari maxime meretur.

§. XVI.

Relatio Guilielmi Rubruquiſii.

Exeunte hoc anno 1255 S. Ludovicus a Guilielmo Rubruquiſio Franciſcano, quem duobus abhinc annis in Tartariam miſerat, itineris hujus relationem accepit. Ejus ſummam vide! Sacra Majeſtas tua ſcit, ut opinor, nos anno 1253. 7. Maji pontum Euxinum, (mare magnum Bulgari vocant) navigio ingreſſos, 21 ejusdem menſis Soldajam in Tartaria Minore ſitam adveniſſe. Diximus nos adire Sartachium, quem eſſe Chriſtianum comperiſſemus, & ad eum nos ferre litteras Regis

Haeluyt. to. 1. p. 71. Bergeron. p. 2.

gis Franciæ. Ergo humaniter exceptis Episcopus loci multa in laudem Sartachii nobis dixit, quæ veritati haud consentanea deinde sensimus. Eramus quinque numero; ego, Frater Bartholomæus Cremonensis meus socius, noster scriba Gosetus nomine præsentium lator, Homodei interpres noster, & Nicolaus quidam juvenis, quem ut mancipium Constantinopoli emeram. Soldaja sub initium Junii discessimus. Triduo post invenimus Tartaros, quos inter cum agerem, alium in orbem venisse mihi videbar. Sæcul. XIII. A. C. 1255. *H. p. 79. B. p. 43.*

Octavo Ascensionis die 5 Junii ad alloquium Scacataji, qui Bati cognatus erat, admissus, Imperatoris Constantinopolitani epistolam ei tradidi, ut iter persequendi copiam impetrarem. Interrogante illo, an placeret bibere cosmos (certum ex equino lacte potum) me tum quidem excusabam. Regionis vero Christiani, Russi, Græci, Alani eum bibere religioni habent, eorumque Sacerdotes bibentem æque puniunt ac si a fide defecisset. Scacatajo ex me quærenti, quid dicturi Sartachio essemus, reposui nos ei locuturos de fide Christiana. Quid hæc sibi vellet, rogabat, avidas promittens aures. Igitur ei symbolum Apostolicum, ut poteram explicavi, per interpretem meum, nullius ingenii hominem, neque

Sæcul XIII. A.C. 1255.

res verbis exprimendi gnarum. Quo audito ille caput quaſſans ſiluit.

Pridie Pentecoſtes Alani, qui Græci ritus Chriſtiani ſunt, ad nos venerunt. Non ſunt Schiſmatici ut Græci; ſed Chriſtianos omnes promiſcue honorant. Attulerant nobis carnem coctam, qua ut veſceremur, & cuidam ſuorum mortuo Deum propitium redderemus, orabant. Reſpondi, nobis haud licere carnes comedere in pervigilio tam feſtæ diei: cujus hiſtoriam cum exponerem, triumphabant gaudio: quippe quæ ad religionem pertinent, ignorabant omnia, ſolo JESU Chriſti nomine excepto. Una cum multis aliis Chriſtianis etiam Ruſſis & Hungaris interrogabant, an ſalvi poſſent fieri, cum bibere Coſmos, & comedere animalia morticina, vel a Saracenis aliisve ethnicis cæſa cogerentur? Neſcimus, ajebant, dies jejunii, nec poſſemus obſervare, etiamſi cognoſceremus. Erigebam eos, erudiens, ac firmans in fide.

Feſto Pentecoſtes die 8 Junii Saracenus quidam ad nos acceſſit, cui colloquentes religionem noſtram explicare cœpimus. Bona humano generi a Deo præſtita per individuam naturæ divinæ cum humana conjunctionem, mortuorum reditum ad vitam, & judicium futurum, noxarum expiationem per baptiſma edoctus, id accipere ſe velle aſſeruit. At

nobis

nobis idem apparantibus, derepente con- Sæcul.XIII.
fcenſo equo, ſe domum petere dixit, ut A. C. 1255.
cum uxore deliberaret. Poſtridie ad nos, Mutavi conſilium, inquiebat, alioqui coſmos haud bibiturus amplius. Nam Chriſtiani loci negant, vero Chriſti cultori hunc convenire potum: quo ego hac in ſolitudine abſtinere nequeo. Nunquam ei eximere potui hanc opinionem, a fide magnopere abſterrentem ejusmodi homines ſuffultos a Ruſſis, permagno numero inter ipſos habitantibus.

Altero Pentecoſtes die profecti, primum recta Septem Triones verſus, deinde ad Ortum proceſſimus, mare Caſpium habentes a dextra. Comitantes nos Tartari magnam nobis moleſtiam faceſſebant, ſummum vero faſtidium mihi creabat interpres meus, qui, quoties religioſum aliquid eis dicere volebam, Noli me facere concionatorem, ajebat: tales habere ſermones neſcio. Sane ſic erat: poſt enim, quam intelligere paulum linguam cœperam, eum verba mea prorſus alio ſenſu reddere cognovi, &, quidquid in buccam veniſſet, proloqui. Quapropter tacere malui, quam periculoſa ejus opera uti. Paucis ante feſtum S. Magdalenæ diebus ingentem fluvium Tanaim, & ultimo Julii aulam Sartachii attigimus tridui via diſtantem ab Etilia ſeu Volga fluminum, quæ viderim unquam, maxi-

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

mo. Neſtorianus quidam Cojac nomine ab itineris duce conſultus ad miniſtrum nos miſit, qui Legatos ad Principem ſolebat introducere. Idem dux noſter, quid muneris afferremus, rogabat, indignans, non habere nos, quod admiſſionum miniſtro donaremus. Huic dein præſens rem excuſabam, me monachum eſſe, nec aurum vel argentum tangere cauſatus. Repoſuit, cum monachus eſſem, recte me agere, quod votum ſervarem meum: ſe non egere rebus noſtris, ſed de ſuis potius nobis daturum. Quærebat, quis inter Francos ſummus eſſet Princeps? Imperator, ajebam, ſi pacatum haberet Regnum. Non, inquiebat, ſed Rex Franciæ. Nempe Balduinum Hannonienſem, ac quendam Equitem Templi, qui fuerat in Cypro, de te loqui audierat.

§. XVII.

Sartachii alloquium.

Biduo poſt idem miniſter me Regis epiſtolam, ſacram ſupellectilem, ac libros in aulam deferre juſſit, eoquod ſuus Dominus eos ſpectare cuperet. Complures Tartari, Chriſtiani & Saraceni circa nos ſedebant in equis, cum evolvi omnia curavit. Tum quærebat ex me, an Domino ſuo hæc univerſa daturus eſſem? Expavi ſcilicet ad hæc verba: ſed diſſimulans

lans metum, veſtes has eſſe ſacras, eas- Sæcul.XIII.
que tangere ſolis Sacerdotibus licere di- A.C.1255.
xi. Igitur nos eas induere, atque Dominum ſuum adire voluit: & paruimus. Ego pulcherrimo pulvino veſtes pretioſiſſimas, his ſacrum codicem, quem tu mihi tradideras, ac librum Pſalmorum, bellis ornatum picturis, quem mihi Regina dederat, impoſui, & ante meum pectus gerebam. Socius meus librum Liturgiæ ſacræ, crucemque, & ſcriba lineo tectus amiculo turibulum portabat. Sic ad Sartachium venimus: impilia pro foribus ſuſpenſa tollebantur, ut cernere nos poſſet. Scriba & interpres ter genua flectere, nos ſedulo cavere, ne ingrediendo aut exeundo limen inferum tangeremus, & fauſtas pro Principe preces canere juſſi intravimus cantantes *Salve Regina!*

Cojac ei acerram cum ture præbuit: ille acceptam conſiderabat. Curioſius cum conjuge ſibi aſſidente ſpectabat librum Pſalmorum. Prehendens ſacras litteras quærebat, an Evangelium continerent? Repoſui, eſſe totum codicem divinum. Etiam crucem ſumebat in manum, rogans, an addita imago JESU Chriſti eſſet? Affirmavi. Scilicet Neſtoriani & Armeni effigiem crucibus non adjungunt ſuis! unde videntur haud ſatis credere cruciatus Domini, vel hos eru-

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

beſcere. Tradebam illi epiſtolam tuam cum exemplis Arabico & Syriaco: nam Ptolemaide eam verti curaveram. Poſtquam egreſſi ac exuti fuimus, homines, qui ei a ſecretis erant, venerunt una cum Cojac, & litteras tartarice reddi curarunt. Agebatur dies S. Petri ad Vincula, nimirum primus Auguſti an. 1253.

Die poſtero Sacerdoti cuidam Cojaci fratri vas ſacrum chriſma continens, eoquod Sartachius id videre cuperet, poſtulanti dedimus. Veſperi nobis Cojac vocatis dixit: Rex veſter Domino meo bona verba ſcripſit: at inſunt eis res difficiles, quarum nihil inconſulto patre ſuo audet facere. Hunc igitur adire debetis. Tum interrogabat, an in regione commorari vellemus? Reſpondi: Si ſatis intellexiſti Regis Domini noſtri litteras, propoſitum noſtrum ſcire potes. Magna, inquiebat, patientia & demiſſio vobis opus erit. Ante abitum noſtrum Cojac pluresque alii ſcribæ ad nos, Ne dicite, ajebant, Dominum noſtrum eſſe Chriſtianum: eſt Moal, hoc eſt, Mogol. Nempe nomen Chriſtiani pro nationis nomine ſumunt: atque ſi dantur inter eos Chriſtiani aliqui, nomen Mogolum ſervant, quod cunctis præponunt nominibus, & Tartari nuncupari nolunt. Neſtoriani rem nihili exaggerantes divulgarunt, Sartachium eſſe Chriſtianum, atque Mangu-

B. p. 70.

Canum

Canum & Ken-Canum Christianis, quam reliquis gentibus plus honoris habere: revera tamen neuter est Christianus. Ad Sartachium quod attinet, in Christum credat, nec ne, ignoro: hoc scio, eum nolle vocari Christianum: potius ludere Christianos videtur. Nam est in via eis consueta, scilicet Russis, Blacis, Bulgaris, & Alanis, qui omnes apud eum transeunt, eique munera dant, quando parentem ejus Batum adeunt: hinc eos ille comiter ac benigne accipit. Si tamen Saraceni plus afferant, citius expediuntur. Sunt etiam prope illum Sacerdotes Nestoriani, suis laminis sonos cient, & officium cantant suum. Sæcul.XIII. A.C.1255. p.73.

Hæc Rubruquisii verba nobis indicant, quo fundamento Papa Innocentius IV. per litteras 29 Aug. an. 1254. datas Sartachio agnitam fidem sanam acceptumque baptisma gratulatus fuerit, quod per Joannem Presbyterum & Sartachii sacello præfectum se comperisse dicit. Erat is haud dubie his Nestorianis exceptoribus quidam, qui titulum illum sibi asseruit, ut Papæ ac Principum Christianorum gratificationem aliquam acquireret. Rubruquisius suam narrationem ita continuat. *ap. Rayn. 1254. n. 2.*

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

§. XVIII.

Admissio ad Batum.

p. 78. Ad Volgam delati conscenso navigio Bati aulam petivimus. Erat quasi magna quædam urbs domorum mobilium, sex aut pluribus passuum millibus longa. Ducebamur ad certum Saracenum, qui nos rogabat, an legationem miseris? Respondi, te misisse aliquam ad Ken-Canum, sed nullam ei, nec Sartachio litteras fuisse missurum, nisi eos esse Christianos putasses, eo quod illud de vera fide gratulandi causa, non metu factum sit. Postridie nos ad Bati tabernaculum duxit: eramus in toga nostra nudo capite nudisque pedibus mirum præsentibus spectaculum. Frater Joannes Plano-Carpinius ibi fuerat; sed quia Papæ Nuncium agebat, vestem, ne contemptui esset, mutaverat. Post breve silentium una cum meis genua submittere, solus loqui jubebar a Bato. Forma supplicis, quam exhibebam, me monuit, ut ordirer a precibus. Domine! ajebam, Deum omnis authorem boni, & qui tibi bona dedit terrestria, precamur, ut etiam cœlestia tibi largiatur, sine quibus illa salubria non sunt. Cum attentas præberet aures, addidi: Te bona cœlestia non adepturum scias, ni fias Christianus. Nam Deus ait:

Sup. lib. 82. *f.* 62.

Qui

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Sæcul.XIII. A.C.1255. *Marc.* 16. *v.* 16.

Ad hæc verba ille subridere leniter: sed reliqui Mogoles collisis manibus nos explodere. Interpres meus timore exanimis mihi confirmandus erat. Facto silentio ad Batum conversus, Tuum adivi filium, inquiebam, quia eum esse Christianum audivimus: attuli ei litteras Franciæ Regis: & me misit ad te: tu rationem scies. Tum me surgere, nostraque nomina scribi jussit, ad me dixit, se comperisse, te tuo e regno egressum esse belli gerendi gratia. Id Saracenis intulit, ajebam, qui domum Dei Jerosolymis profanabant. Postea sedes nobis & cosmos præberi voluit, quod illi magno pro honore habent. Vix abieramus, cum nos sequens deductor noster dixit: Rex Dominus vester hac in regione vos retineri cupit, quod Batus inscio vel invito Mangu-Cano nequit facere. Itaque tu & interpres tuus eum adeatis, oportet: tuus socius & alter homo aulam Sartachii repetent, ibique te expectabunt. Tum vero interpres Homodei se perditum ratus indulgere lacrymis, & socius meus se necem potius quam absentiam meam laturum asseruit. Tandem Batus præcepit, ut iremus ambo cum interprete, & scriba

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

scriba Gosetus ad Sartachium rediret. Sic flentes disjuncti sumus.

Per quinque hebdomades cum Bato juxta Volgæ cursum iter fecimus: denique sub festum S. Crucis Exaltatæ, nempe medio Septembri, locuples quidam Mogol nos conveniens, Ad Mangu-Canum, inquiebat, vos ducere debeo: est iter quatuor mensium ac per regionem tanto frigori obnoxiam, ut vel saxa possit findere.

A decimo sexto Septembris usque ad festum Sanctorum Omnium in equis processimus semper Orientem versus, mare Caspium habentes ad meridiem. Dici nequit, quantam famem, sitim, gelu, ac defatigationem tulerimus. Diebus Veneris nihil gustabam ad noctem usque: & tum carnem comedere cogebar dolens. Initio dux noster nos pro nihilo putabat: sed melius cognitos ducebat opulentos ad Mogoles, qui se nostras in preces commendabant, ita ut verbi divini sementem feliciter spargendi occasio sese offerret, si bonus interpres adfuisset. Nos nec aurum, nec argentum, nec vestes pretiosas accipere admodum mirabantur. Quærebant, an Magnus Papa tam senex, quam diceretur, revera esset, ac quingentos ætatis annos numeraret?

§. XIX.

Sæcul.XIII.
A.C.1255.

§. XIX.

Jugures ac Neſtoriani.

Rubruquiſius deinde ſuum colloquium cum popis quorundam idololatrarum, qui Jugures vocabantur, refert hunc in modum. In ſano multas ſtatuas grandes & parvas videns, rogabam popas, quid de Deo crederent? Reſpondebant: Unum duntaxat credimus. Spiritumne an corpus eum eſſe creditis? Credimus eſſe ſpiritum. Num creditis, eum humanam ſibi olim naturam aſſumpſiſſe? Non credimus. Cum credatis eum eſſe ſpiritum & unicum, cur effigies corporeas & tam multas ei ponitis? Et cum eum humanam ſibi naturam junxiſſe non credatis, cur hominum potius quam aliorum animalium imagines ei ſtatuitis? Has non formamus Deum exhibendi gratia: ſed quando vir dives e noſtris obit, ejus filius, uxor, vel amicus aliquis ipſius ſimulacrum effingi curat, & hic collocat, quod nos in ejusdem memoriam honoramus. Ergo hominibus adulandi cauſa id facitis? Non niſi ad eorum memoriam colendam id agimus. Sub hæc quaſi jocantes ex me quærebant: Ubi eſt Deus? Tum ego: Ubi eſt anima? In corpore. Nonne corpus totum occupat totumque regit, etſi non cernitur? Sic Deus eſt ubique, ac

H. p. 91.
B. 107.

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

ac gubernat omnia, nec tamen conſpici poteſt, cum intelligentia ſit & ſapientia. Ratiocinationem cum illis longius volebam perſequi: ſed fatigatus interpres meus, qui exponendis ſenſibus meis non par erat amplius, ad ſilendum me compulit. Huic ſectæ adhærent Tartari, quatenus unicum credunt Deum, ſuisque mortuis ſtatuas ponunt.

B. p. 116.

Loquens de Catai ſeu China author dicit, Neſtorianos quindecim ejus urbes incolere, ac Segini habere Epiſcopatum. Sunt rudes, addit, nec intelligunt linguam Syriacam, in qua miniſterium exercent ſuum, & litteras divinas legunt. Hinc tam corrupti mores eorum & vitia, præſertim uſuræ ſtudium ac ebrioſitas. Aliqui plures habent uxores, ut Tartari, quos inter vivunt: diem Veneris feſtum agunt ſicut Mahometani. Epiſcopus eorum in Tartariam raro venit, vix quinquageſimo quoque anno: & tum omnes ſuos infantes maſculos vel in cunis ſacerdotio initiari curant: unde mares pene cuncti ſunt Presbyteri, matrimonium tamen ineunt, immo extincta conjuge ad alteras procedunt nuptias. Omnes ſacrilegam mercaturam faciunt, nec ullum ſacramentum niſi pro mercede conferunt. Cura familiæ eos pecuniæ tantum cupidos, non propagandæ fidei ſtudioſos reddit: præterquam quod eis mali mores

ſui

sui contemptum afferant: nam falsorum cultores numinum vivunt honestius. Hæc ille de Nestorianis: tum rediens ad relationem suam, ita pergit. Sæcul.XIII. A.C.1255.

Tandem die S. Joannis Evangelistæ 27. Dec. 1253 ad aulam Magni Cani Mangu advenimus. Plures Mogoles cum illum, qui nos adduxerat, inviserent, nos causam itineris nostri rogabant. Respondi, nos comperto, Sartachium esse Christianum, cum litteris Regis Franciæ ad eum profectos, ab ipso ad Batum, ab hoc ad Magnum Canum missos fuisse. Quærebant, an pacem cum eo jungere vellemus? Reposui, cum nullam Tartaris causam belli præbueris, non esse, cur pacem ab ipsis petas, quamvis hanc ut Princeps justus & bonus cum populis omnibus habere cupias. Adeo nempe superbiunt, ut orbi universo suam gratiam captandam putent. p. 125. 127.

In ædibus palatio propinquis sacellum, ibique monachum Armenum vidimus in speciem severissimum, qui ad nos dixit, se eremitam esse terræ sanctæ, sibi Dominum Nostrum ter spectabilem imperasse, ut Tartarorum Principem adiret. Veni, addebat, abhinc mensis spatio, & asserui Mangu-Cano, si Christianus fieret, cunctas ipsi gentes, etiam Francos & Magnum Papam se submissuros: tantundem illi ut affirmetis, suadeo. Mi frater! p. 130.

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

frater! inquiebam, Canum, ut Christo se adjungeret, persuadere vellem, promitteremque, Papam & Francos ipsum magno cum gaudio amicum & fratrem agnituros esse: at non sponderem fore, ut ei se subjiciant, & tributum sicut aliæ nationes pendant. Hoc esset contra mentem meam & injunctum mihi mandatum loqui. Hæc responsio silentium monacho imposuit.

§. XX.

Introductio ad Mangu-Canum.

p. 135.

Quarto Januarii an. 1254 in palatium ad alloquendum Mangu-Canum ducti fuimus. Hoc mandante rogatus, quam ex oblatis quatuor potionibus vellemus, gustavi modice illam, quam cerasinam vocant, ex oryza confectam. At interpres noster vinum bibit, & tam largiter, ut dein quid ageret, nesciret. Canus sibi plura alitum rapacium genera afferri voluit, quas pugno impositas tenens avide spectabat. Haud paulo post nos jussit loqui. Procumbebam in genua, & longam Cano vitam precatus, expositâ itineris nostri occasione, congruenter epistolæ tuæ in ejus regione commorandi copiam pro nobis petii, eo quod regula nostra nos adstringeret, ut homines secundum legem Dei vivere doceremus. Nec

aurum

aurum nobis nec argentum esse, quod ipsi offerremus; sed Deo supplices fore pro ipso, uxoribus ac liberis ejus. Orare denique, ut saltem tantisper nos toleraret, dum vis frigoris præteriisset. Mangu-Can reponebat, suam & Bati potentiam se quaquaversus extendere instar radiorum solarium: sibi argentum & aurum nostrum haud opus esse. Hactenus intellexi quodammodo interpretem nostrum: at de reliquo nihil percipere poteram, nisi eum ebrium esse: nec Mangu-Can plane sobrius mihi visus. Tale fuit Colloquium nostrum, ac exeuntibus ille nobis dici curavit, se nostri misertum bimestre frigoris prætermittendi spatium nobis concedere, quod Caracari vicina in urbe transigere possemus. Sæcul.XIII. A.C.1255.

Maluimus in aula manere cum monacho Armeno, qui se Sergium nominabat, mihique dixit, se die Epiphaniæ Domini Mangu-Cano salutis aquam aspersurum. Orabam eum, ut liceret mihi hanc videre scenam, & in tempore locoque hujus testem agere: spopondit. Cum dies ille veniisset, in palatium acciti sumus cum Presbyteris Nestorianis; sed hi quidem convivio accipiebantur: nos autem redibamus cum Sergio, quem mendacii pudebat sui. Nihilominus Nestoriani quidam jurejurando mihi asseve- p. 132.

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

rabant, Mangu-Canum fonte luſtrali fuiſſe tinctum: At, Non credo, ajebam: rem vidiſſe me opus foret, ut dicerem.

p. 195. Sergius ſe Sacerdotem fingebat eſſe, cum ſacrum Ordinem haberet nullum, & ſciret nihil. Pauper tantummodo textor erat, ut poſtea comperi ejus regionem peragrans.

p. 195. Imminente Paſchatis die, quæ hoc anno 1254. duodecima Aprilis erat, magnopere mihi, ut ſacrum facerem, inſtabant Chriſtiani, quotquot ex variis gentibus Caracari agebant, Hungari, Alani, Ruſſi, Georgiani, & Armeni. Audivi eorum confeſſiones per interpretem, Deique præcepta, & præparationes ad hoc Sacramentum neceſſarias, quam poteram, optime illis expoſui. Die Cœnæ Domini ſacris operabar in baptiſterio Neſtorianorum, ubi altare ſtabat. His Patriarcha ſuus Bagdetia miſerat ingens corium quadratum ſacro unctum chriſmate, quod eis pro ara portatu facili ſervit. Utebar eorum calice patenaque argentea, quæ duo vaſa prægrandia erant. Etiam die Paſchatis Divinum peregi ſacrificium, & populo ſacram communionem præbui. In pervigilio Paſchatis plures quam ſexaginta homines baptismum pulcherrimo ordine acceperunt, quæ res Chriſtianos omnes magno affecit gaudio.

§. XXI.

Sæcul. XIII.
A.C. 1255.

§. XXI.

Colloquium cum Tuinianis.

Die ſabbati 30. Maji in pervigilio Pentecoſtes inter Chriſtianos, Saracenos ac Tuinianos ſeu Tartaros idolorum cultores diſceptatio habebatur juſſu Mangu-Cani, quibus argumentis ſuam quæque pars Religionem defenderet, cognituri. Tanquam arbitros controverſiæ tres eorum, qui a ſecretis ipſi erant, unum de qualibet Religione miſit, & mox edici voluit capite ſancitum, nequis alium offenderet, aut turbas cieret, quæ diſputationi obſtarent. Chriſtianis ſuam mihi cauſam demandantibus, certamen cum Tuinianis incepi, qui ſuorum aliquem ex Catai ſeu China eo delatum mihi opponebant. Rogabat ille, quam quæſtionem primo diſcuteremus, utrum illam, quomodo mundus ſit conditus, an hanc quid fiant animæ poſt mortem hominum? Initium capturus erat ab his duabus quæſtionibus, in quibus fortiſſimum ſe putabat: nam Tuiniani cum Manichæis duo principia, bonum alterum, alterum malum credunt, & animas in alia aliaque corpora transmigrare. Reſpondi, ordiendum nobis eſſe a Deo rerum omnium principio: & arbitros aſſentientes habui. p. 224.

Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Dixi proin nos firmiter credere, unicum esse Deum eundemque perfectissimum: & quid illi de eo crederent, quæsivi. Desipit, inquiebant, qui non nisi unicum credit Deum. Nonne magni vestra in regione Principes sunt, & hoc in loco est quidam cæteris omnibus major, scilicet Mangu-Canus? Atqui eadem Deorum est ratio. Minime, ajebam: alioquin quilibet Princeps in sua terra posset vocari Deus. Ac eorum comparationem refellere paranti mihi obstabant fervide sciscitando, quis igitur esset hic Deus unicus? Est ille, retuli, qui potentia immensa pollet, nec alterius cujusquam ope indiget. Contra inter homines nemo potest omnia: ideo quam plurimi Principes in terris dantur. Præterea Deus non eget auxilio, cum noverit omnia, & omnis sapientia scientiaque ab ipso proveniat. Non opus habet bonis nostris, quia in ipso vivimus & sumus.

Probe scimus, ajebant, esse in cœlo supremum aliquem Deum (cujus origo nos latet) decemque alios sub illo, & quendam his inferiorem. At in terra eorum infinitus est numerus. Plures ejusmodi fabulas volebant addere. Sed ego percontabar, utrum Magnus ille cœli Deus rerum omnium esset potens, an suam potentiam haberet ab alio? Re-

sponsi

ſponſi loco, Si Deus tuus, inquiebant, eſt talis, qualem dicis; cur dimidiam rerum malarum partem fecit? Falſum eſt, repoſui: qui malum fecit, nequit eſſe Deus: ceſſaret Deus eſſe, ſi author mali foret. His verbis attoniti omnes Tuiniani ſcitabantur, unde igitur veniret malum? Quærite prius, quid ſit malum, ajebam: & ante hanc ipſam quæſtionem dicite, an credatis eſſe aliquem Deum interminata potentia præditum! Cum tacerent, reſponſum poſcentibus arbitris in anguſtias compulſi aperte negabant dari Deum infinite potentem; atque Saracenis omnibus riſum movebant. Dein ego ad Tuinianos; ergo nullus ex Diis veſtris vos cunctis a malis tuendo par eſt; nec vos tot Dominis ſervire poteſtis. Nihil ad hæc illi. Sæcul. XIII. A.C. 1255.

Volebam pergere, ac divinam unius naturæ Triadem probare; cum Neſtoriani, ut & ipſi ſuas explerent vices, diſputare cœperunt cum Saracenis, nihil aliud reponentibus, quam ſe habere pro certo, quidquid contineret Evangelium; ſe Deum profiteri unicum, & hanc ab eo gratiam flagitare, ut tanquam Chriſtiani e vita decederent. Dum vero ſanctiſſimæ Triadis myſterium per comparationes explicabant Neſtoriani, audiebantur placide, nec adverſarium habebant: ſed nemo ſignificabat ſe velle Chri-

Sæul.XIII. A.C.1255.

ſtianum fieri. Finito colloquio Neſtoriani ſimul & Saraceni clara cantabant voce; Tuiniani ſummum tenebant ſilentium; ſed omnes largiter potabant.

p. 233.

Ipſo Pentecoſtes die Mangu-Can in conſpectum me ſuum venire paſſus, inter alia dicebat: Nos Mogoles credimus unicum eſſe Deum; per hunc nos vivere ac mori; in hunc animos noſtros omni ſtudio ferri. Hic vobis Chriſtianis ſcripturam, cui morem non geritis, nobis hariolos dedit, quorum mandata conficimus. Poſtea loquenti de abitu meo, & quousque deduci vellem, ſcitanti, usque ad terras Regis Armeniæ, reſpondebam, epiſtolam ad te mittendam me delaturum ſpondens. Accepimus eam exeunte Junio, & quæ memoratu digniora continet, ſunt iſta: Quidam David nomine, qui tanquam Mogolum Legatus te adiit, mendax deceptor erat. Legati, quos cum eo ad Ken-Canum miſeras, poſt hujus mortem demum in aulam advenere; ac ejus vidua per illos textum ſericum & litteras ad te miſit. At quomodo de pacis negotiis quidquam ſcire potuit hæc mulier cane vilior? Cætera in litteris Mangu-Cani tendebant ad offerendam tibi pacem, ſi poſceres, & ad minitandum tibi, ſi tuis armis laceſſeretur.

p. 232. *Sup. Lib.* 83. §. 12.

§. XXII.

Sæcul.XIII.
A.C.1255.

§. XXII.
Rubruquisii reditus.

Rubruquisius in reliqua narratione sua singula reditus sui capita recenset. Mangu-Canum reliquit die decimo quinto circiter post festum S. Joannis, nempe sub octavum Julii An. 1254. Bati Aulam attigit eodem die, quo ante annum ex ea discesserat, nimirum 14. Septembris. Natalitias Christi ferias egit Naxivæ Armeniæ urbe antehac amplissima, sed a Tartaris adeo vastata, ut de templis octingentis duo tantum, eaque parva superessent. Inde abiit octavo Epiphaniæ die, seu 13. Jan. 1255.

p. 255.
p. 265.
p. 277.
p. 281.
A.C. 1255.

Prima jejunii verni Dominica 14. Febr. advenit Arsinganum in terra Sultani Iconiensis situm. Dominica *Quasimodo* 4. Aprilis Cæsaream Cappadociæ, ac pridie Ascensionis Curium Ciliciæ portum contigit, ubi usque ad ferias Pentecostes & amplius hæsit. Tum in Cyprum transmisit. Ibi, ait, in Provincialem Ministrum nostrum incidi, & cum eo Antiochiam veni, quæ in tristi esse statu mihi videbatur. Traducto hic S. Petri festo, venimus Tripolin Syriæ, ubi die Assumptæ in cœlum Virgineæ Matri sacro comitia habuimus.

p. 287.

Sæcul. XIII. A C. 1256.

Inde in cœnobium Ptolemaidis me misit Minister Provincialis, nec unquam consensit, ut ex animi sententia te salutatum abirem; sed per hunc tabellarium ad te scribere jussus, obedientiam abjicere non audebam. Sic finitur relatio Fratris Guilielmi Rubruquisii. Dat simul aliquas Regi notitias status Turciæ, Græciæque ac Hungariæ: dicitque, si Papa ut Christianorum caput ad Tartaros tanquam Legatum mitteret quendam Episcopum, aliumve magnæ dignitatis virum, hunc multo æquioribus usurum auribus esse, quam simplices Religiosos.

§. XXIII.

Joannes Parmensis exauthoratus.

A.C. 1256. *Vading.* 1256. *n.* 2. *Boll. to.* 8. *p.* 63.

Festo Purificationis die 2. Febr. an. 1256. Fratres Minores Romæ in cœnobio, cui nomen *Ara cæli*, præsente Papa Alexandro IV. generalia celebrabant comitia. Magnæ querelæ de Joanne Parmensi septimo Ordinis Ministro Generali jactabantur. Accusatus fuerat, 1. quod solum S. Francisci testamentum spectans, idque clarissimum, nec aliam declarationem opus esse perhibens reprehenderet illos, qui explicationes regulæ darent laudarentque declarationes per summos Pontifices aut Doctores factas. 2. Quod observari vellet hoc testamentum

tum tanquam eandem cum regula rem, a S. Franciſco poſt accepta ſtigmata dictatam, ideoque maxima dignam reverentia. 3. Quod velut prophetico ſpiritu præditus diceret, Ordinem duas in partes, eorum nempe, qui regulam fideliter colerent, ac illorum, qui declarationes & privilegia peterent, diviſum iri, venturamque demum eſſe congregationem pauperum, qui regulam examuſſim ſint ſecuturi. 4. & gravius, quod non eſſet puræ fidei, opinionibus Abbatis Joachimi nimium tribueret, quin etiam hujus ſcripta contra Petrum Lombardum tueretur. 5. denique, quod duo ex ejus ſociis Leonardus Gerardusque Abbatem Joachimum ſupra modum efferrent ac defenderent. Sæcul.XIII. A. C. 1256.

Papa igitur animos exacerbatos, ac præcipuos Ordinis viros contra Miniſtrum Generalem ita conſpirantes videns, ut ad officium reduci requirent, comitia indixit, & Joannem Parmenſem prius monuit, ut officium abdicaret, nec continuari pateretur, etiamſi electores id vellent. Quibus congregatis Joannes dignitatem depoſuit, ſuam alios regendi imperitiam, moleſtias ſibi allatas ætatem jam provectam cauſatus. Multis reclamantibus perſtitit in ſententia, immunitatem poſtulans, & ut ipſum denuo eligere ne ſomniarent quidem. Interea,

Sæcul. XIII. A. C. 1255.

quid Papam inter ac Joannem actum esset, inscii ad hunc iterum sibi præficiendum obstinabant animos, donec Papa alium cooptari jussit. Tum Joannes rogatus, ut, quem hoc munere dignum censeret, ediceret, Fratrem Bonaventuram nominabat tunc Parisiis docentem, qui proin una omnium voce electus fuit. Finitis comitiis Papa præcepit, ut Fratres 12. Augusti officio duplici S. Claram colerent, anno priore 19. Octobris in Cœlitum numero repositam. Vigesimo Februarii an. 1256. Papa orantibus quibusdam Joannis adversariis confirmavit explicationem regulæ ab Innocentio IV. datam, quod non tantum Joanni, verum etiam cunctis Fratribus observantiæ puræ studiosis displicuit.

Rayn. 1255. no. 20. *Vading* n. 9. *Bullar. Alex. IV. Const.* 3.

Joannis Parmensis adversarii etiam conabantur supprimere Gesta S. Francisci, quæ Thomas Celanius addiderat illis, quæ primum contexuerat, & quæ restant etiamnum, ac vulgo *Legenda* (seu vitæ descriptio) *antiqua* vocantur. Illud vero additamentum fecerat precantibus duobus ultimis Ministris Generalibus Crescentio ac Joanne Parmensi, eoque collegerat, quæ viderat ipse audieratque, ad regulam ex mente S. Francisci fideliter observandam spectantia. Iidem adversarii vitam hujus Sancti denuo describendam curarunt, ut postea videbimus.

Vading. script. p. 323.

§. XXIV.

Sæcul.XIII.
A.C.1256.

§. XXIV.

S. Bonaventuræ initia.

Balneum Regis in Hetruria Summo Pontifici ſubditum an. 1221. Bonaventuræ octavo Fratrum Minorum Miniſtro Generali cunas dedit. In baptismate nomen Joannis nactus, cum quatuor annorum eſſet, gravem in morbum incidit. Itaque mater eum ſua in preces S. Franciſci etiamnum viventis commendabat, promittens fore, ut eum, ſi convaleſcat, ipſi in diſcipſinam tradat. Vir Dei pro infante precatus, & mox ſanatum videns exclamabat italice: *O buona ventura!* O ſors egregia! Hæ voces in nomen abibant, quod ei cum nomine Joannis adhæſit: ſolebat is autem illo vocari nomine, quod ipſum magis diſtinguebat. Anno 1243. ætatis vigeſimo ſecundo Ordini Minorum ex matris voto ſe addixit. Brevi ad litterarum ſtudia Pariſios miſſus, ibi celebrem Alexandrum Alenſem habuiſſe Magiſtrum dicitur: qui juvenis morum candore ac innocentia motus, Adamum in eo non peccaſſe videri dixit. Bonaventura Doctor erat, & Theologiam tradebat Pariſiis, cum in Miniſtrum Generalem electus eſt anno vitæ 35. poſt ingreſſum Ordinis 13.

Vading. An. 1221. n. 45.

Idem. ſcript. p. 61.

Vita ap. Sur. 14. Jul.

Vading. An. 1243. n. 2.

§. XXV.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

§. XXV.

Causa Universitatis Parisiensis.

To. II. Conc. p. 738. Duboulai p. 295.

Interim ob cæsum Ecclesiæ Carnutensis chori Præfectum Parisiis Concilium celebrabatur. Præsidebat Henricus Archiepiscopus Senonensis: aderantque Episcopi quinque, Guilielmus Aurelianensis, Reginaldus Parisiensis, Vitus Antisiodorensis, Nicolaus Trecensis, Adelelmus electus Episcopus Meldensis. Agebatur ibi etiam de controversia Universitatis cum Dominicanis: & partes inducebantur ad cooptandos arbitros, qui fuere quatuor Archiepiscopi, Philippus Bituricensis, Thomas Remensis, Henricus Senonensis, & Odo Rothomagensis. Præstituto partibus die audiebantur earum Procuratores. Dominicani conquerebantur, quod de gremio Universitatis depulsi, & duabus Theologiæ Cathedris diu possessis privati fuerint; quod Doctores cum discipulis suis juraverint, se nunquam passuros esse, Religiosos Mendicantes ad Universitatis corpus pertinere; quod contra ipsorum mendicitatem habuerint conciones, ipsis injurias intulerint, & insultare non desinant. Doctorum nomine Guilielmus de Sancto Amore exponebat, quas ob causas Fratres Mendicantes abacti fuerint; querebatur

batur de cenſuris, quas hi contra ipſos Romæ impetraverint, & poſtulabat, ut eas retexi curarent. Sæcul.XIII. A.C.1256.

Arbitri ſic ſtatuebant; Fratres duas duntaxat habebunt ſcholas. Semper manebunt ſeparati a corpore Magiſtrorum auditorumque ſecularium Pariſienſium, niſi ultro hi eos illuc revocaverint. Alteri tamen alterorum diſcipulos recipient. Fratres abdicabunt omne jus acceptum ex litteris huic ſanctioni contrariis, ſeu per ſe, ſeu per alios obtentis, vel obtinendis: & curabunt retexi ſententias, quæ dicuntur latæ contra ſeculares, qui nollent ipſos recipere. Fratres ob diſſidia præterita nec Univerſitatem, nec privatum quenquam moleſtia ulla afficient. Cæterum hæc eorum a ſecularibus ſeparatio propter bonum pacis eſt facta, non quod in illis vituperabile quidpiam invenerimus. Hæc ſunt præcipua puncta ſententiæ arbitrariæ, quæ præfixa tenet nomina quatuor Archiepiſcoporum, & ſcripta eſt 1. Martii an. 1255. ſcilicet an. 1256. ante Paſcha.

Sed tertio Martii Papa Alexander ad Epiſcopum Pariſienſem Romæ litteras dedit ſic inchoatas: *De quibusdam Magiſtris;* in quibus cum Satanæ filios ac hoſtes pietatis vocaſſet Doctores ac diſcipulos illos, qui ſe Dominicanis opponerent, ac ne ſtips eis præberetur, obſtarent,

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

ſtarent, Epiſcopum juſſit anathema contorquere in omnes illos, qui alios a confeſſione facienda his Fratribus, ſiquidem iſtis Papa, vel Legatus ejus, aut Epiſcopus, vel Parochus poteſtatem fecerit, vel ab audiendis eorum concionibus lectionibusve averterent, aut eis ingreſſum in ſcholas lectionum & diſputationum tempore denegarent. Poſt menſis ſpatium 4. Aprilis Papa Univerſitati per epiſtolam exprobravit, quod conſtitutionem ſcholæ ſuæ conſervandæ gratia factam (intelligo diploma: *Quaſi lignum vitæ*) non obſervaverit. Hoc adſcribit privatis quibusdam (inter alios Guilielmo de Sancto Amore) qui reliquos ſubornaſſent, & Univerſitati, niſi obedientiam præſtet, pœnas minatur. Poſt dies octo Papa Regem S. Ludovicum per litteras oravit, ut Epiſcopo validam commodaret manum ad coërcendam Academicorum contra Dominicanos inſolentiam. Hæ tres epiſtolæ videntur eſſe ſcriptæ, antequam Papa ſciret compoſitionem Pariſiis factam.

§. XXVI.

Eremitæ S. Auguſtini.

Eodem tempore Papa Alexander quinque Eremitarum Congregationes, duas S. Guilielmi, tres S. Auguſtini, unum

num in corpus redegit. Hic S. Guilielmus est Malavallensis ille abhinc centum circiter annos mortuus, cujus imitatores duas Congregationes formarunt: ejus nomen servabat altera: altera aliud a monte Fabalio sumpsit. Suum quæque Præpositum Generalem habebat: sed utraque observabat regulam S. Benedicti, postquam Papa Gregorius IX. hanc ambabus permiserat. Tres reliquæ Congregationes S. Augustini regulam sequebantur, ab eodem Sancto, a B. Joanne Bono, & a Brictina nomen adeptæ. Dudum vero multi in Europa Eremitæ conspiciebantur, qui se S. Augustini regulam sequi dicebant. Joannes Bonus est Eremita ille Mantuanus, de quo suo loco mentionem feci: obiit 23. Oct. 1249. & Papa Innocentius IV. urbis ac Episcopi Mantuani rogatu Albertum Episcopum Mutinensem in illius vitam & miracula inquirere jussit per litteras 17. Jun. an. 1251. datas. Congregatio de Brictina nomen traxit a solitudine sua in Diœcesi Fanensi & in agro Anconitano sita: & Papa Gregorius IX. an. 1238. S. Augustini regulam concessit aliam approbatam non habenti.

Sæcul. XIII. A C 1256

Boll. 10. *Febr. to.* 4. *p.* 472. *Sup. Lib.* 70. §. 19.

Sup. lib. 81. §. 4.

Bzov. 1249. *n.* 11.

Hæ quinque Congregationes erant, quas Papa Alexander conjungendas suscepit. Imperavit igitur, ut duos e quovis cœnobio fratres plena potestate munitos

Bullar. Alex. IV. Const. 6.

Sæcul. XIII. A. C. 1256.

nitos Romam mitterent. Tum negotii curatorem illis dedit Richardum Cardinalem Diaconum a S. Angelo, qui ad comitia generalia convocatos, ex communi consensu ad æqualem unius regulæ observantiam sub Præpositum quendam Generalem redegit, quem eligendum Cardinali tunc quidem relinquebant. Abdicata bonorum immobilium possessione nuncupatum perfectæ paupertatis votum exercere porro, sed ab imposita sibi baculos gestandi necessitate absolvi volebant. Cardinalis in utrumque consentiens, unico jam Ordini Eremitarum S. Augustini primum Præpositum Generalem Lanfrancum constituit. Papa 9. Aprilis an. 1256. per diploma suum rem totam ratam habuit. Et hæc fuit origo Religiosorum S. Augustini Mendicantium.

Sup. Lib. 81. §. 4.

Boll. p. 477.

Ac Guilielmitæ hac in conjunctione haud diu perstitere. Ab instituto S. Guilielmi & a S. Benedicti regula, quam Gregorius IX. & Innocentius IV. ipsis permiserant, abstractos se cum dolerent, Alexandrum IV. orando ita flectebant, ut ipsos sicut antea sub peculiari suo Præposito Generali vivere pateretur.

§. XXVII.

Sæcul.XIII.
A.C 1256.

§. XXVII.

Joannes Parmenſis condemnatur.

Cumprimum S. Bonaventura Romam veniſſet ut Ordinis ſui Miniſter Generalis, Joannis Parmenſis adverſarii urgebant, ut in hunc & hujus ſocios tanquam de fide perperam ſentientes inquireret. Producebantur puncta complura ex eorum operibus excerpta: ſed poſt examen ſerium nihil, quod fidem læderet, deprehenſum fuit. Ventum denique ad præcipuum accuſationis caput, & rogabantur, quid ſentirent de Abbate Joachimo & doctrina ejus? Laudabant virum, & obfirmatis animis aſſerebant, eum nihil falſi docuiſſe de naturæ divinæ unitate, ac perſonarum triade (hoc quippe myſterium erat, de quo maxime agebatur) ejus ſenſa fuiſſe conſentanea doctrinæ Patrum & Conciliorum; ac Lateranenſe novam rei deciſionem omittere potuiſſe. Inter duos Joannis Parmenſis ſocios aſperior, fervidiorque, ſeu objiceret, ſeu reſponderet, ſed & doctior Gerardus erat, qui Theologiam per aliquot annos jam tradiderat. Tandem ambo, cum pertinaciter ſententiis ſuis adhærerent, a Judicibus ad perpetuum damnati carcerem cum gaudio adierunt, ſe veritatis cauſa exagitatos rati. Leo-

Vading. n. 5. Vita ap. Boll. to. 8. p. 64.

Sæc. XIII. A.C 1256.

nardus ibi vitam posuit, Gerardum post decem & octo annos S. Bonaventura emisit.

Parvum Hetruriæ cœnobium erat, in quo Joannis Parmensis causam cognoscebant delecti a Bonaventura Judices. Papa rei curam commisit Cardinali Joanni Cajetano de Ursinis, qui postea Pontifex evasit Maximus. Nihil in Joanne culpæ inventum, nisi quod Abbati Joachimo, & hujus doctrinæ nimium addictus esset: ac demum ad diuturnum carceris squalorem condemnatus fuit. Sed interveniebant epistolæ, quas Cardinalis Ottobonus Innocentii IV. nepos (postmodo & ipse Papa) Cardinali Cajetano & S. Bonaventuræ scripserat, de fide Joannis Parmensis sponsorem agens, indicansque, se, quidquid huic Religioso fieret, sibi factum esse crediturum. Cum Cardinalem Cajetanum hæ litteræ commovissent, sententia executioni data non est; ac Minister Generalis Joanni detulit optionem loci, quem vellet incolere. Elegit angustum cœnobium Grecchianum prope Reate, ibique annos triginta duos permansit.

Sæcul. XIII.
A.C. 1256.

§. XXVIII.

Mors Guilielmi Batavi Romanorum Regis.

Inchoato hoc anno 1256. Guilielmus Batavus Rex Romanorum miſere interiit Friſones bello petens. Dum armatus ſupra paludem frigore conſtrictam iter facit, ſub pedibus equi ſui pariter loricati fracta glacie, quo magis conatur evadere, hoc altius deſidit. Superveniunt Friſones, & magno redemptionis pretio nequicquam oblato multis confoſſum ictibus in fruſta concidunt. Talem hic Princeps mortem oppetiit exeunte Januario: de qua edoctum Papam pœnitebat ſcilicet, inquit Matthæus Paris, immenſas pecuniæ ſummas in ejus ſubſidium inſumſiſſe. Timebat etiam, ne parvulum Conradinum in Imperatorem eligerent multi Germaniæ Principes, quos illius Patri Conrado, ac univerſæ domui Suevicæ centum viginti propemodum annos regnanti favere cognoverat. *Annal. Steron.* *p. 793.*

Igitur electionis tempus imminere ratus, 28. Jul. 1256. Electori Archiepiſcopo Moguntino ſcripſit in hanc ſententiam. Negotii hujus gravitas attentionem ſingularem, & maturam deliberationem poſtulat, præſertim, ut eligatur Vir fidelis ac devotus Eccleſiæ, & cujus Majo- *ap. Rayn. n. 3. Bullar. Alex. IV. Conſt. 7.*

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

res similiter comparati fuerint. Scis autem, qualem reverentiam Imperator Fridericus, & Majores ejus Ecclesiæ matri suæ exhibuerint, & qualem huic gratiam pro beneficiis acceptis retulerint. Sic illam tractabant, quasi pessundare vellent & crudelitate omnes cæteros ejus hostes superabant. Unde colligi potest, quid sit sperandum, siqua huic familiæ potentia restet, cum arbor mala non nisi malos ferat fructus. Itaque de parvulo Conradino nihil cogitandum, nec ullo modo eligendus is est, quippe qui ob teneram nimis ætatem suam nec consentire in suffragia, nec tueri Ecclesiam, nec functiones regias exercere posset. Quocirca proscriptionis sententia jam nunc in te, ni pareas, lata sancimus, ne illum eligas: & antequam ferantur suffragia, eandem inhibitionem nostro nomine facies cunctis reliquis Electoribus tam sacris quam profanis. Eadem epistola Archiepiscopis Trevirensi & Colonienſi mittebatur. Sed electio sequenta demum anno facta est.

Sup. Lib. 83. §. 23. Addit. ad Lambert. Pistor. to. 1. p. 158.

Archiepiscopus Moguntinus erat Gerardus, qui hanc sedem quinquennio tenebat, & a Guilielmo Batavo sempet steterat. Hunc Præsulem hoc anno 1256. una cum agnato suo Comite Eberstеinio ab Alberto Brunsvici Duce, quem Comes offenderat, captum, & anni spatio asser-

asservatum in carcere tandem Richardus Cornubiæ Comes, Regis Angliæ frater, in libertatem asseruit, ut Imperator fieret, Electoribus multas largiens pecunias, & octies mille selibris illum redimens, cujus captivitas electionem Regis Romanorum sine dubio retardabat. Sæcul. XIII. A.C. 1256.

§. XXIX.

Causa Universitatis Parisiensis.

Cum Papa Alexander transactionem inter Universitatem Parisiensem ac Dominicanos ex authoritate quatuor Archiepiscoporum factam comperisset, ad Episcopum Parisiensem dedit litteras, quibus initium: *Cunctis processibus*, & per quas aperte pro Dominicanis contra Doctores se declarat. Hos asperis objurgat verbis, quod diploma *Quasi lignum vitæ*, ac Episcoporum, quibus ejus executio injuncta esset, sententias non observaverint; arguitque malæ fidei, quia corpus Universitatis dissolutum esse causati, lectiones suas meram per malitiam suspenderint. Dicit, Fratres invitos & Doctorum ludibriis, injuriisque fatigatos per imprudentiam & sine consensu sanctæ Sedis iniisse compositionem: Doctores ipsos hanc violasse obsistendo iis, qui conciones lectionesque Fratrum audire, vel fratris Thomæ Aquinatis principio *Vading.* 1256. n. 26. *Duboulai* p. 302.

Sæcul. XIII. A. C. 1256.

intereſſe voluerint. Sic vocabatur actus Theologiæ publicus, qui ſimplices in ritus & formulas degeneraverat. Fratres, adjungit Papa, colendæ cum omnibus pacis cupidi & inimicorum amantes ſupplicarunt nobis, ut ſententias in Doctores ac diſcipulos propter ſe latas finito jam diſſidio retexeremus. At neglectis eorum precibus hanc transactionem, nobis inconſultis temere factam, in ſe injuſtam, & conſtitutioni noſtræ, quam ſancte obſervari volumus, oppoſitam omnino rejecimus.

E contrario, ne tam deteſtabilis contra Eccleſiam Romanam rebellio pernicioſo ſit exemplo, Guilielmum de Sancto Amore, Odonem Duacenſem, Nicolaum de Bario ad Albulam, & Chriſtianum Canonicum Bellovacenſem, tanquam præcipuos ſeditionis hujus authores cunctis dignitatibus, beneficiis, ac Doctorum functionibus privamus. Atque ſi contra inhibitionem noſtram docere vel cathedram conſcendere audeant, indignos ullo beneficio declaramus, & tota ex Francia ejici jubemus. Tum ſacrum fulmen intentat Epiſcopo, niſi has litteras Pariſiis promulgari, & Doctorum rebellium beneficiis providere collatores jubeat. Dabat 17 Junii. Silentio, quod notari meretur, præterit Archiepiſcopos compoſitionis a ſe damnatæ arbitros. Regi quoque S. Ludo-

Bulla: Veræ fidei. Vading. n. 28. Duboulai p. 306.

S. Ludovico scripsit, orans, ut easdem litteras executioni dandas curet, Doctores seditiosos submoveat, impediatque, ne Schola Parisiensis dissipetur, aut alio transferatur. Sæcul.XIII. A.C. 1256.

Interim Archiepiscopus Senonensis concilium Parisiis celebrabat, cui Episcopi duodecim aderant; sex e provincia Remensi, scilicet Suessionensis, Bellovacensis, Noviodunensis, Atrebatensis, Ambianensis, ac Tarvannensis; totidem e Senonensi provincia, Carnutensis, Parisiensis, Aurelianensis, Meldensis, Trecensis, & Nivernensis. Hoc in concilio Ordinis Prædicatorum Magister querebatur, quosdam Theologiæ Doctores sæculares docuisse palam, & in templo ex suggestu dixisse complura falsa & in bonos mores errata, quorum aliqua Ordini suo in damnum cederent. Præsules accivere Doctores Guilielmum de Sancto Amore, ac Laurentium Parisiis Theologiam tradentes cum aliis quibusdam hominibus probis in litterarum studio versantibus; rogabantque Guilielmum, an docuisset errores aliquos, vel Prædicatorum Ordinem a summo Pontifice approbatum vituperasset. Negabat ille, dicebatque se paratum, quæ dixisset, defendere, si vera essent, aut retractare, si corrigi mererentur. Præsules inita deliberatione offerebant se ad habendum concilium, quo *G. S. Am. reponf. p. 106. Duboulai p. 309.*

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

vicinarum provinciarum Theologos convocarent; quærebantque ex partibus, an obſervaturæ ſint ea, quæ hoc concilium ſtatuerit. Guilielmus id accepit cum gaudio, & genibus pronis ſupplex effictim petiit tam ſuo quam reliquorum Doctorum nomine, emendationem, quæ concilio placuiſſet, etiam ſibi & ipſis placituram ſpondens. Sed Fratrum Prædicatorum Magiſter ejusque ſocii perhibebant, ſibi aliud videri; & illi concilio in ſola provincia Senonenſi authoritatem fore: Ordinem vero ſuum, cujus exiſtimatio læſa eſſet, per omnia ſe regna porrigere. Guilielmus tamen Univerſitatis nomine ſupplicavit Præſulibus, ut pericula doloſis a concionatoribus Eccleſiæ Gallicæ imminentia inveſtigarent, & avertere conarentur. Teſtantur id tredecim Præſules in ſuis litteris patentibus, quas ultimo Julii an. 1256 ediderunt.

§. XXX.

Liber de periculis temporum noviſſimorum.

Guilielmus de Sancto Amore hoc ipſo anno & orantibus quidem Epiſcopis, ut ajebat, reapſe compoſuit librum, quem inſcripſit: Pericula noviſſimorum temporum; alludens ad quendam S. Pauli locum, quem explicandum ſibi ſumit. Vide,

p. 109.

2. *Tim.* 3. 1.

de, quomodo propositum declaret suum. In Ecclesia erunt multa eademque magna pericula: sed quænam illa? Per quod hominum genus venient? Quomodo id comparatum erit ad illa inferenda, & quam inibit viam? Docebimus hæc singula, & ostendemus simul, eos, qui non præviderint illa, vel non caverint, in eisdem perituros esse. Instare illa, nec differendam eorum indaginem ac remotionem. Quinam sint ii, qui præsentire illa, & Christianis indicare debeant; & qualis eorum pœna, ni faciant, futura sit. Quibus modis & illa averti, & cognosci possint homines ea allaturi. Contra neminem singulariter, nec adversus Ordinem quempiam ab Ecclesia probatum se velle loqui enunciat; sed haud sincere: nam in hoc opere toto Religiosos Mendicantes, & speciatim Dominicanos designat tam clare, velut si eos nominaret; ac evidens est, nihil eum aliud voluisse, quam de illorum fama detrahere.

Sæcul.XIII. A.C 1256.

p. 19.

p. 20.

En propositiones, quæ hoc in libro notatu digniores mihi videntur. Fallunt omnes Concionatores non missi, quantumvis docti sanctique, etiamsi miracula ederent. Sed in Ecclesia missio legitima non fit nisi ab Episcopis & Parochis: Episcopi Apostolorum, Sacerdotes duorum ac septuaginta discipulorum locum tenent. Ad verbi divini præconi-

p. 24.

dist. 21. *c.* 2.

p. 25.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

nium, inquies, sufficit habere authoritatem Pontificis Maximi, vel Episcopi Diœcesani. At si Papa quibusdam dat potestatem concionandi ubique, intelligenda est de locis, in quæ invitati fuerint; quia ipsis Episcopis non nisi hoc in casu licet extra diœceses suas aliquam functionem agere. Papa in se ipsum iniquus foret, si turbaret jura suorum Fratrum Episcoporum. Nec est verisimile, illum de rebus divinis ad populos dicendi copiam hominum multitudini non definitæ facere: alioqui hæc esset quasi quædam infinitas Episcoporum universalium. Et quoniam sustentatio debetur illis, qui cum authoritate legitima verbi divini sementem spargunt, id foret populis onus intolerandum imponere.

p. 26.

p. 47.

Si Præsules Apostolorum fallacium conciones cohibere velint, id effectum reddendi ratio maxime compendiaria erit impedire, ne ad vitam necessaria accipiant: sublato enim hoc subsidio, haud diu sacro ex suggestu dicent. Atqui non habent jus victitandi de Evangelio sicut veri Apostoli, cum populum sibi subditum non habeant. Siquis interroget, quid demum mali sit precario victum conquirere: respondeo, mendicato viventes fieri blandos, maledicos, mendaces. Si dicas, ad perfectionem virtutis pertinere pro Christo relictis omnibus stipem colligere:

p. 48. 49.

gere: asserо perfectionis esse abdicatis rebus omnibus Christum sequi imitando in exercitio bonorum operum, scilicet laborando, non mendicando. Igitur, qui ad perfectionem aspirat, debet relictis omnibus vitæ alimenta sibi labore manuum comparare, vel cuidam cœnobio nomen dare, quod vitæ subsidia ipsi præbeat. Nusquam legimus, Christum vel Apostolos ejus corrogasse stipem: & quanquam jus habebant petendi victum a populis, quos ex missione legitima docebant, laborabant tamen, ut haberent, unde viverent. Ipsæ leges humanæ mendicos valentes damnant. Verum est, Ecclesiam a longo tempore mendicitatem quorundam Ordinum permittere vel tolerare saltem. Sed hinc non conficitur, eam semper admittendam esse contra S. Pauli verba. Atque si Ecclesia illam per errorem concessit, post agnitam veritatem permissionem suam retractare deberet.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

p. 50. 51.

l. un. cod. de Mend. valid.

Inter signa fallacium Apostolorum author memorat sequentia. Salutis animarum studio præ pastoribus ordinariis flagrare se simulant. A se illustratam Ecclesiam, peccatumque hinc exterminatum esse gloriantur. Adulantur hominibus commodi sui causa, & in aulis Principum hærere amant. Utuntur artibus, ut sibi cedant bona temporalia seu viventium seu mortuorum. Clamant contra veritates

p. 61. 62. 66.

p. 63.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

tates sibi contrarias, & has supprimere studeant. Litigant, ut recipiantur: nihil sufferunt: succensent, dum ad convivium non satis lautum adhibentur, vel ad examen vocantur: contra illos, qui hoc attentant, consurgunt, & potestates profanas concitant. Expetunt secularium amicitias; ac beneficia & dignitates ecclesiasticas cognatis suis quanquam indignis, conferri curant. Quos in viros hæc indicia caderent, judicare illorum, qui tunc vivebant, erat.

p. 67. 69.

p. 71.

Nang. Chr. 1256. *Duboulai p.* 313.

Id vero certum est, hunc Guilielmi librum duntaxat feciſſe, ut contentio Universitatem inter ac Dominicanos efferveſceret. Restincturus illam Rex S. Ludovicus duos Doctores Joannem ac Petrum magnæ existimationis viros de suis intentionibus satis edoctos Romam misit, qui secum ferebant librum a Papa discutiendum. Quo comperto Universitas quoque suorum aliquos illuc legavit, nempe Guilielmum de Sancto Amore, Odonem Duacensem, Christianum Canonicum Bellovacensem, Nicolaum de Bario ad Albulam, Joannem Belinum, & Joannem Gectevillium Anglum Rectorem suum, ut liber *Evangelium Æternum* dictus condemnaretur, effecturos. Etiam Dominicani eo miserunt, qui causam ipsorum contra Legatos Universitatis defenderent. At populus illos nulla dona-

Mat. Par. p. 860.

tos

tos ſtipe ludibrio habebat, ſimulatores pie- Sæcul. XIII.
tatis, præcurſores Antichriſti, concionatores mendaces, blandos Regum ac Principum conſiliarios nuncupans, arguensque, quod paſtores ordinarios ſpernerent, ſacri tribunalis fidem fallerent, ac peccandi audaciam foverent, incognitas ſibi provincias percurrentes. Ita loquitur Matthæus Paris Religioſis Mendicantibus parum favens. A.C.1256.

§. XXXI.

Legatio ad novum Imperatorem Græcum.

Interim Papa Alexander Epiſcopum Urbevetanum ut Legatum ad novum Imperatorem Græcum, qui Theodorus Lascaris vocabatur, miſit, negotium de conjungendis Eccleſiis cum ejus patre Joanne Vatacio cœptum reſumendi gratia. Mandatum vero, quod Papa Legato dedit, continebat primo puncta, quæ Vatacius Papæ Innocentio IV. proponenda curaverat, ſcilicet agnitionem principatus ſanctæ Sedis & Papæ ſupra omnes Patriarchas cum jure præſidendi conciliis; Græcorum Clericorum, qui per Præſules ſuos ſe vexatos crederent, libertatem appellandi ad Romanam Eccleſiam; quæſtionum, præſertim fidei, quæ inter ipſos orirentur delationem ad Sedem Apoſtoli-

2. ep. 325. ap. Rayn. n. 48. Vading. n. 61

Sæcul. XIII. A. C. 1256.

postolicam; obedientiam ac submissionem Papæ ac decretis ejus exhibendam, dummodo regulis evangelicis, aut conciliorum sanctionibus non sint contraria. Græci cupiebant Imperatori Theodoro Constantinopolim, & Patriarchis suis sedes ipsorum restitui, ita, ut Imperator Balduinus & Latini Patriarchæ inde discederent, excepto Patriarcha Antiochiæ, qui, quamdiu viveret, ibi toleraretur. Papa Innocentius IV. de consilio Cardinalium has in conditiones consenserat.

Attamen de reddendo Imperio nihil se posse non vocato Imperatore Latino statuere causatus, offerebat operam suam ad compositionem inter eum ac Theodorum faciendam: sin minus, se huic, quidquid æquum esset, addicturum spondebat. Ad Patriarchas quod attinet, respondebat, eos relinquendos in statu suo, donec concilium ea de re tulisset sententiam. Promittebat tamen fore, ut Constantinopolitanum Patriarcham Græcum ab eo tempore pro vero Patriarcha habeat, & siquo modo potitum urbe Imperatorem Græcum audierit, ad pristinam Patriarchatus sedem reduci curet, ita tamen, ut etiam Patriarcha Latinus in civitate maneat, suisque præsit.

Papa Alexander permisit, ut Episcopus Urbevetanus Legatus suus has conditiones, si obtinere meliores nequiret, acci-

acciperet, eumque juſſit Græcos, ſi rei fuſius tractandæ ſpatium dari cuperent, eo adducere, ut Legatos cum plena poteſtate tam Imperatoris quam Eccleſiæ Græcæ Romam mitterent, negotium cum Papa præſente confecturos. Denique Legatus habebat copiam dirigendi conſilia ad generale concilium illis in locis celebrandum. Reapſe profectus cum comitibus ſuis Beream in Macedonia ſitam advenit, ubi aliquamdiu morabantur. At Georgius Acropolita magnus logotheta, quem Imperator Theodorus illi provinciæ præfecerat, hoc Principe jubente eos remiſit. Nec ullum hujus legationis effectum vidimus.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

Georg. Acrop. c. 67. p. 77.

§. XXXII.

Liber de periculis condemnatur.

Legati Regis S. Ludovici, & Dominicanorum nuncii ante oratores Univerſitatis Pariſienſis Anagniam, ubi Papa tunc agebat, delati librum de periculis noviſſimorum temporum ei tradiderant. Qui examinandum commiſit quatuor Cardinalibus, Odoni Caſtro-Rodulphino Episcopo Tuſculano, Joanni Franciogo Presbytero tit. S. Laurentii, Hugoni a S. Charo Presbytero tit. S. Sabinæ Dominicano, & Joanni de Urſinis Diacono tit. S. Nicolai. Retulerunt ad Papam, hunc librum conti-

Duboulai p. 310. 313.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

continere malas ſententias aliquas contra authoritatem ejus ac Epiſcoporum, quasdam contra Religioſos Mendicantes, alias contra illos, qui per ſuum ſalutis animarum litterarumque ſtudium in Eccleſia plurimum boni præſtarent. Denique hunc librum amplam offenſionis ac turbarum materiam eſſe, cum Chriſtianos ab eroganda ſtipe, aliisque pietatis operibus ſolitis, & ab ingreſſu Religioſi Ordinis cujuspiam inhiberet. Idcirco Papa 5 Oct. 1256 litteras patentes confici juſſit, per quas hunc librum condemnat ut iniquum, ſceleſtum, ac execrabilem; præcipit, ut, quisquis eum habeat, comburat alioqui proſcribendus; prohibet, ne quis eundem ullo modo defendat, vel approbet. Hæc damnatio in Anagnienſi templo Cathedrali publice pronunciata, & liber præſente Papa crematus fuit.

p. 312.

G. Nangis Chr.

§. XXXIII.

Duo Doctores ſe ſubmittunt.

Duboulai p. 315. Vading. n. 37.

Vix hæc facta erant, cum Univerſitatis oratores advenerunt. Sed tantum aberat, ut latum retractaretur judicium, ut illi ſe huic ſubmittere juberentur. Saltem duo eorum, Odo Duacenſis, & Chriſtianus Bellovacenſis Canonicus in præſentia duorum Cardinalium Hugonis a S. Charo,

S. Charo, & Joannis de Urſinis, complu- Sæcul.XIII.
riumque teſtium jurabant fore, ut diplo- A.C.1256.
mati *Quaſi lignum vitæ* morem gerant; ut Fratres Prædicatores Minoresque, nominatim Thomam Aquinatem ac Bonaventuram in ſocietatem ſuam & in corpus Univerſitatis recipiant; ut ſcholam Pariſienſem diſſipari, vel ſine Papæ permiſſu alio transferri neque curent, neque patiantur; ut tam in curia Romana, quam Pariſiis declarent, aut palam e ſacro ſuggeſtu edicant, Papam habere jus præcones evangelii, ac pœnitentiæ adminiſtros univerſum per orbem mittendi abſque conſenſu inferiorum Præſulum vel Parochorum. Epiſcopos inconſultis Parochis poſſe ſuis in Diœceſibus concionandi, & confeſſiones audiendi copiam facere. Statum mendicitatis amore Chriſti electum eſſe ſtatum ſalutis ac perfectionis; & Religioſis eum amplexis quamvis valentibus licere ſine labore manuum de ſtipe vivere, præſertim ſi ad litteras & miniſterium verbi divini ſe applicent. Duos eorum Ordines eſſe bonos & ab Eccleſia probatos; Deumque id declaraſſe per miracula utriusque Ordinis Virorum, quos Eccleſia legitime Sanctis annumeraſſet. Hæc omnia tum dicturos ſe tum facturos eſſe ambo Doctores Anagniæ in Papæ palatio jurati publice promiſerunt 23 Oct. 1256 fuitque res hæc juſtis- p. 316.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

simæ authoritatis ac fidei tabulis consignata.

§. XXXIV.

S. Thomæ Aquinatis initia.

Sanctus Thomas Aquinas, cujus hic mentio injecta est, sub annum 1225 in lucem editus originem suam retulit nobilissimam ad familiam jam inde ab anno 996 cognitam. Aquinum Campaniæ Neapolitano in regno parva quædam urbs est, cujus tunc Comes Landulphus complures habens liberos hunc Thomam filiolum suum quinquennem informandum litteris, & in disciplina monastica educandum in montem Cassinum misit, eum ibi posse aliquando Abbatem fieri sperans. Posthæc Landulphus de consilio Præsulis Cassinensis Thomam adolescentem Neapolim misit, ubi Grammaticam iste, ac logicam sub Professore Martino, physicam sub Petro Hibernico didicit. Erat is, ut legimus, primus Rector hujus Universitatis ab Imperatore Friderico recens conditæ. Ibi Thomas suam ad scientias habilitatem monstrare cœperat, cum sacræ Prædicatorum familiæ in Neapolitano S. Dominici cœnobio nomen dedit anno 1243, ingratiis parentum Ordinis paupertatem dedignantium: & matre sua Neapolim se quæsitum profecta, Romam primum,

Boll. to. 6. p. 657. Echard. sum. vinc. p. 212 p. 218.

Boll. p. 660.

Sup. lib. 79. §. 30.

primum, dein Parisios a Dominicanis est missus. Sæcul.XIII. A.C.1256.

Sed cum in via prope Aquas Tarinas sive Aculam ad fontem quiesceret, fratres eum sui ex insidiis captum dimissis quatuor Dominicanis itineris comitibus in arcem Rupis Siccæ patris ditioni subditam duxere, ibique per annum circiter in custodia detinebant. Tentabant eum pluribus modis, ut Ordinem S. Dominici desereret. Lacerari vestem ejus jusserant. At retentis frustis se tegebat potius, quam aliam sumebat. In cubiculum ejus puellam immiserant elegantia formæ, cultu corporis, faceto ingenio, & blandiendi artibus ad fascinandos oculos animumque idoneam. Sed in camino titione arrepto miseram indignans pepulit. Tum per illius acumen formata in muro cruce prostratus humi a Deo donum virginitatis petiit, quam reipsa per omnem vitam suam servavit incolumem. Hoc in castro captivus uni e sororibus suis persuasit, ut res fluxas abdicaret. Quæ Benedictinarum Virginum institutum complexa in Capuano S. Mariæ cœnobio Antistita evasit. Eodem in carcere & totum codicem sacrum, & opus Magistri sententiarum legit, & tractatum sophismatum Aristotelis discussit. Tandem, cum mater eum sua noctu e fenestra per funem demitti passa esset quasi rei nescia, expectatum

Sæcul. XIII. A. C. 1256.

tum Dominicani Neapolim reduxerunt anno 1244.

Echard. p. 213. 227.

Inde mox Romam missus ad quartum Ordinis Magistrum Generalem Joannem Teutonicum tunc in Franciam ire parantem, & ab eo Parisios, dein protinus Coloniam Agrippinam ductus, ibi Theologiæ studium impendit suum sub Alberto postea per cognomen Magni clarissimo. Cum præ solerti attentione acerrimaque meditatione sua continuum teneret silentium, socii stupidum rati, bovem mutum vocabant. Sed Albertus Thomæ perspicacia brevi agnita dixit, progressu temporis fore, ut doctis hujus bovis mugitibus totus terrarum orbis personet.

Boll. p. 662. n. 13.

Festo Pentecostes die an. 1245 generalibus Ordinis comitiis Coloniæ celebratis Albertus ad docendum Parisios & Thomas cum eo missus. Confecto curriculo

p. 231.

suo cooptatus in Doctorum classem Albertus an. 1248 cum Coloniam rediret, sequentem rursus Thomam habuit. Illic diu commorans docebat magna cum fama. At Thomas Parisios reversus & an. 1253 ibi prima donatus laurea librum sententiarum explicare cœpit sub Fratre Elia Bruneto Doctoris munus obeunte. Anno 1254 honores a Doctorum dignitate proximos nanciscebatur, & lectiones suas tanquam Professor continuare.

Sed

Sed Universitatem inter ac Dominicanos orta dissidia illius gradum retardabant. Quem tamen mense Februario 1256 assecutus cum esset, per Universitatem illi non licuit facere suum principium seu actum necessarium, ut solenni ritu Doctor crearetur. Tum jubente Humberto Romanensi quinto Ordinis Magistro Generali profectus in Italiam se Anagniam ad summum Pontificem contulit, ubi Albertus Magnus jam anni spatio, & S. Bonaventura aderant. Cuncti tres illic Ordines suos contra Guilielmum de Sancto Amore defendere conabantur ac efficere, ut ejus liber de periculis novissimorum temporum damnaretur.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

p. 252.

p. 215.

§. XXXV.

Liber Evangelium Æternum dictus condemnatur.

E contrario Universitatis oratores urgebant damnationem *Evangelii æterni*, quod Joanni Parmensi tribuebatur; & odium libri non in solos Fratres Minores, quorum Minister Generalis fuerat, sed in omnes Religiosos Mendicantes conferebant. Igitur Papa Alexander librum non posse non damnari videns caute voluit, ut Cardinales Hugo a Sancto Charo, ac Episcopus Messanensis, amboOrdinis Prædicatorum illum clam condemnarent, curarent-

Matth. Par. *p.* 806. 807.

Sæcul. XIII. A. C. 1256.

rarentque flammis tradi. Errores, quos continebat, in puncta viginti septem redacti sunt, ut refert Inquisitor Emericus ejusdem Ordinis Religiosus, qui centum annis posterior vivebat. Illorum summam vide!

Abbatis Joachimi Doctrina doctrinæ Christi, & quod consequitur, veteri novæque legi præstat. Nam Christi evangelium, & nova lex non ducit ad perfectionem: debet aboleri ut prisca; nec durabit nisi usque ad annum 1260. Hic tertius orbis status erit tempus Spiritus Sancti: qui tunc vivent, in statu perfectionis vivent: aliud evangelium erit, aliudque sacerdotium, & concionatores hujus ultimi status majorem habebunt authoritatem, quam oratores Ecclesiæ primitivæ. Non spiritualis, sed litterarii duntaxat novæ legis sensus intelligentia Papæ concredita fuit. Recte agebant Græci, dum se ab Ecclesia Romana disjungebant; & magis sequuntur spiritum, quam Latini: quemadmodum Filius operatur saluti Latinorum, sic Pater æternus Græcorum saluti operatur. Quantacunque Deus calamitate Judæos hoc in orbe affligat, conservabit tamen eos, & quamvis in secta sua permaneant, demum ab omnibus reliquorum hominum injuriis liberabit. Christus & Apostoli non fuere perfecti in vita contemplativa: hæc a tempore Abbatis

batis Joachimi denique fructus parere cœpit: eo usque activa tantum vita erat utilis; qualis modo non est amplius: quamobrem Clericatus cessabit; & inter Religiosos eminebit Ordo cæteris cunctis dignior, prædictus a Psalmista canente: *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Nec ullus homo mere homo aliis spiritualia docendis idoneus est, nisi nudis eat pedibus. Sic duo habemus indicia, cujus Ordinis fuerit author *Evangelii Æterni.*

Sæcul.XIII. A.C.1256.

*Psal.*15. *v.*6.

Dicebat etiam: Hujus tertii generis homines, nempe Religiosi, non tenentur, ut alii, pro tuenda fide se morti exponere: quando vexabuntur a Clero, transibunt ad ethnicos: timendumque, ne transeant, ut eos ad bellum Ecclesiæ Romanæ inferendum inducant, sicut in Apocalypsi scriptum est. En errata ex *Evangelio Æterno* excerpta: Memineris, oportet, Joannem Parmensem ad Græcos veniisse, ut eos Ecclesiæ Latinæ reconciliaret. Tunc ejus oculos ferire, animumque commovere potuerant bonæ quædam reliquiæ veteris disciplinæ, præsertim frugalitatis paupertatisque Græcorum Episcoporum tam diversæ a fastu & magnitudine temporali Episcoporum Latinorum sui seculi. Videbimus postea, inter Fratres Minores longo tempore fuis-

*Apoc.*17.*v.*16

*Sup. lib.*83. §. 3.

Sæcul. XIII. A. C. 1256.

se privatos quosdam Abbatis Joachimi deliramentis captos.

§. XXXVI.

Sicilia Regi Angliæ offertur.

Papam Alexandrum jam inde ab initio sui pontificatus maxime occupabat bellum suum contra Manfredum, cujus res indies bellius procedebant. Anno priore 1255 Legatus Octavianus partes summi Pontificis debiliores videns ad pactionem venerat, per quam illi Principi ac nepoti ejus Conradino regnum Siculum cedebat, excepto agro Laborino, qui Ecclesiæ maneret obnoxius. Sed Alexander hanc pactionem minime ratam & Siciliæ solium pro vacuo habens, id Anglorum Regi Henrico pro Edmundo altero ipsius filio obtulit, ut jam Innocentius IV. fecerat: & conditiones hujus concessionis statutæ fuerant. Jacobus Bomcambius Episcopus Bononiensis Ord. Prædicatorum a Papa hoc fine missus in Angliam, coram Regni Proceribus magno numero congregatis juvenem Principem Edmundum in possessionem Siciliæ Apuliæque per annulum Papæ nomine illi datum inauguravit post festum S. Lucæ diem scilicet sub finem Octobris anno 1255.

Anon. ap. Ughell. to 9. p. 843. 844.

Rayn. an. 1255. n. 8. Ughell. to. 2. p. 25. M. Par. p. 779.

Post

Sæcul. XIII. A. C. 1256.

Post spatium mensis venit in Angliam Rustandus Legum Doctor, Hypodiaconus, Papæ a sacrario, natione Vasco. Huic Alexander in mandatis dederat, ut cum Archiepiscopo Cantuariensi ac Herefordiensi Episcopo in Anglia, Scotia, & Hibernia pro Papa vel Rege sine discrimine decimas colligeret. Fecit eidem potestatem absolvendi Regem a voto sacri belli pro Hierosolyma, ea conditione, ut is in Apuliam contra Manfredum moveret. Rustandus dein Londini & reliqua in Anglia sacræ militiæ classicum adversus Manfredum cani jussit eamque ineuntibus indulgentiam Terræ sanctæ addici; fremente simul ac mirante populo, pro Christianorum ethnicorumque sanguine spargendo eandem promitti veniam. Convocati sunt Angliæ Episcopi eam ob molitionem, ad quam immensas pecuniarum summas ab ipsis Papa poscebat. In conventu Londini habito die S. Hilarii 13 Jan. 1256 Rustandus omnes Ecclesias ad Papam pertinere asseruit. Tum Doctor quidam Leonardus nomine Cleri orator cum modestia, Verum est, inquiebat, cunctas Ecclesias esse Papæ, sed defensionis, non possessionis vel proprietatis causa: sicut dicimus omnia esse Principis, ad tutelam scilicet, non ad dissipationem.

p. 785.

p. 790.

Anniversario lustratæ Virginis die Rex S. Ludovicus magnum senatum habuit,

p. 792.

Sæcul. XIII. A.C. 1256.

buit, quo Rex Henricus Legatos misit, inter alios Joannem Manselium unum de fidissimis consiliorum arbitris. Per Franciam transitum ad occupandam Siciliam petiturus erat. Sed accepta notitia de arctis illo in regno Papæ rebus, ne de his loqueretur, obstabat.

Romanam ad aulam Rex Henricus electum Episcopum Sarisburiensem & Abbatem Westmonasterii misit, qui temporis ipsi a Papa præstituti (quod imminebat) prærogationem impetrarent. Quippe sub pœna censurarum se adstrinxerat, ut festo Sancti Michaëlis die 29 Sept. 1256 in Sicilium trajiceret, vel belliducem cum exercitu satis numeroso illuc mitteret. Rustandus ex Anglia discedens, & Archiepiscopus Centronensis se Legatis illis junxerant. Qui Papam permoverunt, ut semestrem dilationem, a primo Decembris ducendo initium, Regi concederet. Epistolam dabat 6 Octobris. Paulo ante nimirum 30 Septembris Rustandum in Aquitania Legatum esse suum, atque Archiepiscopos Burdigalensem, & Ausciensem illi, quanquam Hypodiacono tantum, parere jusserat eo fine, ut ille provinciæ turbas compesceret, ac Terræ sanctæ negotium urgeret, quod Anglorum Rex palam suscepisset. Sic sonant ejus litteræ. At hic sermo haud cohæret cum eo, quod Rustandus in Anglia fecerat.

Rayn. n. 34.

n. 27.

§. XXXVII.

Sæcul.XIII.
A.C. 1256.

§. XXXVII.

Manfredi progressus.

Interim Manfredus indies longius progrediebatur, & per hunc annum 1256 totam pœne Apuliam Siciliamque in potestatem suam redegerat. Fratrem Rufinum Ordinis Minorum, Legati Octaviani Vicarium Generalem, neque minus ipso Legato in Sicilia spectatum Panormi capiendo plures civitates suæ ditionis fecit. Denique Neapolis illum & Capua recepit. Aquila diu ei obstitit, & in remunerationem a Papa Episcopatus honore ornata fuit. Hanc urbem inter Furconium & Amiternum duas veteres civitates diru-tas condiderat, vel reparaverat saltem Imperator Fridericus II, privilegiisque donaverat. Incolæ construxerant templum, quod esse cathedrale posset: iisque orantibus Alexander Papa, illuc Episcopatum Furconio transtulit, cujus Antistites Berardus ipsum sanguine contingebat. Litteras dabat 20 Febr. 1257. At demum Aquila, ut reliquæ urbes, Manfredi viribus cessit.

Anon. p. 845.

Sup. §. 1.

Anon. p. 847.

Petr. de Vin. lib. 6. *ep.* 9.

Ughell. to. p. 424.

Rayn. 1257. *n.* 45.

§. XXXVIII.

Sæcul. XIII. A.C. 1257.

§. XXXVIII.

Duplex electio Regis Romanorum.

Quandoquidem Romanorum Regis electio intra duodecim menſes exobitu prioris computatos fieri debebat, eligendi tempus exibat cum Januario anni 1257. Quocirca Imperii Principes ſaepius congregati electioni præſtituerunt octavam Epiphaniæ, ſeu decimam tertiam Januarii diem, qua Francofurti comparerent. E ſeptem Electoribus ibi quatuor tantum eo die aderant; nempe Archiepiſcopus Colonienſis ſuo & Moguntini etiamnum captivi nomine, Comes Palatinus, Archiepiſcopus Trevirenſis, atque Dux Saxoniæ. Poſteriores hi duo Francofurtum priores advenerant, & duobus reliquis urbis aditum denegabant, armatos magno numero adductos dimittere renuentibus. Archiepiſcopus Colonienſis, & Comes Palatinus progreſſi ulterius, Romanorum Regem cooptarunt Richardum Cornubiæ Comitem, Anglorum Regis fratrem. Archiepiſcopus Trevirenſis, & Saxoniæ Dux hanc electionem eſſe nullam cauſati, negotium prorogarunt in Paſſionis primum, deinde Palmarum Dominicam. Marchionis Bran-

Steron. Annal.

Ep. Urb. IV. ap. Rayn. 1263. n. 53. & ſeqq.

Brandenburgici potestatem, & adjunctos sibi Bohemiæ Regis Procuratores habebant. Sæcul.XIII. A.C.1257.

Cum interim post natalem Christi diem Rex Henricus Londini frequente in Senatu sederet, aliquot Germaniæ Proceres eo delati, Comitem Richardum una omnium voce Regem suum declaratum esse palam dixere, monstratisque Archiepiscopi Colonienſis, & aliorum quorundam Principum epistolis, Comitis Richardi consensum postulabant. Suadebat hunc ei Rex frater suus. At ille hæsitabat, quid Henrico Thuringio, & Guilielmo Batavo contigerit, memor, ac ne fortunam similem experiretur, veritus. Tum præsentium aliqui, Hæc exempla te non terreant, inquiebant. Non te violenter intrudit Papa: nec per milites sacros sumptibus Ecclesiarum, quas spoliavit, tueri te promittit: ejusmodi subsidia tantum iram Dei accersunt. Per te ipsum & opes & amicos habes. Cedebat denique Comes, & ad Episcopos assidentes conversus, jurabat, se non ambitione vel avaritia stimulante coronam accipere, sed ut Germaniam meliorem in statum redigeret, ibique regnaret justitia. Archiepiscopus Colonienſis deinde sub finem Martii cum quibusdam Germaniæ Proceribus Londinum venit, ut Richardum ad adeundam regni possessionem invitaret: *Matth. Par.* p. 807. p. 813.

Sæcul. XIII A. C. 1257

ret: sed consulto tacebant, Principum partem Alphonsum Regem Castellæ in Romanorum Regem eligere velle.

Rayn. 1263. *n.* 58.

Reipsa Archiepiscopus Trevirensis, Bohemiæ Rex, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandenburgicus Comitem Richardum perperam electum reputantes, usque ad Dominicam Palmarum, primam Aprilis producto electionis tempore, Archiepiscopos Moguntinum tunc liberum, & Colonienſem, Comitemque Palatinum, ut huic negotio interessent, orabant. Accepta repulsa Archiepiscopus Trevirensis Francofurtum petiit, Regis, Ducisque ac Marchionis potestate munitus: & tam suo quam eorum nomine in Regem Romanorum solenniter elegit Alphonsum: qui rem edoctus per complures Imperii Proceres ea de causa in Hispaniam missos, consensit quidem; sed in Germaniam non se contulit. Comes autem Richardus celeriter eo profectus Aquisgrani per manus Archiepiscopi Colonienſis coronatus est die Ascensionis Domini, 17 Maji. Electus uterque Romam Legatos misit, ut sui electio rata haberetur. Sed Papa de consilio Cardinalium decisionem rei distulit per speciem maturioris deliberationis, revera pacem Ecclesiæ turbandi metu.

Ann. Steron. *Matth. Par.* p. 817. *Mon. Pad.* p. 602.

§. XXXIX.

Sæcul. XIII. A. C. 1257.

§. XXXIX.

Arnoldus Archiepiſcopus Trevirenſis.

Archiepiſcopus Trevirenſis erat Arnoldus Iſemburgicus, qui hanc ſedem tunc quindecim annis tenuerat, quia anno 1242 Theodorico avunculo ſuo ſucceſſerat. Hoc anno 1257 Præpoſiti ad S. Paulinum & ad S. Simeonem, cæterorumque Collegiorum Trevirenſium apud Papam Alexandrum de Arnoldo conqueſti ſunt, quod cum Archiepiſcopatu ſuo quendam Archidiaconatum, duas dignitates alias, & quinque parœcias retineret; quod anni primi reditus ex omnibus beneficiis, quæ Pontificatus ſui tempore vacua eſſent facta, ſibi vendicaverit; quod penſiones indebitas a Clero ſuo exigeret; quod illius domeſtici, ejusdemque arcium incolæ gravibus eccleſias afficerent malis, immo etiam expilarent, ac incenderent, nec tamen iis ſe opponeret. Addebant: Per annos duodecim & ſupra ſibi attribuit proventus hoſpitalis domus Trevirenſis alendis pauperibus ægrisque deſtinatos, ac trecentarum argenti ſelibrarum pondus conficientes: illamque ipſam domum occupavit. Et poſt aliqua minoris momenti puncta:

Brouver. Ann. lib. 16. Notæ to. 2. p. 553.

Sæcul. XIII. A. C. 1257.

puncta: Nec synodum, nec concilium, quamdiu Archiepiscopus est, habuit. Nec permittit, ut Archidiaconi jurisdictionem exerceant suam. Clericos comprehendi jubet in locis perfugii, ubi ne fures quidem laici caperentur.

Papa negotium commisit Cardinali Hugoni; qui auditis accusatoribus, & procuratoribus Archiepiscopi, sententiam suam Viterbii in partium præsentia ferens, Archiepiscopum beneficia, quæ possideret, ac beneficiorum vacantium fructus abdicare jussit, nisi quindecim intra dies a recepta sententia gratiam legis a Papa factam ostenderet. Etiam reliquis cunctis ex capitibus condemnatus est, jurisdictionem Archidiaconorum si excipias, de qua statutum, ut partes convenirent de arbitris, qui inquirerent in consuetudinem, & ad hanc se conformarent. Archiepiscopus Arnoldus biennio post obiit, nimirum 13 Novembris anno 1259. In epitaphio suo non laudatur nisi ob loca, quæ acquisiverat, munieratve.

p. 147.

§. XL.

Ecclesiæ Septentrionales.

Vading. 1255. *n.* 16.

Bellum in Polonia vicinisque regionibus contra Lithuanos, cæterosque his confines ethnicos continuabatur: &

Papa

Papa ſacræ militiæ claſſicum ibi cani curabat per quendam Fratrem Minorem nomine Bartholomæum Bohemum, quem ideo Bohemiæ, Auſtriæ, Poloniæ, Moraviæque Præſulibus commendavit. Petebatur is etiam in Epiſcopum novæ cujusdam ſedis in Diœceſi Cracovienſi erigendæ. Inter omnes ſacros pugiles eminebat Caſimirus Lanciciæ atque Cujaviæ Dux: qui Papæ Alexandro expoſuit, Innocentium IV. ipſi conceſſiſſe terras quorundam ethnicorum, ſi fidem ſanam ultro amplecterentur. Licet ſancta Sedes Equitibus Teutonicis omnes terras, quas in Boruſſia comparare poſſent, generatim conceſſerit, nihilominus, addebat Dux Caſimirus, Magiſter Ordinis Teutonici & aliquot ejus Equites ut conceſſionem a Papa Innocentio mihi factam redderent inutilem, armatis manibus ingreſſi terras horum ethnicorum, qui ad baptiſmum accipiendum parati erant, multo ſanguine fuſo eas ſibi ſubjecerunt. Abbas Mezanus tuus his in locis Legatus, ut inde abirent, fruſtra commonitos proſcripſit; cujus ſententiam ut confirmes, ſupplico. Confirmavit Papa per litteras 5 Jan. 1257 datas.

Sæcul XIII. A.C. 1257.

Idem Regeſt. p. 47.

Rayn. 1257. *n.* 21.

n. 24.

Ab anno priore Boleslaus Calvus Sileſiæ Dux in carcere detinebat Thomam Epiſcopum Vratislavienſem. Cum hic Præſul in Gorcenſe ſuæ Diœceſis monaſterium

Sæcul. XIII. A.C. 1257.

sterium templum dedicandi gratia profectus esset, Boleslaus comitantibus se aliquot Germanis noctu cœnobium ingressus Episcopum in lecto ipsius, duos Clericos, & domesticorum ejus quosdam comprehendit, quidquid secum habebant, abstulit, captivosque in aliquod castellum sibi proprium misit: Episcopus solo tectus indusio, quanquam tempestas erat perfrigida, raptus ac deinde in vincula conjectus est. Conquerente hac de re Collegio Vratislaviensi Papa 13 Decembris an. 1256 Fulconi Archiepiscopo Gnesnensi scripsit, ut Boleslaum Episcopo cæterisque captivis libertatem ac quævis adempta reddere atque injuriam compensare juberet; inobsequentem a piorum societate secludum denunciaret; terram illi subditam, & loca, ubi Episcopus asservaretur, interdicto percelleret. Quod quidem Archiepiscopus jam antea egerat: mox enim post commissam violentiam congregatis Suffraganeis suis diœcesin Vratislaviensem interdicto afficerat.

Rayn. 1256. n. 10.

To. XI. conc. p. 773. Michov. lib. III.

Boleslao Episcopum non dimittente, Papa Archiepiscopis Gnesnensi & Magdeburgensi scripsit, ut sacrum bellicum contra illum cani curarent: epistolam dabat 30 Maji an. 1257. Jamque hoc ad bellum sese parabant Præsules, cum Thomas bis mille selibris argenti libertatem rede-

Rayn. 1257. n. 17.

Longin.

redemit ſuam, ab Epiſcopis collegis accuſatus, quod per abjectionem animi æquitatem cauſæ ac jura Eccleſiæ prodendo malum præbuerit exemplum Optimates ad ſimilia facinora animaturum. Paulo poſt Boleslaum frater ſuus ducatum Gloggavienſem ſibi eripere conantem cepit, illasque bis mille ſelibras argenti redemptionis pretium ab eo tulit. Sæcul. XIII. A. C. 1257.

Violentia crebro Epiſcopis inferebatur in Dania, ut apparet e quodam concilio, cujus decreta rata habuit Papa Alexander 3 Oct. an. 1257. Ejus præfationem vide! Eccleſiam Danicam tam graviter vexant Proceres, ut Epiſcopis, eam tuentibus minas etiam præſente Rege ſuo admoveant haud ſpernendas, cum Clerum a poteſtate profana nullum maneat auxilium, & Proceres ſuperbia ſua nullo Regis metu coërcita ad faciendum, quodcunque velint, malum ſtimulare poſſit. Quocirca concilium ſtatuit ſequentia. Siquis Epiſcopus capiatur, vel quopiam membro mutiletur, aut alia quapiam atroce injuria in corpore ſuo afficiatur intra Daniam juſſu vel conſenſu Regis, aut viri nobilis in Regno habitantis, ita ut probabilis conjectura ſit, Regem ſic voluiſſe: totum Regnum interdictum erit. Sicui Epiſcopo violentiam attulerit vir potens extraneus, atque de conſilio Regis aut Procerum Daniæ feciſſe videatur: *Rayn n. 29. to. 11. conc. p. 772.*

Sæcul. XIII. A. C. 1257.

tur: Episcopi diœcesis tum erit interdicta. Si Rex admonitus æquum ac justum mensis spatio non judicaverit, Regnum interdictum manebit, donec Episcopo satisfactum fuerit. Sub anathematis pœna prohibemus, ne quis Sacerdos, etiamsi cuidam viro nobili a sacello sit, interdicti tempore coram eo sacris operetur. Patientia melius forsan remedium contra violentos hos impetus fuisset.

§. XLI.

Res Universitatis Parisinæ.

Parisinæ Universitatis causa nondum finita erat: Doctoresque, cum Religiosos Mendicantes recipere in animum non inducerent, se scholas suas alio translaturos identidem minitabantur. Papa Alexander homines pacandi gratia 15 Nov. an. 1256 litteras ad eos dedit sic inchoatas: *Parisinus peritia,* Hic excurrit in laudes scholæ Parisinæ, quæ est, ait, fœcundus fons, unde scientiæ per omnes dimanant populos. Vituperat illos, qui tumultum excitassent per invidiam Fratrum Prædicatorum Minorumque, quos & quorum mendicitatem prædicat, dicens eos, si ad laborem manuum astringerentur, occupationes ad salutem animarum utiliores omittere coactum iri. Concludit exhortando Universitatem, ut ne

Duboulai. p. 331. Vad. 1256. n. 38.

ne audiat inimicos Fratrum Mendicantium, neque cogitet deserere urbem, in qua ipsius doctrina hactenus tantopere floruisset. Septimo Jan. seq. an. Ecclesiæ Parisiensis Cancellario scripsit, ut ne quampiam facultatem docendi copiam cuiquam daret, qui non sponderet se observaturum diploma: *Quasi lignum vitæ.* Insuper sex alias litteras hac de re per hujus anni decursum tam in gratiam Mendicantium, quam contra Guilielmum de Sancto Amore, denique 2 Octobris septimas dedit Episcopo Parisino inscriptas, quibus ei præcipit, ut divulgari curet tabulas, per quas Odo Duacensis, & Christianus Bellovacensis promisissent, se executuros esse diploma: *Quasi lignum vitæ,* & cætera quæ vidimus. Atque si mensis spatio post hanc promulgationem, adjungit Papa, hi duo Doctores id, quod pollicити sunt, non præstiterint, perjuros denunciabis, ac retexes Odonis restitutionem in beneficia, quibus privatus fuerat.

Sæcul. XIII. A.C.1257.

Dubou. p. 334. *Vad. Regest.* p. 46.

cum olim *Dubou.* p. 244. *Vad. Reg.* p. 61. *Sup. §.* 33.

§. XLII.

Apologia Religiosorum Mendicantium.

Ut hoc diploma Doctorumque juramentum executioni daretur, S. Thomas Aquinas, qui a Doctoris gradu bien-

Sæcul. XIII. A. C. 1257.

nio retardatus erat, tandem ad hunc admissus est Parisiis 23 Octobris an. 1257. Hoc fuit tempus, quo edidit apologiam Fratrum Mendicantium, quam Anagniæ coram Papa ante annum pronunciaverat. Id opus inscriptum est: Contra illos, qui impugnant religionem, seu professionem religiosam. S. Doctor ibi sigillatim & magna accuratione respondet ad quælibet argumenta & Scriptorum testimonia a Guilielmo de Sancto Amore adducta. Rem totam in sex quæstiones redigit, an Religioso liceat docere; an se ad corpus Doctorum secularium adjungere possit; an sacras & conciones habere, & confessiones audire possit animarum cura non præditus; an laborare suis manibus teneatur; an ei liceat relinquere omnia bona sua, nihil sibi vel privatim vel in commune reservando; denique an possit precario victum corrogare.

Echard. p. 254. S. Th. to. 17. opusc. 19.

c. 2.

Ad quæstionem primam quod attinet, ex mente S. Thomæ tantum abest, ut religiosa professio homines Evangelicæ doctrinæ tradendæ impares reddat, ut eos hoc ad negotium faciat aptissimos, cum non modo præcepta, verum etiam consilia sequantur, ac meditandis rebus divinis se applicent, per vota sua expediti ab iis, quæ homines reliquos inde avertunt. Si Religiosi ad præfecturas sacras vocari possunt, multo magis ad Doctoris

ctoris dignitatem ac docendi munus: & prodeſt Eccleſiæ dari viros ſtudio religionis ac informandis rudibus ſingulariter conſecratos, veluti ſunt, qui ſervitiis ægrorum aliisque bonis operibus ſe devoveant. Dum Chriſtus vetat, ne diſcipuli ſui Doctores compellari velint, nec rem, nec nomen damnat, ſed ſolam vanitatem, quam inde trahebant Judæi. Sæcul.XIII. A.C.1257. *Matth.*23. *v.* 8.

Si Religioſi poſſunt eſſe Doctores, nulla eſt ratio eos excludendi a ſocietate Doctorum ſecularium: quia ſocietatis hujus fundamentum non eſt id, quod eos diſtinguit, ſed illud, quod eis commune eſt, ſcilicet diſcere ac docere. Societatum libertas ad paucorum hominum conjunctiones propter commodum peculiare factas pertinet, non ad illas, quas Præpoſitorum authoritas ob utilitatem publicam inſtituit. *c.* 3.

In tertia quæſtione notandum eſt, dari hæreticos, qui poteſtatem miniſterii eccleſiaſtici in ſanctitate vitæ hominum etiam conſecratione carentium collocent: id quod quibusdam monachis in ſua virtute confidentibus anſam præbuit eccleſiaſticas ſibi functiones ſuopte arbitrio vendicandi. Alii ex oppoſito exceſſerunt modum perhibendo, Religioſos eſſe impares his functionibus etiam Epiſcoporum authoritate exercendis. Alii demum per errorem recentiorem negant *c.* 4. 16. 4. *I. c.* 9. *ibid. c.* 25.

Sæcul. XIII. A.C. 1257.

Epiſcopos Religioſis hanc poteſtatem poſſe facere ſine conſenſu Parochorum. S. Thomas e contrario affirmat, Epiſcopos poteſtate ſe ſua non ſpoliare cum Parochis eam communicando, nec horum permiſſu habere opus ad alloquendos ex ſuggeſtu, vel abſolvendos a noxis homines eorum fidei commiſſos. Atqui poſſunt, inquit, hæc munia Sacerdotibus aliis committere, ac ſæpe juvat, immo neceſſum eſt. Dantur Parochi tam rudes, ut neſciant latine loqui: & pauciſſimi eorum divinis litteris ſtuduere. Experientia conſtat, privatos quosdam, niſi aliis, quam Parochis ſuis confiteri poſſent, non id facturos eſſe, ſeu quia erubeſcerent coram iis, quos vident quotidie, ſeu ob ſuſpicionem inimicitiæ, ſive alia de cauſa. Expedit proinde dari Religioſos conſulto paſtores ſic levandi gratia inſtitutos.

Sup. lib. 77. §. 51.

Ad illud, quod concilium Lateranenſe Sacerdoti proprio confitendum eſſe dicat, S. Thomas reponit, hunc Sacerdotem proprium non ſolum eſſe Parochum, ſed etiam Epiſcopum & Papam, vel ab his pro ſe ſubſtitutos; & Sacerdotem proprium non opponi paſtori communi, ſed extraneo. Papa, pergit ille, jurisdictionem proximam habet omnes in Chriſtianos, eſtque ſponſus Eccleſiæ univerſalis, ſicut Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ ſingularis.

ris. Mutare, quidquid positivi tantum juris esse concilia deciderunt, & pro rerum ratione gratiam legis facere potest. Nam Patres, adjungit, in conciliis sedentes nequeunt quidquam statuere absque summi Pontificis authoritate, sine qua ne convocari quidem potest concilium. Hæc effata de authoritate summi Pontificis erant nova, & ultimum manifesto desumptum est falsis e decretalibus. Sæcul.XIII. A. C. 1257.

Quod ad laborem manuum spectat, quidam olim monachi, ait S. Thomas, eo in errore fuerunt, ut dicerent, laborem esse contrarium perfectæ erga providentiam fiduciæ, ac illum, quem S. Paulus commendet, spiritualibus in operibus consistere. Hic est error, quem S. Augustinus impugnavit in opere suo de monachorum labore. Unde aliqui transeuntes modum ex adverso sumpsere occasionem dicendi, Religiosos, ni suis laborent manibus, in statu damnationis esse. Nos contra demonstrabimus, Religiosos esse in statu salutis etiam sine hoc labore. Vel enim præcipitur labor manuum vel suadetur. Si suadetur solum, nemo nisi per votum ad eum adstringitur: ergo Religiosi, quibus sua regula eum non præscribit, ad eum non tenentur. Si præcipitur, profanis hominibus æque ac Religiosis imperatur: ac reapse, cum S. Paulus diceret: *Siquis non vult operari, nec* *Dist.* 17. c. 3. *Sup. lib.* 20. §. 34. 2. *Thess.* 3. 10

Sæcul. XIII. A. C. 1257.

manducet, nondum dabantur Religiosi a profanis distincti. Præterea S. Paulus non commendat laborem nisi tribus ex capitibus; ne fiat furtum; ne cupiatur bonum alienum; & ut sanetur inquietudo & curiositas. Igitur qui sine his rebus indecentibus vitam quocunque modo tolerare possunt, laborare non tenentur. At qui Religiosi, quibus verbi divini ministerium commissum est, inde victitare possunt, cum Dominus voluerit eos, *qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*: & monachi otiosi, contra quos scribebat S. Augustinus, non erant ministri Ecclesiæ. Denique labor manuum debet cedere occupationibus utilioribus, qualis est sacra eloquentia: Apostoli erant divino afflati Spiritu; at hodierni concionatores per studium continuum erudire se coguntur.

Eph. 4. 28. 1. *Thess.* 4. 11 2. *Thess.* 3. 8. *De op. mon. c.* 16. 1. *Cor.* 9. 14.

Guilielmus de Sancto Amore perhibebat, habenti bona non licere se iis prorsus spoliare ita, ut non provideat victui suo seu nomen dando sacræ cuidam familiæ dotatæ, seu de labore manuum suarum vivere sibi proponendo. Composuit hac de materia opusculum sic inscriptum: De quantitate stipis, ut liqueat, ei ponendos esse limites; & nihil reservare sibi esse tentare Deum, exponendo se periculo moriendi fame, aut necessitati victum precario conquirendi. S. Thomas inquit:

p. 73. *c.* 6.

inquit: Hoc est renovare errores Joviniani & Vigilantii vituperantium praxin consiliorum evangelicorum, ac speciatim vitæ monasticæ. Non in sola paupertate, quæ habitualis dicitur, estque alienatio animi a bonis, quæ reapse possidemus, sed in paupertate etiam externa, veraque bonorum derelictione consistit evangelica perfectio: quæ non postulat, ut bona possideantur communiter, vel manibus laboretur. Hic bene monstrat, antiquitatis monachos perfectissimos abdicasse bona etiam communiter possessa: sed non addit, eos victitasse de labore suo, & a nemine quidquam petiisse. Sæcul XIII. A.C. 1257. *Sup. lib. 22.* §. 5.

Ut deinde asserit, Religioso, qui pro Christo reliquit omnia, mendicato vivere licet. Concionatores a Præpositis ecclesiasticis missi possunt accipere victum ab iis, quos informant, immo eum poscere ac mendicare quanquam valentes; ac præ reliquis pauperibus donari debent. Sumit pro certo, Religiosos dotatos posse vivere de proventibus suis sine labore; qua quidem in re solutiori disciplinæ monachorum sui temporis, quam S. Benedicti regulæ plus tribuere videtur. Perhibet, Christum mendicasse panem suum, cum diceret Zachæo: *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Affert exemplum tam S. Alexii, cujus historia nullius est authoritatis, quam pere- *c. 7.* *Luc. 19.*

Sæcul. XIII. A.C. 1257.

peregrinantium, qui corrogabant ſtipem pro pœna impoſitam ſecundum diſciplinam novam ſed contra veterem. Mendicitas, ait, blanditias, & aſſentationes ſerviles inſpirat iis, qui per cupiditatem, ac diteſcendi gratia petunt, non illis, qui neceſſariis contenti cæteris egenis non modo nihil officiunt, verum etiam largitiones copioſas per monita & conſilia ſua comparant. Magnum diſcrimen eſt inter mendicitatem coactam & voluntariam: hæc non iisdem, quibus illa, periculis exponit. Mendici valentes a legibus damnati nihil proſunt rei publicæ: at ſtips Religioſis divini verbi præconibus data potius eſt merces eorum labori debita, quam liberalitas. Atque Præſules nullam populis injuriam faciunt mittendo hos concionatores extraordinarios; quia ſi pluris conſtant populo, plus etiam emolumenti ſpiritualis afferunt. Peſſimus hujus diſputationis effectus eſt, quod inviſum Religioſis reddiderit laborem manuum, ac mendicitatem eſſe honorabiliorem perſuaſerit.

c. 8. 9. &c.

S. Thomas poſtea reſpondet ad malitioſas exprobrationes, quæ Religioſis Mendicantibus fiebant; de vilitate veſtitus; de negotiis, quibus ſe immiſcebant charitatis cauſa; de crebris itineribus ad procurandam ſalutem animarum, de ſtudiis utilioris facundiæ ſacræ. Objiciebantur

c. 13. 14. &c.

tur illis etiam actiones ex se indifferentes, sed in malam acceptæ partem; quod se ac suum institutum magni facerent; quod litteras commendatitias sumerent; quod adversariis suis obsisterent, eos deferrent ad tribunalia, punirique curarent; quod hominibus placere cuperent; quod gauderent de rebus magnis, quas Deus per ipsos efficeret; quod Regum aulas, & Optimatum domos frequentarent. Ad hæc illos inimici sui variis modis infamare, ac penitus evertere conabantur. Augebant & exaggerabant eorum errores: perhibebant, eos captare favorem hominum vanamque gloriam: appellabant fallaces Apostolos ac Prophetas: dicebant eos esse authores malorum Ecclesiam per omnem temporum seriem prementium, luposque ac fures in domos & palatia se insinuantes. Tribuebant illis etiam mala ultimis Ecclesiæ temporibus futura, fingentes, hæc imminere, eosque Religiosos esse Antichristi nuncios. Denique illorum preces, jejunia, cæteraque opera manifeste bona reddere suspecta studebant. Harum omnium reprehensionum injustitiam ostendit S. Thomas, & ita finit hoc opusculum multo solidius ac cohærentius libello Guilielmi de Sancto Amore.

Sæcul. XIII. A. C. 1257.

c.20.21.&c.

2. *Tim.*3.6.

§. XLIII.

Sæcul. XIII. A.C. 1257.

§. XLIII.

Epiſtola S. Bonaventuræ.

Opuſc. to. 2. edit. Par. 1647. p. 352.

Habemus plura opuſcula S. Bonaventuræ de hac materia, in quibus eadem, quæ S. Thomas, argumenta adhibet, inſiſtens, ſicut iſte, poteſtati ſummi Pontificis, omnemque ab eo authoritatem eccleſiaſticam emanare aſſerens. Videmus tamen ex proprio ejus teſtimonio, remiſſionem diſciplinæ haud levem tunc fuiſſe inter Fratres Minores. Eſt enim noſtris in manibus quædam epiſtola ejus tanquam Miniſtri Generalis ad omnes Ordinis Miniſtros Provinciales, Cuſtodesque ſcripta hanc in ſententiam. In cauſas obſcurati, quem noſter Ordo habuit, ſplendoris inquirens, invenio multitudinem quandam negotiorum, ob quæ avide petitur pecunia, & incaute accipitur, quamquam paupertati noſtræ inimiciſſima. Invenio otium quorundam noſtris e fratribus monſtroſo in ſtatu contemplationem inter & actionem indormientium. Invenio vagam multorum vitam, qui, ut corporibus ſuis conſulant, ſuis hoſpitibus oneri ſunt, ac loco boni exempli offendiculum præbent. Invenio petitiones importunas, quæ faciunt, ut prætereuntes occurſum noſtrorum fratrum velut prædonum metuant. Ædificiorum

ficiorum amplitudinem eaque visentium curiositatem, quæ turbat pacem nostram, amicis nostris incommoda parit, & nos exponit siniſtris hominum judiciis. Multiplicationem familiaritatum, quas nostra prohibet regula, quæ suspiciones creant, ac existimationi nostræ officiunt. Imprudentiam in distribuendis officiis, quæ deferuntur fratribus in afflictatione corporis, vel in virtutis soliditate nondum sat pertentatis. Sepulturarum ac testamentorum cupiditatem, quæ Cleri, ac præcipue Parochorum indignationem in nos concitat. Nimium crebram loci mutationem, quæ disturbat pacem, indicat inconstantiam, & paupertati obest. Denique magnitudinem sumptuum: nam fratres nostri modico contenti non sunt; & charitas refrixit: ita toti orbi molestiæ magnæ sumus, majorique erimus in posterum, nisi remedia prompta afferimus. Hæc sunt, ad quæ cohortatur Ministros, singulariter monens, ne nimium multos in Ordinem suscipiant, verbique divini ministerium, & confitentes audiendi munus non nisi post severum examen conferant. Dabat Parisiis 23 Aprilis anno 1257, a morte S. Francisci trigesimo. Sæcul. XIII. A C. 1257.

Eodem anno Stephanum Lexintonium Abbatem Claræ-vallensem, quia Parisiense Cistercienſium Collegium sine permissu generalium Ordinis comitiorum con- *Gall. Chro. to 4. p. 258. Sup. lib. 82. Matth. Par. p. 820.*

Sæcul. XIII. A.C. 1257.

condiderat, exauthoravit Guido Ciſtercii Abbas. Cui Papa Alexander præcepit, ut illum in priſtinam dignitatem reſtitueret. At Stephani adverſarii magnis largitionibus in aula Romana effecerunt, ut Guidonis ſententia conſiſteret. Acquievit Stephanus, & Urſicampum Abbatiam Claræ-vallis filiam adiit, ubi ſupremum explevit diem.

§. XLIV.

Sevalius Archiepiſcopus Eboracenſis.

In Anglia Valterio Grajo Archiepiſcopo Eboracenſi, poſtquam hanc ſedem quadraginta propemodum annis tenuerat, 1 Maji 1255 rebus humanis erepto, Rex Henricus ſucceſſoris electionem, quantum poterat, retardabat, inquiens: Hic Archiepiſcopatus nunquam in manibus fuit meis; nec tam cito dimittendus eſt mihi. Tandem Canonici una omnes voce cooptarunt Doctorem Sevalium ejusdem Eccleſiæ Decanum, virum modeſtum ac virtute præditum, jurisperitum cæterisque inſtructum ſcientiis, & qui de ſchola & ſocietate S. Edmundi Cantuarienſis fuerat. Cæterum quia non erat natus legitimo ex conjugio, Rege electionem improbante, interim Eccleſiæ ſuæ bona diſſipari dolens videbat, donec Papa

Matth. Par. p. 778. p. 784. p. 786.

Papa legis gratiam faciente, sublato impedimento in Archiepiscopum Eboracensem consecratus est 23 Jul. 1256. Sæcul.XIII. A.C.1257.

Modico post tempore tres homines incogniti adiere metropolitanum templum Eboracense, & clam intrarunt interea, dum tota urbs sedebat ad mensam. Scitati, quænam esset Decani sedes, duo ad tertium, Mi frater, ajebant, ex authoritate Pontificis Maximi nos te in possessionem hujus sedis inducimus. Novus Archiepiscopus locum antea suum nunc taliter interceptum gravi cum dolore videns, hanc possessionis additionem, quantum in se erat, irritam declaravit. Canonici omnes secundam Ecclesiæ tam excellentis sedem ab homine extraneo & ignoto contra jus occupatam indignabantur. Sed metus Papæ, cui Regem penitus devotum noverant, eos cohibebat. Novus Decanus Romam, unde venerat, reversus fecit, ut Archiepiscopo functiones sui muneris interdicerentur, eumque multis impensis ac laboribus fatigavit: quos Præsul æquo ferebat animo tanquam ærumnam, quam S. Edmundus ipsi utilem fore prædixisset. Tandem anno sequente 1257 post multas contentiones Decanus, qui hoc sibi nomen ac munus asciverat, Romanus patria, nomine Jordanus, abdicavit jus suum ea conditione, ut centum argenti selibrarum pensionem

p. 798. Doduin. p. 45.

p. 813.

Sæcul. XIII. A. C. 1257. ab Eccleſia Eboracenſi acciperet, donec melius obtineret beneficium.

p. 820. Nihilominus eodem anno ſub finem Septembris ſummus Pontifex Archiepiscopi Sevalii pinguiora Eboracenſis Eccleſiæ beneficia indignis & ignotis Italis conferre recuſantis conſtantia offenſus, eum tota in Anglia inter æris campani ſonitum ac extinctionem candelarum diris devoveri juſſit, ut per cenſuram tantæ infamiæ illi timorem incuteret. At Sevalius eam patienter tulit ſe conſolans exemplis S. Thomæ Cantuarienſis, & S. Edmundi Magiſtri ſui, quorum veſtigia ſequi ſe credebat. Et quo pluribus palam maledictis onerabatur, eo magis ei clanculum benedicebat populus.

p. 831. Sequente anno 1258, mortifero ex morbo cum decumberet, allevans ſe junctis manibus & madido lachrymis vultu ad cœlum converſo, Domine JESU Chriſte, æquiſſime Judex, ajebat, tu ſcis, quam acerbe me Papa habuerit, eo quod homines indignos & Anglicæ ignaros linguæ ad regendas, quas tu mihi commiſiſti, Eccleſias non admiſerim. Ne tamen ejus ſententia quantumvis iniqua, ſi eam contemnerem, juſta fiat, ab illa me ut abſolvas, humiliter precor. Sed Papam ad tuum judicium, quod corrumpi non poteſt, voco, cœlumque ac terram teſtor, quam

quam immerito me ille vexaverit. In hac animi amaritudine Papæ ſcripſit, ut fecerat Epiſcopus Lincolnienſis Robertus Capito, oravitque, ut tyrannicam ſuam agendi rationem temperaret, ſuorumque ſanctorum anteceſſorum modeſtiam imitaretur. Sevalius ſub feſtum Aſcenſionis diem, qui anno 1258 ſecundus Maji erat, ab hominibus demigravit, cum Eboracenſi Eccleſiæ urius anni novemque menſium ſpatio præfuiſſet: & Papa receptas ejus litteras ſicut Capitonis epiſtolam indignans ſprevit. Poſt Sevalii mortem Canonici in Archiepiſcopum elegerunt Doctorem Godefridum Knigtonienſem Decanum ſuum: qui Romam profectus, ibique a Papa Alexandro 23 Septembris eodem anno 1258 conſecratus Eboracenſe ſolium quinquennio poſſedit.

Sæcul. XIII. A.C. 1258.

M. Par. p. 834. 839. 840. *Goduin. Ebor.* p. 48.

§. XLV.

Papa Viterbii commoratur.

Papa interea curis ac negotiis profanis obruebatur, menſe Majo 1257, ut a violentia populi tutum ſe præſtaret, Romam relinquere coactus. Cauſa ſeditionis fuit, quod Senator, qui tunc civis Brixianus erat, populum opprimeret perſuaſu Nobilium, quibus ſolis placere quærebat, præſertim familiæ Annibaldinæ.

M. Paris. p. 823.

Sæcul. XIII. A.C. 1258. Plebs igitur ex consilio cujusdam pistoris Angli congregata carcerem effractum ibat, cui prior Senator Brancaleon nomine inclusus erat. Eductum constituit Senatorem, fidemque more veteri eidem jurat. Brancaleon inimicos suos Roma ejicit, duosque Annibaldos Cardinalis cujusdam cognatos ex infami ligno suspendi jubet. Papa illum & fautores ejus sacro percellit fulmine: sed tale se privilegium habere asserunt, ut proscribi nequeant: Papæque illuso minantur se simul eum & Cardinales usque ad exitium ipsorum insectaturos. Papa pejus aliquid metuens Viterbium contendit, & usque Assisium progredi statuit. Per dies epistolis ejus ascriptos liquet, eum 12 Maji an. 1257 etiamnum Romæ, 29 ejusdem mensis jam Viterbii fuisse, ac ibi usque ad initium Septembris an. 1258. esse commoratum.

ap. Rayn. 1258. n. 6.

Brancaleon nec amicis nec cognatis Papæ Alexandri parcebat. E contrario Romanos armari curabat, ut irent contra Anagniam, quippe quæ illi fuerit pro patria, eo quod in ejus diœcesi natus, & Cathedralis ibidem Ecclesiæ Canonicus fuisset. Incolæ ad Papam cognatos ipsius aliquos miserunt, oraturos, ut illorum commiseratione tangeretur. Ita se compulsum vidit ad orandum Brancaleonem, ut copias suas abduceret; id quod

M. Par. ibid.

Sup. §. 1. n. 284.

quod obtinuit quantumlibet reluctante Romanorum malevolentia. Tuebatur eos Manfredus Brancaleonis fautor, quod Papam demissum cerneret, gaudio triumphans. Ille Princeps suos bellicos semper progressus urgens, atque Sicilia, principatu Tarentino, Apulia & agro Laborino potitus, Panormi se solenni ritu Regem coronari curavit die Dominica 11. Aug. an. 1258. Sæcul. XIII. A C. 1258. *Anon. p. 852. to. 9. Ughell.*

§. XLVI.

Ecelini progressus.

In Lombardia Ecelinus suum fratrem Albericum a Papæ partibus ad suas reduxerat: qui cum istum sicut Ecelinum proscripsisset, per litteras 3 Julii an. 1258 datas omnia utriusque mancipia, quorum magnus erat numerus, in libertatem asseruit una cum eorum prolibus ac nepotibus, qui Ecclesiæ obedirent. Anathematis consecutiones usque adeo extensas antea nunquam vidi. *ap. Rayn. n. 2.*

Alexander primo sui Pontificatus anno in Marchiam Tarvisianam vicinasque provincias Philippum electum Archiepiscopum Ravennatem ut Legatum miserat, & probe gnarus, Ecelinum censuris Ecclesiæ parum tangi, per litteras 20 Dec. 1255 datas hunc Legatum sacræ militiæ classicum contra eum canere jusserat. Le- *Rayn. 1255. n. 10. Mon. Pad. p. 598.*

Sæcul. XIII. A. C. 1258.

gatus magnum cruce ſignatorum numerum collegit, & quotidie fiebant preces ad cœli opem contra tyrannum accerſendam. Hoc inſtructus exercitu Legatus oppugnatum Patavium menſe Januario an. 1256 occupavit, ac biennio poſt exeunte Aprili an. 1258 Brixiam in deditionem accepit. At eodem anno die Veneris 30 Auguſti Ecelinus Legati non opinantis copias adortus conjectis in fugam Brixianis, qui magnam earum partem fecerant, inter plurimos captivos Legatum ipſum ac Epiſcopum Veronenſem numeravit.

p. 599.

p. 602.

p. 603.

§. XLVII.

Bellum inter Venetos ac Genuenſes.

Papa Alexander conabatur ſimul pacem Genuenſes inter ac Piſanos conficere, ob quædam Sardiniæ bona, quæ ſibi utraque urbs aſſerebat, bello implicitos. Duo Priores, Templariorum alter, alter hoſpitalis domus S. Joannis erant partium arbitri, quos Papa præ aliis conſtituit eo ex capite, quod Piſani cum Genuenſibus ubivis gentium terra marique præcipue ad Ortum bellum gererent non ſine periculo reliquiarum, quas Franci in Palæſtina habebant. Idcirco Papa ſimul Archiepiſcopum Meſſanenſem tanquam Legatum

gatum eo misit, ut Genuenses etiam cum Venetis reconciliaret, qui pro Pisanis stabant. Venetos Ptolemaidis portu an. 1257 potitos Genuenses armatis Tyri triremibus invasere, quarum tres captas illi Ptolemaidem abduxerunt. Deinde anno 1258 pridie festum S. Joannis Genuenses ad Ptolemaidis oram quadraginta novem triremibus, & quatuor majoris modi navibus advectos Veneti Pisanique armatis quadraginta triremibus aggressi, viginti quatuor triremes hostium & palmam obtinuere, cæsis captisve mille septingentis hominibus. Hæc Venetorum victoria pacis consilia fregit, quæ Papa inierat: bellumque inter potentes has urbes Terræ sanctæ jacturam acceleravit.

Sæcul.XIII. A. C. 1258.

Sanut.p.220 221. Rayn. n. 39.

Papæ Alexandro etiam dissidia, quæ Germaniam ob duplicem discordemque capitis electionem diviserant, negotium facessebant. Alphonsus Castellæ Rex in Germaniam iturus erat, cum Hispaniæ Saracenos Cordubam recuperandi occasionem ex absentia sua capturos audiit. Remanens igitur ad Papam Legatos misit rogatum, ut ne alium quam ipsum ad Imperii solium admitteret, eo quod orbis Christiani limites præ cunctis Regibus cæteris protulisset. Papa sic respondit: Scitis esse morem ab omni tempore stabilitum, ut regnum Germanicum sit quod-

M. Paris. p. 832.

Sæcul. XIII. A.C. 1258.

dam veluti pignus dignitatis imperatoriæ. Rex itaque Dominus vester solenni ritu eligi, & Aquisgrani coronari se curet: tunc ejus promotioni favebimus. Interim Papa Richardum agnoscens Regem Romanorum, hunc ei titulum in epistolis dabat suis. Unde factum, ut multi Italiæ Proceres illi fidem promitterent.

ap. Rayn. 1263. n. 16.

§. XLVIII.

Ecclesia Salisburgensis.

Stero an. 1257.
Chr. Salisb. an. 1246.
Cani. to. 6. p. 1263.

Philippus Bernardi Carinthiæ Ducis filius abhinc annis amplius decem in Archiepiscopum Salisburgensem electus hujus Ecclesiæ proventibus fruebatur; sed ne in Sacerdotem quidem initiari volebat. Conquerente hac de re Canonicorum collegio Papa Alexander Philippum admonitum post semestre spatium munere abstinere jussit; & post alios sex menses de gradu dignitatis dejecit secundum constitutionem 7 Martii an. 1255 factam, qua sanxerat, ut electi Episcopi intra sex menses consecrari se curarent. Cum proin Sedes Salisburgensis declarata esset vacua, Collegium Cathedrale Henrico Episcopo Chiemensi Ord. Præd. Præpositoque ac quibusdam Canonicis Salisburgensibus Ecclesiæ suæ caput cooptandi copiam fecit: qui Udalricum Secovien-

ap. Rayn. 1256. n. 16.

Chr. Salisb. 1257.

Secovienſem Epiſcopum ejusdem provinciæ in Archiepiſcopum elegerunt: & Papa rem ratam habuit per litteras 5 Sept. an. 1257 datas. Sæcul. XIII. A.C.1258. *Rayn.* 1257. *n.* 10.

Haud ceſſit Philippus; & a Rege Bohemiæ Auſtriæque Duce defenſus, Salisburgo locisque huic obnoxiis impoſito præſidio aliquamdiu per vim ſe tuebatur. Tum vero Papa Epiſcopo Chiemenſi per litteras præcepit, ut omnes Epiſcopos Suffraganeos, & clientes beneficiarios Eccleſiæ Salisburgenſis in ſubſidium vocaret intentando renuentibus prædiorum jacturam. Ille hujus mandati authoritate Philippum novo Archiepiſcopo Udalrico arces ac propugnacula Eccleſiæ Salisburgenſis intra quindecim dies reddere juſſit, declarans, eum, niſi morem gereret, una cum fautoribus ipſius proſcriptum iri. Cum non paruiſſent, Bertholdo Epiſcopo Paſſavienſi ſcripſit, ut hanc cenſuram in diœceſi ſua promulgandam curaret, ſeſeque jungeret reliquis Suffraganeis, Philippo & proprias, quantas haberent, & profanæ poteſtatis vires oppoſituris. Dabat 7 Maji 1258. Ita res eccleſiaſticæ ſæpe fiebant profanæ, atque in bella deſinebant. *Stero ibid.*

Sæcul. XIII. A.C. 1258.

§. XLIX.

Sanctiones ad Inquisitionem spectantes.

Litt. apost. post direct. p. 26. Bullar. Alex. IV. const. 14.

Inquisitio non faciebat nihil ad temporalia spiritualibus miscenda; ut docet quædam Papæ Alexandri constitutio ad Inquisitores ex Ordine Minorum 13 Nov. 1258 missa. Volumus, inquit, ut hæreticis ad Ecclesiæ sinum redeuntibus pœnam pecuniariam præscribatis, sub qua se ad constantiam in fide catholica adstringant, eosque illius pecuniæ cautionem dare jubeatis. Plenam vobis potestatem facimus, hanc pœnam, si casus hic eveniat, exigendi, urgendique solutionem per censuras ecclesiasticas: atque præcipimus, ut pecunia inde proveniens in manibus trium hominum proborum, quos Episcopus & vos elegeritis, deponatur ad sumptus prosequendi contra hæreticos negotii applicanda. Publicatio bonorum, ac eversio domuum, in quibus hæretici deprehensi fuerant, temporales pariter effectus erant, ipsis ac hæredibus eorum graviter dolendi.

Direct. p. 1. 920. &c.

Habentur plures aliæ Papæ Alexandri sanctiones, de Inquisitionis exercitio factæ tum ad confirmandum Innocentii IV. diploma: *Ad extirpanda*, tum ad solvenda

venda varia Inquisitorum dubia. Hoc anno 1258. 27 Sept. condidit aliquam, per quam declarat, Inquisitores non debere cognoscere de usuris, neque de divinationibus, aut de sortitionibus, nisi eis quædam immixta sit hæresis; ac generatim negotio fidei summis aucto privilegiis alias occupationes nulli esse obstaculo oportere. In alia constitutione 11 Jan. 1257 ad Inquisitores Lombardicos Ord. Præd. missa dicit, eos haud posse judicare de hæreticis nisi consentiente Episcopo, aut ejus Vicario; posse tamen absque Episcopo statuere de iis, qui hæresim palam confessi pertinaciter prosequerentur.

Sæcul. XIII. A.C. 1258. p. 24. *Bullar. const.* 12. *Bullar. const.* 9.

§. L.

Concilia Roffiacense ac Montis Pessulani.

In Gallia hoc anno 1258 duo concilia celebrabantur, quorum decreta potissimum ad temporalia Ecclesiæ commoda pertinent. Primum, cui Gerardus Malemortius Archiepiscopus Burdigalensis præerat; Roffiaci Pictavia in regione 21 Aug. habebatur, ubi editum est præscriptum duodecim puncta continens, quorum hæc est summa. Proscribuntur Nobiles, civesque reliquis cum laicis, qui faciunt

to. XI. cont. p. 773.

Sæcul. XIII. A.C. 1258.

faciunt conſtitutiones, aut fœdera feriunt, ut jurisdictionem eccleſiaſticam conſtringant, impediantque, ne laici cauſas ſuas in curia Eccleſiæ agant præterquam pauciſſimis in caſibus. Hæc ſacra deteſtatio cunctis diebus Dominicis promulgari: atque ſi fontes tribus menſibus in ea permanſerint, ſepultura eccleſiaſtica, eorumque filii beneficiis excludi jubentur. Satis apparet, hic agi de quodam fœdere in Aquitania percuſſo inſtar illius, quod Franciæ Nobiles an. 1247 inierunt. Sed hoc, de quo hic loquimur, nequit eſſe idem, quia Aquitania etiamnum Regi Anglorum erat obnoxia. Proſcribuntur etiam illi, qui ſacra violant perfugii loca, ſeu ibi capiendo vel male habendo homines, ſeu bona ibidem depoſita inde aſportando; & ad reſtitutionem dupli damnantur.

Sup. Lib. 82. §. 31.

c. 2.

c. 3. Religioſos, qui contemptis Epiſcoporum ſententiis cenſurisque divina celebrant officia, e diœceſibus pellunto Præpoſiti ſui, qui per cenſuras ad hoc adiguntor! Barones, cunctique homines profani commonentor, ut ne occupent bona, ab Eccleſiis quiete poſſeſſa. Si poſt admonitionem generalem id faciant, ipſo facto a piorum cœtu excluſi ſunto! Quandoquidem Epiſcoporum eſt, Chriſtianorum teſtamenta executioni danda curare, teſtamentum condituri ſuum Parochum, ut

c. 4.

c. 7.

ei

ei adsit, vocanto: & Parochi ad testamenta sua duos aut tres Parochos Vicariosve vicinos accersunto! Sacerdos, qui proscriptum in articulo mortis absolvit, eum adstringito, ut per ipsum aliumve adversario faciat satis: alioqui Sacerdos ipse ad id tenetor! Nempe proscriptio sæpe fiebat ob debitum non solutum, vel ob aliud quoddam momentum temporale. Judices Ecclesiastici varias vexationes a captiosa litium arte in tribunalia sua præsertim per speciem mandatorum Papæ introductas minime fovento, alioquin jubendi abstinere a munere, & post quadraginta dies proscribendi. Hæc litigandi genera jam sigillatim condemnaverat Concilium Lugdunense an. 1245. Archiepiscopus Gerardus sedem Burdigalensem tenebat ab anno 1227. Ætate provectus, & concilio Roffiacensi haud diu superstes fuit.

Sæcul.XIII. A.C. 1258.

c.8.

c.9.

Sup.lib.82. §.27. Conc. Lugd. c.1.2.5.8. Gall. Chr. p.213.

Alterum Monte Pessulano 6. Sept. 1258 celebrabat Jacobus Archiepiscopus Narbonensis, prius Abbas ad S. Aphrodisium. Successerat nuperrime Archiepiscopo Guilielmo Delabrovio 26 Jul. 1257 post duodecim Pontificatus annos extincto. Hoc concilium octo sanctiones edixit. Qui bona ecclesiarum occupant, earum jura & libertates sibi vendicant, vel Clericos injuriis afficiunt, per ipsum factum se anathematis vinculo constrictos sciant,

to. XI. conc. p. 778. Gall. Chr. p. 384. 385.

Sæcul. XIII. A. C. 1258.

sciant, poscente Episcopo læso proscriptio in cunctis provinciæ diœcesibus denuncietur: atque ista constitutio singulis diebus Dominicis promulgetur omnibus in parœciis! Qui censuram aliquam ut Judex aut executor a Papa constitutus vel subdelegatus (ut vocant) pronunciat, potestatis suæ litteras ostendat! Episcopus dans tonsuram maxime inquirat, an, qui eam petiit, viginti annos sit natus, & pietatis causa, non per fraudem se sistat. Clerici, qui tabernam tenent, qui negotiantur palam, qui artes exercent mechanicas, qui diurna pro mercede laborant, aut vestes Clericorum proprias non gerunt, nec immunitate tributorum, nec reliquis Clericatus privilegiis gaudeant. Nimirum publicæ jactabantur querelæ de horum privilegiorum abusu, ac extensione jurisdictionis ecclesiasticæ. Judæis usuræ pro tribunali non adjudicentur! Permittitur, ut summus Belloquadri Prætor Clericos in flagrante delicto deprehensos ob raptum, homicidium, incendium, similiaque crimina capiat in Episcopi curiam mittendos. Puto me hic videre initium casus privilegio præditi.

c. 8.

c. 4.

c. 2.

c. 3.

c. 5.

§. LI.

Sæcul.XIII.
A.C.1258.

§. LI.

Arlotus Pontificius in Anglia Nuncius.

Arlotus Hypodiaconus & Notarius Papæ hebdomade ſancta, ſcilicet exeunte Martio anni 1258 Londinum advenit, quanquam Legati titulum non haberet, multorum comitum & viginti equorum pompa ſpectabilis. Litteræ 12 Decembris elapſi ei traditæ Regique Anglorum inſcriptæ continebant, illum habere poteſtatem concedendi huic Principi dilationem expeditionis in Siciliam usque ad Calendas Junii; Regemque, quantum ad præterita ſpectaret, exſolvi cenſuris, in quas ob promiſſionem non ſervatam incurriſſet. Altero die Martis poſt Paſcha Rex Henricus Londini ſenatum habuit, in quo inter alia magni momenti negotia res Siciliæ agebatur, Arloto certum ac definitum de illa reſponſum poſtulante. Volebat inſuper maximam pecuniæ ſummam, ad quam mercatoribus ſolvendam ſe Papa pro Rege obligaſſet.

Matth. Par. *p.* 826. *ap. Rayn.* 1257. *n.* 39. 40.

Mat. Par. *p.* 927.

Arlotum brevi ſecutus eſt Manſuetus Ord. Minorum pariter a Papa miſſus ad ſtimulandum Regem. Sacello Pontificio & expiationibus Romæ præfectus erat, magnamque habebat poteſtatem, etiam com-

p. 828.

Vading. 1263. *n.* 30.

Sæcul. XIII. A.C. 1258.

commutandi vota omnium Regis domesticorum, & proscriptos, falsarios ac perjuros absolvendi, ita, ut facilitas veniæ multos ad peccandum animaret. Cum Rex urgente Papa efflictim poscceret a Senatu suppetias, per quas promissum persolveret, Angliæ Proceres reponebant: Non possumus nos toties exhaurire ob molitionem temerariam sine consilio nostro formatam. Debebas sequi exemplum Principis Richardi fratris tui recusantis Siciliam sibi a Papa per Doctorem Albertum oblatam. Perpendebat multitudinem variarum regionum Angliam ab Apulia separantium, mare, montes, locorum distantiam, diversitatem linguarum, & quas maxime timebat, captiosas Aulæ Romanæ artes, ac Siculorum perfidiam. Ne tamen ingratus erga Papam videretur, ita respondit: Quod offers, acciperem, si mihi sacros milites omnes auxilio mitteres, quem ad finem Nuceria ethnicorum domicilium in obtentum honestum serviret; si præterea dimidiam belli sumptuum partem subministrares; ac quædam loca mihi, si necessitas exigeret, perfugio futura traderes. Concludebant Proceres denegando Regi petitum pecuniæ subsidium: at Præsules non audebant loqui.

§. LII.

Sæcul.XIII. A.C.1258.

§. LII.

Anglorum querimoniæ de Rege suo.

Londinensis Procerum conventus durabat usque ad quintam Maji, quæ erat Dominica post Ascensionem Domini: ac querimoniæ de Rege ibidem invaluerunt. Non stat promissis suis, ajebant, nec Regis Joannis litteras publicas, quas toties emimus, observat. *Matth. Par. p. 830.* Marchiæ Comitis filios, uterinos fratres suos contra Regni leges alte nimis extulit: subditos spernit ac expilat, nec nisi exteros promovet ditatque. Per immoderatam liberalitatem suam ærarium suum ita exhausit, ut jura sua, quæ Galli perperam usurpant, recuperare, ac vilissimæ illius gentis injurias depellere nequeat. Rex se malis abreptum consiliis fassus meliora secuturum supra lipsanothecam S. Eduardi juravit. Publici status emendatio differebatur alium in conventum Oxonii festo S. Barnabæ die agendum: ubi ut duodecim viri ex parte Regia, & totidem ex parte Procerum correctioni operam daturi eligerentur, consensit Rex, ipseque ac major natu filius ejus Eduardus, quidquid illi viginti quatuor viri statuissent, observaturos se promisere. *Addit. p. 1132.*

Sæcul. XIII. A. C. 1258.

At cum quatuor fratres Marchiæ Comites, quos Rex in eorum numero posuerat, emendationem eludere solum conarentur, Proceres tantum his timorem injecere, ut ex Anglia in Franciam se conferrent. Studente Procerum partibus Londino, ac regiarum numero indies decrescente Nuncius Arlotus Angliam sic turbatam sine strepitu reliquit mense Augusto sub festum Virginis in cœlum assumptæ diem. Tum Proceres veriti, ne Ademarus unus e quatuor fratribus electus Episcopus Vinconiensis Romanam adiret aulam, seque consecrari pecuniæ ope curaret, quatuor ad Papam Equites miserunt cum epistola, in qua maxime de hoc Præsule, ejusque fratribus tanquam præcipuis Angliæ turbarum authoribus conquerentes Papam, ut ei delatam Vinconiensis Ecclesiæ administrationem sine offensione publica per plenitudinem potestatis suæ adimat, orant, in cæteris se referentes ad verba Nunciorum. Rex quoque ad Aulam Romanam misit aliquem, & obtinuit absolutionem a juramento, quod in conventu Oxoniensi juraverat. Tum vero se illo haud amplius teneri credidit.

M. Par. *p.* 833. 834.

p. 837.

p. 838.

Add. 1134.

H. Knigton. *p.* 2446.

Interim Papa Optimatibus Angliæ respondit per epistolam verborum lautitiis plenam, in qua queritur, eorum Regem pactionem de Sicilia cum sancta Sede conflatam

M. P. Addit. *p.* 313.

flatam executioni non mandasse; atque ita integrum sibi esse hoc regnum alii cuidam Principi deferre: ideo recusat petitum hanc ad rem Nuncium mittere. Poscebatur is etiam duos alios ob fines, nempe ob promulgationem pacis cum Gallia. & ob correctionem Angliæ. Ad quæ Papa reponit, se de statu hujus regni explicatius edoceri cupere, ac paucos tunc Cardinales circa se habentem nuncii missionem differre, cum pax etiam ante hujus adventum promulgari possit. Sæcul.XIII. A.C.1258.

Denique, quod ad Episcopum Vinconiensem attinet, Papa dicit, juridico ritu contra eum nihil agi potuisse, quia legitimus ejus defensor ad sanctam Sedem nullus venerit. Quod indicat, hunc Præsulem in curia Romana nondum comparuisse. At brevi post ibi se stitit.

Postquam eo advenerat, exposuit Papæ & Cardinalibus, se, quod in Anglia post tumultus ibi ortos sine periculo commorari haud potuerit, hinc excedere, atque ab Ecclesia sua magno cum dolore abire coactum esse: idcirco se metuere, ne ejus administratio sibi ut electo Episcopo in spiritualibus æque ac temporalibus conveniens redderetur controversa, & ipse juribus ac proventibus suis per vim privaretur. Papa ejus querelis commotus, epistolas in ejusdem gratiam Regi ac Proceribus Angliæ scriptas Valasco *ap. Vading.* 1258. *n.7.*

Sæcul. XIII. A.C. 1258.

Ord. Minorum sui sacelli & expiationum Præfecto tradidit, præcepitque, ut exhortationes efficaciſſimas adhiberet, quæ Regem ac Proceres impellerent ad recipiendum Epiſcopum Vinconienſem utpote canonico ritu electum, & a ſancta Sede approbatum. Adjungit Papa: Et quantum ad conſtitutiones noſtras attinet, quæ volunt, ut quivis Epiſcopus intra certum tempus conſecrari ſe curet, earum gratiam illi fecimus: & ipſe coram nobis ſe obtulit ad accipiendum legitimo tempore Sacerdotium, ac deinde conſecrationem, qua in Epiſcopum initiaretur. Itaque, ut eidem integros reditus, atque omnia bona ſua mobilia & immobilia ab initio turbarum inique adempta reſtitui curetis, volumus & imperamus, ſtatuentes hunc in finem cenſuras eccleſiaſticas, non obſtante qualicunque privilegio. Hoc mandatum edidit 28 Jan. 1259.

Supra.

Matth. Weſtmunſt. p. 369.

Frater Valaſcus delatus in Angliam coram Rege ac Optimatibus congregatis officium declaravit ſuum. At omnes ei, quomodo ſe res habeant, & Papam ab Epiſcopo vera tegente deceptum eſſe, eodem tenore dicebant. Diſceſſerunt appellantes a Nuncio ad Papam, denuoque miſerunt, qui hunc de re melius edoceret. Sic Valaſcus abeundum ſibi, Epiſcopus Vinconienſis a meta ſe longius remotum vidit. Quæſitum poſtea, quonam modo Valaſcus

Valaſcus Angliam intraverit, & comper- Sæcul. XIII.
tum eſt, id eſſe factum permiſſu Regis in- A.C. 1258.
vitis Proceribus. Igitur portus Doroberniensis cuſtodi, qui aditum illi dederat, munus abrogatum fuit.

§. LIII.

S. Ludovicus amans pacis.

Pax Franciam inter & Angliam Pariſiis confecta eſt 28 Maji, quæ erat dies Martis tertius poſt Pentecoſten an. 1258. Ibi Rex Henricus abdicavit ſua, quæ perhibebat, jura in Normanniam, Andegaviam, Cenomanenſem agrum, Pictavienſem provinciam & Turoniam: S. Ludovicus ei ceſſit totum ducatum Aquitanicum comprehenſis una juribus ſuis in tres Epiſcopatus, Lemovicenſem, Cadurcenſem, ac Petrocoranum; ea lege, ut ipſum eorum Dominum, ſe clientem ſolenni ritu profiteretur. Conſiliarii S. Ludovici ſe his pactionibus ſtrenue opponentes, Domine! inquiebant, Anglorum Regi ereptam ſua culpa a te tuisque anteceſſoribus partem regni tui tam magnam reddere vis beneficium non agnituro? Id vero nobis miriſſimum. Scio perbene, repoſuit Rex ſanctus, Angliæ Regem & anteceſſorem ejus merito amiſiſſe terras, quas poſſideo; nec me teneri ad reſtitutionem. Hanc facio tantum

Du Tillet. Angl. p. 176. Joinv. p. 14. 119 obſerv. p. 369.

Sæcul. XIII. A C. 1258.

ob pacis bonum, atque ut amicitiam concordiamque nos inter ac liberos noſtros, qui conſobrini ſunt, nutriam. Denique hunc Principem reddam meum clientem beneficiarium; ſuamque is mihi obſtringet fidem: quod nondum fecit. Ita loquitur Jonavillæ Dominus iſtarum rerum ſcientior illo ad S. Dionyſium monacho, qui perhibet, Regem ſenſiſſe morſus animi ob Normanniam cæterasque terras Regi Joanni a Philippo Auguſto de ſententia Parium Franciæ ademptas.

Duchesne to. 5. p. 370 Sup. Lib. 75 § 57. Sup. lib. 77. §. 959.

Nemo tamen dixerit, S. Ludovicum non religioſiſſimum fuiſſe in abſtinentia boni alieni. Indagabat ſolicite, an non anteceſſores ſui aliqua contra jus fasque occupaverint: & idcirco in provinciis Inquiſitores conſtituerat: ſicut in Occitania Archidiaconus Aquenſis cum tribus Religioſis, & ſummus Nemauſi Prætor, Aurelianum & Bituricas verſus Godefridus Buſſiacenſis Archidiaconus Aurelianenſis debita ſolvere juſſi fuerant: Inquiſitorum plerique erant Canonici, qui ut bono huic operi vacantes reſidere in beneficiis ſuis cenſerentur, Rex a Papa Alexandro impetraverat. Contingebat interdum, ut, poſtquam bona quædam male parta eſſe conſtitit, homines illi, quibus reſtitutio fieri debebat, reperiri haud poſſent, quantacunque diligentia quærebantur. Qua de re conſultus a Rege Papa

Duchesne to. 2. p. 36.

ap. Rayn. n. 16.

11. Apr.

11 Apr. 1258 litteras ad eum dabat, in quibus, cum eundem magnis ornaſſet laudibus, permittit, ut has reſtitutiones eleemoſynis ſuppleat, per quas ipſum ab eis liberum fore declarat, addens tamen, ſi poſtmodo detegat homines, quibus reſtitutio fieri debeat, hanc ipſi omittendam non eſſe. Sæcul.XIII. A.C.1258.

Dabantur etiam veteres Galliam inter & Arragoniam controverſiæ, quas S. Ludovicus hoc ipſo anno finiit. Cataloniam primitus Francia clientibus beneficiariis conferebat: & Arragoniæ Reges aliqua jura multas in terras cis montes Pyrenæos ſitas acquiſiverant. Lites has compoſituri duo Reges convenere de arbitris: S. Ludovicus Hebertum Decanum Bajocenſem, Jacobus Arragoniæ Rex Guilielmum Montegrinium ſacrarii Gerundani Præfectum elegit per compromiſſum menſe Majo 1255 factum. Triennio poſt 16 Jul. 1258 Barcinone concluſa eſt transactio, per quam Rex Ludovicus Regi Jacobo omnia poſtulata & jura ſua ad comitatus Barcinonenſem, Orgianum, Ruſcinonenſem, cæterasque terras transmontanas ibi nominatim expreſſas; & Rex Jacobus Regi Ludovico cedit poſtulata & jura ſua ad multas urbes terrasque cisalpinas, nempe Carcaſſonam, Biterras, Agatham, Albigam, Rutenam, Cadurcum, Narbonem, Milialdum, Nemauſum,

Marca Hiſp. App. n.519. n. 523. Catel. Lang. lib.1.p.29.

Sæcul. XIII. A. C. 1258.

mauſum, Toloſam, aliasque minore conſideratione dignas. Univerſe ac generatim ut loquar: S. Ludovicus fuit ille vir, qui maxime omnium paci conciliandæ ſtuduit præſertim inter ſubditos, ac regni ſui Proceres: ipſi extranei eum ſumebant arbitrum: adeo ſapientiam ejus ac juſtitiam totus agnovit orbis.

Joinv. p. 119.

§. LIV.

Tartari Bagdetiam capiunt.

Hunc annum 1258 Muſulmannis memorabilem reddidit eventus inter primos hiſtoriæ ſuæ numerandus, occupatio Bagdetiæ per Tartaros facta, & Califarum extinctio. Hulacus Mangu-Cani frater, & Ginguis-Cani nepos anno Epochæ Arabicæ 651. Chriſti 1253 in Perſiam duxit exercitum, quem frater ei ſuus tradiderat, e delectis Mogolibus compoſitum. Anno 654 (ejusdem Epochæ) ſtirpitus delevit Molheditas, qui erant Arſacidæ, ac ultimo eorum Principi, cui nomen Rucneddin Gurſcha, omnia ipſius loca eripuit. Subſidium vero contra Molheditas a Califa Moſtazem petens repulſam tulerat. Ergo poſt eorum internecionem Bagdetiam verſus movit. Moſtazembillam trigeſimum ſeptimum Califam ex Abaſis familia, ab anno 640 regnantem omnes Muſulmanni ſuæ religionis

Abulfarag. p. 337. Haito. c. 24.

Bibl. Orient. p. 453.

p. 505.

p. 628.

nis caput agnoscebant. Erat Princeps voluptarius, sed avarus simul, primo administro suo (Visirium vocant) proditori suo addictus. Accepta epistola, qua Hulacus denegatum contra hostes communes auxilium ipsi exprobrabat, injuriosissimum ei responsum dedit, iram Dei suamque minitans, eo quod ipsius Terris inferre pedem ausus fuisset. Hulacus, qui vires suas & Califæ infirmitatem noverat, hoc responsum indignatus Bagdetiæ portis admovit copias, cum minime putaretur. Duobus eam mensibus obsidebat, incolis interea more solito velut in plena pace viventibus, & Califa suis tantum voluptatibus intento. Demum mense Safar an. 656 Christi 1258 urbs a Tartaris capta, & direpta septem diebus (nam plura per secula immensæ ibi opes cumulatæ fuerant) ferroque ac igni vastata est. Califa Mostazem comprehensus, in pannum coactilem compactus, arctissime vinctus, & per omnes urbis vicos raptatus, hoc in supplicio brevi posuit vitam: atque sic interiit ultimus Califa Musulmannorum. Principium duxerant ab Abubecro anno undecimo Epochæ Arabicæ, Christi 631: & hæc dignitas in Abasidarum stirpe 509 annos permanserat. Ex eo tempore Musulmanni non habuere legitimum suæ religionis caput: nam hoc debere de Prophetæ familia esse illis an-

Sæcul. XIII. A.C. 1258.

p. 629.

Sup. lib. 38. §. 5.

Sup. lib. 43. §. 6.

Sæcul. XIII. A. C. 1258.

numeratur regulis, quibus tanquam fundamentis eorum fides nititur.

Bibl. Or. p. 54. Abulfar. p. 444. 345. &c.

Hulacus dein subjecto sibi Mosulio totaque Mesopotamia, transmisso Euphrate Syriam ingressus Damascum & Alepum cepit, evertitque anno 657, Christi 1258. Mortuo tunc Mangu-Cano succedens, quintus erat Magnus Mogolum Canus. Christiani hanc Musulmannorum cladem in rem suam potuissent vertere, nisi per dissidia sua sibi ipsis perniciem creassent. At præter bellum Venetorum cum Genuensibus etiam Templarios inter ac Hospitalarios Equites Ptolemaide furiosa fuit contentio, & prælium tam cruentum, ut hi majorem sociorum partem amitterent, illi vix non ad unum omnes perirent. Nunquam alias inter Christianos, multo minus inter Religiosos talis cædes conspecta fuit. Hujus nuncio cismare accepto, Templarii celeriter congregati, de communi consilio per cuncta domicilia sua edixere, ut relictis, qui ad eorum custodiam necessarii forent, reliqui omnes Equites Ptolemaidem contenderent, tam dirutas in regione domos suas reædificandi gratia, quam Hospitalarios ulturi.

§. LV.

Sæcul. XIII.
A. C. 1258.

§. LV.

Tartari Hungariæ Regi conditiones pacis offerunt.

Hungarorum Rex Bela IV. metu Tartarorum, qui huic regno vaſtitatem jam intulerant, oblatas ſibi ab illis fœderis conditiones audire coactus, ad Papam Alexandrum quendam Doctorem Paulum nomine miſit cum epiſtola, in qua dicebat: Cum Tartari Hungariam invaſiſſent, ad Papam Gregorium IX. Epiſcopum Vacianum (qui nunc eſt Prænestinus) ſuppetias ab eo poſtulaturum miſi: ſed ille ne verbo quidem conſolatorio me dignatus eſt. Hic Epiſcopus erat Stephanus Vacia translatus ad Archiepiſcopatum Strigonienſem, & a Papa Innocentio IV. Cardinalis Epiſcopus Prænestinus creatus an. 1251. Epiſtola ſic continuatur: Poſt obitum Gregorii vacante Sede Apoſtolica Cardinales mihi ſcripſere, poſtquam electus Papa eſſet, eum hos acerbiſſimos hoſtes e regno meo abigi curaturum. At hæc ſpes vana fuit, & poſt electionem novi Papæ contemptus manſi ac derelictus. Cum proin Tartaris obſiſtendo non ſim, ſi ſanctæ Sedis auxilium etiamnum mihi deſit, pacem ac fœdus ab iis ſæpius mihi oblatum magno

ap. Rayn. n. 33. Sup. lib. 81. §. 48.

Ughell. to. 1. p. 239.

Sæcul. XIII. A.C. 1259.

gno cum dolore accipere cogar. Faciunt mihi optionem vel filium meum filiæ Principis ſui, vel hujus filio filiam meam deſpondendi; ſed hac expreſſa conditione, ut filius meus cum quarta exercitus mei parte a fronte Tartarorum in Chriſtianos eat, prædarumque & armis quæſitorum partem quintam habeat. Præterea a ſolvendo eis tributo immunis ero: non intrabunt terras meas: atque ſi Legatos ad me mittent, eorum comitatus centum capita non excedet. Bela querebatur etiam, regni ſui eccleſiis gravem eſſe Papam beneficia dantem exteris, orabatque, ut ne is amplius ſic ageret.

Papa 14 Oct. 1259 ei ſic reſpondit: Nemo ignorat, in quanta rerum perturbatione tunc, cum opem a Gregorio IX. peteres, Eccleſia fuerit, & quantopere Imperator Fridericus eam vexarit. Nondum hactenus ſolvendo fuit grandia illa debita, quæ tum contrahere coacta eſt, ita ut potius eguerit ſubſidio, quam ferre aliquod potuerit. Dum Gregorio ſucceſſit Innocentius, abeuntibus Tartaris procella tui regni præterierat; nec opus erat amplius Cardinalium promiſſum effici. Quod attinet ad ea, quæ Tartari modo tibi proponunt: ſi nec a cœlo nec a terra ſperandum tibi eſſet auxilium; ſi de jactura omnium orbis regnorum, immo

mo de vita ageretur tua, horrere tamen illa deberes. Sunt remedia tam probrosa, ut generosus homo eis mortem præferat. Ne sinat Deus, ut ob commodum temporale a corpore recte credentium te separes, & cum ethnicis fœdus sancias futurus Christianorum hostis, quorum defensor fueras, & ad hos invadendos viam barbaris aperturus! Quin etiam, si hoc æternum tibi dedecus acciviſſes, regni tui jactura potius, quam salus foret. Audiisti forsitan ipse, Tartaros per fallaces similium fœderum illecebras multis populis imposuisse. Num te facturum putas, ut tibi uni promissa præstent sua? Ethnicorum fidei haud innitendum. Cum nostris in juramentis nihil authoritatis agnoscant: Christianus illis jurantibus fidere potest? Sæcul.XIII. A. C. 1259.

Sed nec matrimonii vinculum potest Christianum ethnica cum fœmina jungere; quia inter ethnicos ipsos connubium quanquam verum ob fidei penuriam nec firmum est nec indissolubile. Si proin, quod Deus avertat, filiam aut filium tuum Tartaris dares, hæc illicita conjunctio nullam paci tuæ firmitatem tribueret, nec nisi concubinatus infamis esset. Monet deinde, ut confugiat ad Deum, agnoscatque, his ethnicorum incursibus puniri crimina Christianorum, speciatim occupata bona Ecclesiæ, ac impugnatam ejus liberta-

Sæcul. XIII. A. C. 1259.

bertatem. Precatur, ne moleſte ferat, ſi poſtulati mille baliſtarii ſibi non mittantur, eo quod ſubſidium majus habiturus eſſet in quinta ſacrorum Hungariæ proventuum parte: ſe hanc ei concedere, immunes tamen ab ea velle Templarios Equites cum cæteris Religioſis militaribus, monachisque Ciſtercienſibus. Denique beneficia in extraneos collata frigide excuſat, dicens, vix dari regnum aliud, cui hæc querela minus conveniat quam Hungariæ; nec tam bene agi poſſe, ut homines maligni nihil vituperent.

Illud, quod Papa hic afferit, in ethnicorum fide haud eſſe nitendum, non nimium ſtricte accipi debet. Haud decet divinam & quæ naturam excedit, fidem confundere cum bona fide humana omnis varias inter gentes commercii baſi, quod ſanæ rationis effectus eſt naturalis. Conjugii impedimentum ex diverſitate religionis natum non eſt inſuperabile in certis caſibus ſingularibus, in quibus de publico & ipſius religionis bono agitur.

§. LVI.

Litteræ Pontificiæ contra Clericos concubinos.

ap. Rayn. n. 22.

Incontinentia Cleri tam communis & tam publica erat, ut Papa Alexander reme-

remedium malo allaturus ad Archiepiscopos, eorum Suffraganeos, Abbates cæterosque Præpositos ecclesiasticos epistolam circummitteret, in qua primum eis graviter ob oculos ponit, quam sibi commissarum terribilem animarum rationem Deo reddere debeant; dein exaggerat exemplum pessimum Clericorum contemptis canonibus concubinas palam sustentantium, abjectoque omni pudore sacras ministerii sui functiones impuris manibus exercentium. Exponit, quanta sibi vituperia ab hæreticis, quantum contemptum a populis, quam miseram Ecclesiæ oppressionem ab Optimatibus accersant. Hortatur Præsules, ut primum optimo vitæ exemplo, tum sontium castigatione rem indignissimam exterminent: declaratque, eorum severitatem per appellationem haud retardatum iri, & litteras apostolicas a reis contra hanc insectationem impetratas fore nullas & irritas. Dabat 13 Febr. 1259. Sæcul. XIII. A.C. 1259.

Hujus epistolæ habemus exempla duo, Archiepiscopo Rothomagensi alterum, alterum Archiepiscopo Salisburgensi inscriptum. Unde colligitur, illam in cæteras quoque provincias esse missam, atque hoc vitium fuisse generale in tota Ecclesia. Archiepiscopus Rothomagensis erat Odo Rigaldus Ord. Minorum, qui Odoni Clementi an. 1247 successerat, & hanc *Stero.* 1260. *p.* 283. *Gall. Chr. to.* 1. *p.* 587.

Sæcul. XIII. A. C. 1259.

hanc ſedem 28 annis tenuit. Hæc epiſtola eſt elegans: ſed talia mala exigunt remedia magis ſingularia quam exhortationes quantumvis patheticas.

§. LVII.

Controverſia Univerſitatis Pariſinæ.

Cum tot epiſtolæ, quas Papa Alexander in gratiam Fratrum Prædicatorum jam dederat, Doctores Pariſienſes, ut eos reciperent, necdum permoviſſent, hoc anno 1259 eum in finem plures dedit. In prima, quæ Anagniæ 5 Apr. Epiſcopo Pariſienſi inſcripta fuit, queritur aliquos Doctores moleſtiam faceſſere certis Religioſis revocationi Guilielmi de Sancto Amore ſe opponentibus. Jubet Epiſcopum convocatis cunctis Doctoribus ac diſcipulis propoſita anathematis pœna interdicere, ne ſic cum illis agant: eo quod hi Religioſi ſalva æquitate conſentire nequeant in reſtitutionem hominis merito condemnati, rixoſi, & contumacis. Edoctus poſtea Univerſitatem hoc cum Doctore magnum litterarum commercium habere, præcepit Epiſcopo, ut illud pleno jure conſtituta proſcriptionis pœna rumperet.

Duboulai p. 348. Indignanter accep. Vading. 1259. n. 4.

Dubou. p. 351. Multorum relat. Vading. n. 5.

Uni-

Universitatis Rector, Professores Artium, cæterarumque duarum Facultatum Juris ac Medicinæ Doctores perhibebant, hæc omnia Papæ mandata ad solam Facultatem Theologiæ spectare, quia hæc sola esset, ad quam illi Religiosi admitti vellent. Quapropter Papa Episcopo Parisiensi tertiam scripsit epistolam, quam a magnis Universitatis laudibus inchoat, & in qua huic Præsuli injungit, ut Artium Professores ac reliquos, qui Fratres Prædicatores Minoresque ad societatem suam admittere recusarent, hos intra quindecim dies eo recipere sub anathematis pœna jubeat, a qua illi absolvi haud possint, nisi coram sancta Sede compareant. Insuper Papa imperat, ut Episcopus has litteras horum Religiosorum rationem vivendi, & paupertatis professionem approbantes promulgari, & librum de periculis noviſſimorum temporum cæterosque libellos contumelioſos in Ordinum illorum membra latine aut gallice soluta vel ligata oratione compositos publice concremari curet. Addit: Ecclesiæ castris expulsum denunciabis Guillotum fori litterarii administrum seu bidellum nationi Picardicæ addictum, quod præterita Dominica Palmarum Fratre Thoma Aquinate de rebus divinis habente sermonem in præsentia Cleri ac populi probrosum libellum in Fratres Prædicatores vulgare

Sæcul. XIII. A C. 1259.

Ex alto. Vading. n. 6.

Sæcul. XIII. A.C. 1259.

sit ausus: faciesque, ut Parisiis in perpetuum ejiciatur. Dabat 26 Junii.

Duboulai p. 353. Rayn. n. 27.

Post paucos a Paschate dies scripsit ad Universitatem de postulata revocatione Guilielmi de Sancto Amore. Exponit illi, hunc Doctorem non se demisisse, librum suum a sancta Sede damnatum non retractasse, nec ullum pœnitentiæ signum edidisse: ac spem facit, eum a se in gratiam receptum iri, quando ad sanam mentem reversum viderit. Denique ad S. Ludovicum litteras misit, in quibus eum prædicat, quod Apostolicæ Sedis imperiis se submittens homines pacificos, nempe Religiosos Mendicantes a turbatoribus scholæ Parisiensis tueatur: oratque Regem, ut Episcopo Parisiensi validam manum tradat executioni daturam epistolas, quas modo adduxi.

Dubois to. 2. p. 372.

Episcopus Parisiensis nono tunc anno erat Reginaldus Corbeliensis. Guilielmus Avernensis 30 Martii an. 1248 ante Pascha, scilicet anno 1249 vita functus successorem habuit Gualterium Castro-Theodoricianum antea Parisiensis Ecclesiæ Cancellarium. Cum is duntaxat unum circiter annum tenuisset sedem, in hujus possessionem 10 Jul. an. 1250. Reginaldus venit, a quatuor Baronibus solenni ac veteri more portatus. Sedit annos decem & octo.

p. 414.

§. LVIII.

§. LVIII.

Sæcul. XIII. A.C. 1259.

Collegium Sorbonicum.

Reginaldi ætate conditum est clarissimum Universitatis collegium Sorbonicum, sic nominatum ab authore suo Roberto Sorbonico, qui & ipse hoc nomen ab ortus sui loco pro temporis more traxerat. Cameracensis primum, dein Parisiensis Canonicus, ac Regis Clericus, seu S. Ludovico a sacello fuit, qui virum ob celebratissimam ipsius virtutem in aula sua commorari voluit, & ad mensam suam interdum adhibebat. Collegium ille suum construere cœpit anno 1250, cum Rex aut potius Regina Blanca hoc absente eum in finem illi Parisiis dedisset domum quandam ante Palatium Thermarum: quod fuerat Imperatoris Juliani apostatæ palatium, cujus rudera etiamnum videntur. Postea Rex domos omnes, quas eodem in loco habebat, Roberto Sorbonio concessit pro quibusdam aliis, quas Robertus possederat in vico *de la Bretonnerie*, ac Regis Rogatu Religiosis sanctæ Crucis cesserat. Litteræ datæ sunt mense Februario an. 1258. Collegium Sorbonicum pro pauperis Theologiæ studiosis exstructum est.

Joinv. p. 6.

Dubrevil. Antiq p. 617 Duboulai. p. 224.

Sup. lib. 14. §. 34.

Religiosi sanctæ Crucis sunt quædam congregatio Canonicorum Regularium

Dubois. p. 417.

Sæcul. XIII. A. C. 1259.

sub initium ejusdem seculi a Theodorico Cellensi Canonico Leodiensi instituta. Illorum domus primaria est asceterium Hojense anno 1234 a Joanne Apio Episcopo Leodiensi conditum.

Chapeauv. to. 2. p. 262.

Tria Roberti Sorbonii scripta habemus plus pietatis quam doctrinæ monstrantia, & simpliciſſime, ne dicam, ruditer composita. Sed Guilielmi de Sancto Amore cæterorumque ejusdem temporis Authorum stylus vix sublimior est. Roberti librorum dos est, quod sint solidi, practicique, & unice ad utilitatem animarum tendant. Cuncti tres ad pœnitentiam pertinent. Primus est inscriptus: De Conscientia; alter: De Confessione; tertius: Iter ad paradisum. Primus videtur esse factus pro auditoribus scholarum: nam perpetuo examen, quo Cancellarius Universitatis eorum doctrinam periclitatur, cum judicio Dei comparat. Siquis sibi proposuisset, ait, Parisiis docere litteras, quantocunque labore constaret, quia repulsum passus in furcam ageretur: foret cupidissimus e Cancellario vel ex quodam ejus senatore intelligendi, quonam ex libro examinandus esset: si ponamus eum Doctorum albo inseri haud posse absque examine; nam hujus interdum gratia fit candidatis illustrioribus. Volumus autem omnes paradisum ingredi: & omnes, qui eum intrabunt,

Bibl. Patr. Paris. to. 5. p. 1006.

Theo-

Theologiæ Doctores erunt, legentque magnum codicem, nempe librum vitæ, in quo scripta sunt omnia. Antequam in paradiso Doctoribus adscribemur, examen omnes subibimus, & hujus nemini fiet gratia in die judicii. Haud ignoramus, ex quo libro examinandi simus, videlicet ex libro conscientiæ. Proinde sicut insanus esset Clericus, si, cum Cancellarius ei dixisset: Ex hoc libro solo examinaberis, hunc relinqueret, ut incumberet in alios: sic summa est amentia omittere librum conscientiæ, ut aliis navemus operam, aut majorem demus, quam illi, ex quo severe sumus examinandi. Sæcul.XIII. A.C.1259.

Totum opus reliquum eodem scriptum stylo eadem comparatione nititur: & ibi videre licet, quali tunc modo Cancellarius Doctoribus annumerari cupientium eruditionem exploraverit. Liber de confessione continet examen conscientiæ in modum dialogi arcanum Judicem inter ac pœnitentem: & author ibi late excurrit in singula rerum capita. Via ad paradisum in triduum divisa est, nempe in diem contritionis, confessionis, & satisfactionis. Ibi scriptor asserit, pœnitentem debere paratum esse ad noxas vitandas potissimum ob amorem Dei, etiamsi nec paradisus nec inferi darentur; deinde pro quovis peccato mortifero teneri ad septem annorum pœnitentiam; *Duboulai. p. 238. Bibl. p. 1016. p. 1029.*

Sæcul. XIII. A.C. 1259.

atque si eam hac in vita non peragat, in flammis piacularibus completurum: ubi cernimus, veterum pœnitentiam nondum in oblivionem venisse. Author nec subtiles ratiocinationes, nec locos communes adhibet, sed argumenta sub sensum cadentia, & exempla familiaria.

§. LIX.

Veteres Carthusianorum constitutiones.

Scholæ Parisiensis existimatio illuc attraxit Carthusianos, ut docet titulus eorum institutionis, ubi Rex S. Ludovicus ita loquitur: Fratres Ordinis Carthusiani nobis præsentes supplicarunt, ut sibi concederemus nostram domum in Valle Viridi prope Parisios urbem nostram, in qua largiter fluunt doctrinæ salubris aquæ totam irrigantes Ecclesiam. Tum Rex stipis instar eis castrum donat cum quibusdam bonis aliis. Litteras publicas dabat Meloduni mense Majo anno 1259.

Duboulai p. 360. Dubois p. 435.

Discipl. Ord. Carth. p. 112. 128.

Eodem anno Carthusiani generalia comitia obiere, ubi Rifferus decimus tertius Carthusiæ Præpositus, (Priorem vocant) curavit authoritatem dandam conconstitutionibus Ordinis a se collectis, emendatis, auctisque: & hæ sunt, quas appellant statuta vetera. Inter alia ibi legitur:

legitur: Etsi praxis consuetudinum Guigonis quodammodo immutata est, comitia tamen eas in qualibet domo integræ sine ulla mutatione haberi volunt, ut videamus, quantum a vita nostrorum Patrum veterum desciverimus. Origo comitiorum generalium ibi notata est sub Basilio, qui fuit octavus Carthusiæ Præfectus seu Prior, ac diem obiit an. 1173. Omnium reliquarum domuum Priores, qui solum quatuordecim tunc erant, ab eo flagitarunt & obtinuere, ut observantiæ firmandæ causa in primaria illa domo generalia celebrarent comitia. Sæcul.XIII. A.C.1259. p. 129. p. 131.

Vide, quomodo sonent Rifferi sanctiones in capitulo de reprehensione: Est, cur divinum timeamus judicium, nos, qui contra ejus inhibitionem transtulimus limites nobis ad vitam regularem a Patribus nostris positos. Siquis eos in dubium vocet, legat, relegatque Guigonis constitutiones! & videbit, quantum hodierna nostra vivendi ratio a vita Patrum nostrorum discrepet. Mali causa videtur esse in quibusdam Prioribus, qui subditorum correctionem negligunt, aut per nimiam indulgentiam corporis commoda sibi suisque parando disciplinam solvunt. Nonnullis insuper grave accidit apud fratres suos manere, egredique & ambulare placet: dumque illi alienis se negotiis onerant, gregem suum derelin- p. 133. p. 134.

Sæcul. XIII. A. C. 1259

quunt. Deberent considerare, Priorem Carthusiæ nunquam e finibus suæ solitudinis exire; has deambulationes extraneas veris eremitis odiosissimas esse, ac præ aliis rebus apud homines profanos in contemptum nos adducere.

Conventus generalis sæpe castigavit, ac legibus constrinxit curiosas impensas in vestes & apparatus. Sed nulla vel modicissima emendatio secuta est. E contrario multi adversus interdictionem obfirmatis animis nostrum institutum despicatui habent, nos præ reliquis monachis omnibus adstringens ad modestiam, demissionem, paupertatem, vilitatemque vestium, ac eorum omnium, quæ nobis usui sunt. Sanctam Ordinis nostri rusticitatem obliti gratulantur sibi, quod has mollitias introducant sobriæ frugalitati contrarias, & solitariæ vitæ severitatem enervantes. Huic superfluitatum studio adscribendum, quod, cum solitudinum nostrarum spatium jam non sufficiat sumptibus, multi audentes illicita, huc illuc decurrant, ut acquirant bona, metas suas proferant, & ulteriores reditus habeant per omne genus solutionum a legibus. Conventus in posterum rerum tam indignarum reos denunciari jubet. Sanctionum Rifferi & Guigonis intervallum centum triginta circiter annos continet.

Sup. lib. 67. §. 58.

§. LX.

§. LX.

Sæcul. XIII. A. C. 1259.

Tyranni Ecelini mors.

Lombardia hoc anno demum se a tyranno Ecelino liberam vidit. Cum Mediolanum subito occupare frustra conantem Cremonenses ac Mantuani duce Marchione Huberto Palavicino invasissent, vulnerato in pugna pede, die Sabbati S. Cosmæ sacra 27 Septembris 1259 captus, Succini, quo eum Cremonenses duxerant, post paucos dies animam efflavit septuaginta circiter annos natus. Sacramenta cum horrore abnuit, quemadmodum per vitam immemor Dei ac sine religione fuerat, cum spoliaret templa, Religiosis & Clericis crudelem inferret necem, beneficia, velut si Papa esset, quibus volebat, distribueret. Erat hostis humani generis, & supra quinquagies mille homines variis modis peremerat. Astrologis habebat fidem, & complures in comitatu suo numerabat; inter alios certum Canonicum Patavinum, & quendam Paulum Saracenum, qui Bagdetia venerat, & promissam gerebat barbam: Itali alterum in eo Balaamum cernere sibi videbantur. *Mon. Pad. p. 606 607. &c.*

Philippus Fontius Archiepiscopus Ravennas, & Apostolicæ Sedis Legatus hærebat etiamnum Brixiæ captivus, quo *p. 610. Sup. §. 46.*

Sæcul XIII. A.C. 1259.

Ecelinus eum miserat. Papa Alexander comperta tyranni morte scripsit Marchioni Palavicino & Brixiensibus, ut hunc Præsulem liberarent. At renuerunt: nam Marchio Ecelini quidem inimicus, Papæ vero haud amicior erat. Archiepiscopus tamen per fenestram palatii, ubi asservabatur, elapsus Mantuam fuga petiit. Marchio Palavicinus Imperatori Friderico, cui erat devotissimus, multa præstiterat obsequia, multa beneficia debebat. Igitur ejus familiæ semper addictus mansit, & in fœdere cum Marchione Atestano, Cremonensibus, Mantuanis, ac Mediolanensibus contra Ecelinum juncto disertis verbis voluerat, ut Manfredum agnoscerent legitimum Siciliæ Regem, amicumque suum, & officia sua ad reconciliandum ei Papam impenderent. Sed & Manfredus Palavicinum suis in Lombardia copiis præfecit.

Anon. ap. Ughel. to 9. p. 853.

ap. Rayn. n. 5.

Anon. p. 854.

Matth. Par. contin. p. 848

Nang. p. 547

Papa, qui hoc ipso anno Manfredum tanquam iniquum Siciliæ possessorem proscripserat, hoc ejus fœdere cum Lombardis icto offensus, Henrico Segusiano Archiepiscopo Embrodunensi ita scripsit: Absolutionem, quam Religiosus quidam Palavicino & Cremonensibus impertivit, nullam declara, eoquod nulla absolvendi potestate præditus ne formulam quidem Ecclesiæ observaverit, & quia ex præscripto tuo Fratrum Minorum aut Prædica-

Rayn. n. 7.

dicatorum erat hanc absolutionem dare. Si Palavicinus ac cæteri Ecclesiæ rursum se submittere velint, pacta cum Manfredo quondam Tarenti Principe, aut cum reliquis Dei ac Ecclesiæ inimicis conflata rescindere debent ac satisfacere in punctis omnibus, ob quæ a sancta Sede proscripti fuere. Nullum inter civitates fœdus Ecclesiæ Romanæ nomine jungas: non convenit, eam tale negotium in se suscipere. Nec milites sacros conscribi cura, quia Deus commiserans Ecclesiam suam ab Ecelino liberavit: & quod ad redemptionem votorum attinet, nos ei providebimus. Dabat 13 Dec. 1259. Sæcul.XIII. A.C.1259

§. LXI.

Theodori mors. Michaël Paleologus Imperator Græcus.

Hoc ipso anno Manfredus Michaëli Epirotarum summo Principi, cujus filiam sibi nuptiis junxerat, subsidium misit contra Michaëlem Paleologum Græcum Imperatorem Constantinopolitanum. Imperator Theodorus Lascaris correptus morbo, cui Medici nullum remedium inveniebant, se fascino affectum credidit, ac ex levissima suspicione delatos comprehendi jussit, nullo purgationis modo eis relicto, quam ferri candentis periclitatione: nam hæc superstitio Græcos etiamnum *Acropol. n.* 81. *Id. n.* 74. *Pachym. l.*3. *c.* 12.

Sæcul. XIII. A.C. 1259.

num tenebat. Cum morti proximum se videret, monastica indutus veste accersito Archiepiscopo Mitylenensi facta noxarum confessione, ad ejus pedes prostratus lacrymis humum rigabat suis, sæpius clamans: JESU Christe! ah te deserui; suaque manu largam distribuit stipem. Sic vitæ curriculum confecit anno ætatis trigesimo sexto, regiminis sui quarto nondum completo, quod mense Novembri 1254 inceptum mense Augusto 1258 finiit. Filium reliquit necdum octo annos natum, ac testamento suo Gubernatorem Imperii declaravit Præfectum vestiarii Georgium Muzalonum. Quem tanquam hominem fortunæ omnia debentem Optimates nono post Theodori obitum die in ipso templo, ubi funeris exequiæ celebrabantur, de medio sustulere.

Gregoras lib. 3. c. 2. n. 6.

Maur. David. animad. in Possin.

Tum in Michaëlem Paleologum, qui etiam nomen Comneni ex avia sua capiebat, conversi sunt oculi: & Arsenius Patriarcha Constantinopolitanus parvi Principis Tutor una cum Muzalono designatus se passus est permoveri, ut illi summam rerum traderet. Hic Præsul pietatis studio quam politicis artibus clarior cum primoribus Episcopis Imperiique Proceribus inito sæpius consilio consensit, ut, quamdiu parvulus Imperator Joannes Lascaris minor annis esset, Michaël Paleo-

Paleologus primariæ poteſtatis clavum cum Deſpotæ titulo teneret. At paulo poſt Imperii Optimates Magneſiæ Paleologum ſcuto impoſitum proclamarunt Imperatorem. Patriarcha Arſenius, qui tunc Niceæ agebat, rei nuncio vehementer afflictus, puſilloque Principi metuens, proſcribere Paleologum ac electores ejus cogitabat primum: ſed imperans iræ juramentis potius terribiliſſimis adſtringendos credidit, ut ne appeterent vitam pueri, aut ei malefacerent. December inierat, quo vix elapſo, nempe 1 Jan. 1259 Patriarcha ipſe Michaëlem Paleologum tanquam Imperatorem Niceæ ad aram coronavit, ſed ſolummodo ad tempus, donec ſcilicet Joannes Laſcaris regnando per ætatem par eſſet, eaque conditione, ut tunc ille ultro relicto ſolio cuncta imperatoriæ dignitatis inſignia poneret: atque hoc ſibi promitti, promiſſumque per juramenta prioribus grandiora firmandum curavit.

Sæcul.XIII. A.C.1259.

Greg.lib.4. c.1. Acrop. n.77. Pachym. l.2.

§. LXII.

Flagellantes in Italia.

Interim Italiam corripuit pietatis ardor hactenus inauditus. Peruſiæ cœptus Romam venit, indeque in reliquam regionem. Nobiles, plebeji, ſenes ac juvenes immo quinquennes pueri ob crimi-

na

Sæcul. XIII. A. C. 1259.

na Italiam inundantia Dei timore perculsi per urbium vicos ibant penitus nudi exceptis partibus, quas contegi pudor omnino jubet. Supplicantium ritu bini procedebant, suam quisque scuticam tenentes manu, multosque inter gemitus & lacrymas tam acriter terga cædebant sua, ut se totos cruentarent, implorantes Dei misericordiam & sanctissimæ Virginis patrocinium. Etiam noctu asperrima hyeme accensis instructi cereis circumibant: centeni millenique & usque ad decem millia sequebantur Presbyteros cruces ac vexilla præferentes. Accurrebant ad templa, & ante altaria humi procumbebant. Idem agebant in oppidis & pagis, ita, ut montes & loca plana eorum clamoribus personarent.

Nulla tum instrumenta musica, nullæ cantilenæ amatoriæ, sed tristes tantummodo voces audiebantur. Vel illustrissimæ matronæ ac virgines delicatissimæ virilis sexus exemplum imitandi causa, pro gentis more suis inclusæ cubiculis idem faciebant debita cum modestia. Tum inimici plerique redire in gratiam; fœneratores furesque bona male parta reddere; sontes reliqui sua confiteri crimina, seque corrigere. Tum recluſi carceres, captivi liberati, revocati exules, totque bona opera facta, velut si fuisset timendum, ne ignis de cœlo caderet, aut ter-

ra

ra dehiſceret, vel ſimilis quidam juſtitiæ divinæ effectus immineret. Hic tam ſubitus pœnitentiæ fervor materiam meditandi ſapientiſſimis præbuit, cuinam cauſæ eum adſcriberent, haud videntibus. Non illum Papa præceperat continenter Anagniæ hærens: non eloquentia cujusquam ſacra effecerat, vel ullius hominis authoritas: ſimplices cœperant; reliqui ſecuti erant. Sæcul. XIII. A. C. 1259.

Hic pietatis motus Germaniam, Poloniamque, ac plures alias regiones pervaſit. Pœnitentes ibant nudi a collo lumborum tenus velata, ne agnoſcerentur, facie, & a lumbis ad pedes usque tecti. Quotidie bis ſe flagris verberabant per tres ac triginta dies in honorem annorum, quos Chriſtus in terra tranſegit, certaque cantica de cruciatibus ejus ac morte canebant. Sed ſuperſtitio haud diu aberat. Dicebant, neminem peccatis ſuis omnibus exſolvi poſſe, niſi per menſem hanc ageret pœnitentiam. Confitebantur ſibi mutuo, ſeque abſolvebant quamquam laici, ſuamque pœnitentiam mortuis, etiam qui in paradiſo vel inferis eſſent, ſalubrem perhibebant. *Stero. an. 1269. p. 289.*

Hi Flagellantes (nam ita vocabantur) Manfredo jam ſuſpecti fiebant, priusquam erroris alicujus arguerentur. Nequid ipſius authoritati contrarium hæc congregata hominum multitudo moliretur, veritus *Mon. Pad. p. 613.*

Sæcul. XIII. A.C. 1260.

veritus hoc pœnitentiæ genus per totum regni sui spatium, per Marchiam Anconitanam Hetruriamque constituta mortis pœna interdixit. Ejus exemplo Marchio Palavicinus idem Cremonæ, Brixiæ, Mediolani, & ubicunque imperitabat, prohibuit. Henricus Bavariæ Dux & aliquot Germaniæ Episcopi hos Flagellantes contemptim rejecerunt. Prandotha Cracoviæ Episcopus eos pepulit, carceres, nisi prompte discederent, minitans. Januſſa Archiepiscopus Gnesnensis, cæterique Poloniæ Episcopi detectis illorum erroribus fecere, ut Optimates sub gravibus pœnis vetarent, nequis hanc sectam sequeretur. Sic spreta brevi ac relicta est, sicut absque authoritate ac ratione formata fuerat.

§. LXIII.

Carmelitæ & Augustiniani Parisiis domos obtinent.

Parisina Universitas consensit denique in recipiendos Fratres Prædicatores, ut docent tabulæ publicæ Rectoris, & omnium Doctorum auditorumque nomine confectæ; in quibus ajunt: Statuimus & sancimus certas ob causas aliis in litteris fusius expressas, ut Fratres Prædicatores seu Jacobini (sic Parisiis appellantur) quotiescunque ad nostros actus publi-

Duboulai. p. 356.

publicos vocati vel admissi fuerint, postremum ibi teneant locum, nempe Theologiæ Doctores post cunctos reliquos ejusdem Facultatis Doctores juniores seniores-que, seculares ac Religiosos; & in disputationibus nonnisi post Doctores cæteros argumententur; ex eorum Ordine prima donati laurea seu vulgo Baccalaurei ultimam pariter sedem occupent post reliquorum Ordinum Baccalaureos, scilicet Fratres Minores, Carmelitas, Augustinianos, Cistercienses, cæterosque Regulares; atque præsens constitutio promulgetur, templorum portis affigatur, & jurejurando firmetur ab omnibus iis, qui nobis juramentum dixere. Dabamus ad S. Maturini nostro in conventu generali hac de causa ter convocato nimirum 20 Jan. 19 & 21 Febr. an. 1259 sive 1260 post Pascha. Sæcul. XIII. A.C. 1260.

Hic mentio fit de duobus novis Ordinibus Religiosorum Mendicantium, Carmelitarum scilicet & Augustinianorum, qui nuper Parisiis domicilium collocaverant. Carmelitæ erant illi homines solitarii (de quibus memini) in monte Carmelo instituti ante finem seculi duodecimi, quibus dein Albertus Patriarcha Hierosolymitanus regulam dedit. S. Ludovicus aliquos eorum secum duxit in suo a Palæstina reditu, & Parisiis domicilio donavit, ut liquet ex quadam epistola, *Sup. lib. 76. §. 55.*

Sæcul. XIII. A. C. 1260

quam Rex Carolus Pulcher ejus pronepos anno 1322 scripsit. Habitabant initio ad ripam Sequanæ eodem in loco, in quo hodie sunt Cœlestini.

Dubreuil. Antiq. p. 567

Sup. §. 26. Dubois hist. to. 2. p. 442. Dubreuil. p. 550.

Augustiniani erant illi Eremitæ, quos Papa Alexander IV. in unum idemque corpus sub Generalem Præpositum Lanfrancum an. 1256 redegerat. Parisiis sedem acceperant mense Decembri anno 1259; eorumque domus erat in vico Montis Martyrum tunc extra urbem posito & prope illum, quem ex iisdem etiamnum dicimus vicum Augustinianorum veterum.

§. LXIV.

Albertus Magnus Episcopus Ratisbonensis.

Albertus Ordinis Prædicatorum Doctor celeberrimus etiamnum Coloniæ Theologiam docebat, cum Papa Alexander illum elegit ad sedem Ratisbonensem cedente Episcopo vacuam. Illius doctrina & virtus erant momenta, ob quæ Papa eum censuit idoneum restaurandæ huic Ecclesiæ in spiritualibus æque ac temporalibus graviter perturbatæ. Quamobrem Alberto ejus curam injunxit, ut apparet ex litteris Pontificiis Anagniæ 5 Jan. 1260 datis. Sed Humbertus Romanensis Generalis FF. Prædicatorum Magi-

Ex Schedis R. P. Jac. Echard. ap. Bzov. 1260. n. 8.

Magiſter hoc nuncio ex curia Romana accepto haud modice afflictus ſic ad Albertum ſcripſit. Sæcul. XIII. A. C. 1260.

Ad Epiſcopatum deſtinatus eſſe diceris. Si hoc ex parte Romæ credi poſſet, quis foret, qui te noſcens credibile putaret, tibi perſuaſum iri, ut conſentias? Quis, inquam, veriſimile cenſeret, te ſub vitæ finem tuæ ac Ordinis gloriæ, quam tantopere auxiſti, hanc aſperſurum maculam? Dilecte frater! Quis, quæſo, noſtratium, immo quis e cunctis Mendicantium Ordinibus dignitatum ſtimulis reſiſtet, ſi tu ſuccumbas? Non potius ad excuſationem exemplum ſerviet tuum? Ne te, obſecro, noſtri Romanæ in curia Domini conſiliis aut precibus ſuis moveant! Hujusmodi verba facile in ludibrium & irriſionem abeunt. Ne tuum frangant animum Ordinis incommoda, qui fratres omnes generatim colit amatque, ac de te ſingulariter in Domino noſtro gloriatur. Si hæ moleſtiæ majores, quam unquam fuerunt, eſſent, hominem tuarum virium alacriter eas ferre conveniret. Nec te percellat mandatum Papæ, quod, dum talibus de rebus agitur, potius verbis quam mente conceptum creditur: eosque, qui reapſe obſtiterunt, neutiquam coactos eſſe videmus. Tantum abeſt, ut hæc brevis parendi detrectatio officiat exiſtimationi, ut hanc augeat etiam. Per-

Sæcul. XIII. A C. 1260.

pende, quid acciderit illis, qui trahi se tales ad honores passi sunt; qualem famam habeant, qualem tulerint fructum; quem finem fecerint! Pone tibi ante mentis oculos negotiorum tricas in regendis Germaniæ Ecclesiis; & quam difficile sit hoc in munere non offendere Deum vel homines! Denique quo animo feres curas rerum temporalium & peccandi pericula, postquam libros sacros, & puritatem conscientiæ adeo amasti? Animarum salutem si quæris, considera, te per hanc status mutationem plane disperditurum esse fructus innumerabiles, quos per tuam existimationem, per tuum exemplum ac per scripta tua non Germaniæ modo, verum etiam orbi propemodum universo affers: cum tamen fructus ille, quem in Episcopatu edes, incertus omnino sit. Præterea charissime frater, totum Ordinem nostrum magnis a vexationibus modo liberum, & ingenti perfusum solatio vides: quid, si eum denuo in tristitiam graviorem immergeres? O si comperiam potius dilectum filium meum jacere in sandapila, quam pontificio in solio sedere! Itaque positis humi genibus te obtestor per demissionem sanctissimæ Virginis ac filii ejus, ne tuum humilem statum relinquas, ut, quod inimicus forsitan in multorum perniciem egit, in duplicem gloriam tibi nobisque cedat. Redde nobis respon-

reſponſum, quod nos abſolvat metu, nobisque ac fratribus noſtris ſolatio ſit! Accepit tamen oblatam ſibi mitram Albertus; ſed ad ſummum triennio tenuit. Sæcul.XIII. A.C.1260.

Natus erat Lavingæ ad Danubium an. 1205 e proſapia Comitum Bolſtatiorum. Litteras amœniores didicit Paſſavii, & Prædicatorum Ordini nomen dedit viginti novem circiter annos ætatis numerans, atque philoſophicis jam ſtudiis, præſertim phyſicis imbutus. Coloniæ primum, dein Hildeſiæ, Friburgi, Ratisbonæ, Argentinæ, docuit. Tum Coloniam reverſus, ibi S. Thomam Aquinatem, ut memoravi, diſcipulum habuit. Anno 1245 Pariſios miſſus, & anno ſequente aſſecutus Doctoris gradum, Coloniam rediit anno 1248. Suum litterarum ſtudium ei haud obſtabat, quin quotidie recitaret pſalterium, precibusque ſacris, & meditandis myſteriis tempus daret. Anno 1254 Vormatiæ Magiſter Germaniæ Provinciis factus, quamdiu hoc munus obiit, provinciam luſtrabat pedes, ſine pecunia, & mendicans. Quoties in cœnobio ſubſiſtebat, ſe occupabat tranſcribendo libros, ſuumque laborem relinquebat domui. Tanquam Nuncius eſt miſſus in Poloniam, ut ibi tolleret barbaram conſuetudinem infantes cum corporis vitio natos ac invalidos ſenes necandi: ut ipſe teſtatur. A Papa Alexandro

Vita to.1. oper.

Sup. §. 34. Echard. ſum. p.213. 231.

VII. Polit. c.14. p.461

Sæcul XIII. A. C. 1260.

xandro IV. accitus Romam, sacroque palatio præfectus S. Joannis Evangelium ac Epistolas canonicas explicavit. In disputationibus contra Guilielmum de Sancto Amore magnam habuit partem. Tandem cum plures dignitates a Papa sibi oblatas renuisset, Episcopatum Ratisbonensem adeptus, vestem, non vivendi modum mutavit, sæpe de rebus divinis dicens ad populum, omnesque officii sui functiones ita peragens, ut sua prosequi studia suosque libros componere haud omitteret.

§. LXV.

Concilium Colonienſe.

to. XI conc. p. 781.

Hoc anno 1260 plura concilia celebrabantur. Conradus Archiepiscopus Colonienſis provinciam suam jussu Papæ recognoscens multa ibi vitia exemplum malum præbentia deprehendit: & Coloniam reversus ibidem concilium provinciale habuit, in quo disciplinæ causa quatuordecim canones pro Clero, & viginti octo pro monachis 12 Martii 1260 promulgari jussit. Notatu digniores habe!

c. 1.

Concubinos publicos judicamus Clericos non tantum eos, qui domi suæ concubinas tenent, sed & illos, qui eas alibi habitantes suis sumptibus alunt, & sustentant. Quos in recognitione nostra ut tales

les notavimus, ii ceſſabunt in poſterum a malo commercio ſuo, & in pœnam vitæ præteritæ carcerem canonicum intrabunt, ibi ſecundum diſciplinam hactenus obſervatam victuri! Pro reditibus ſuis tam male impenſis Eccleſiæ ſatisfacient: liberis ex libidine ſua natis teſtamento nihil relinquent, nec eorum nuptiis intererunt! Sæcul XIII. A.C.1260.

Clerici mercaturam non facient, alioqui easdem carceris, ac reſtitutionis pœnas ſubituri. Legere ſaltem canereque ſcient. c. 2.

Canonicorum Eccleſiæ, quæ dormitoria non habent, communibus impenſis aliqua conſtrui curabunt: & Canonici Eccleſiarum, quæ jam habent aliqua, ibi dormient, ut olim factum. Cantabunt cunctas vigilias pro mortuis fundorum largitoribus, quamvis denarios non legaverint in choro præſentibus diſtribuendos: deinde ſuum intrabunt ſenaculum, ſeu locum capituli, ubi martyrologium, necrologium & canones legentur. Sacerdotes ſacrum facturi ſupparum lineum ſub alba gerent, ne ſua toga ſacram hanc veſtem proxime contingat. c. 7.

Canonici haud ſæpe comedent dormientve extra eccleſiarum ſuarum ambitum: quem vocamus clauſtrum. Panem canonicum in natura ex communi piſtrino accipient, non annonam ad vendendum. c. 11.

Immunitatis ſuæ ſpatium muris circumdatum, c. 14.

Sæcul. XIII A. C. 1260.

datum, clauſtrisque validis munitum habebunt.

Sanctiones pro monachis indicio ſunt, diſciplinæ remiſſionem inter eos fuiſſe magnam. Quidam incontinentiæ nota laborabant; verberabant mutuo; rem propriam habebant ſaltem permiſſu Præſulis. Exibant crebro, & interdum ante primam, vel poſt completorium, ut vocant: aliqui ſub hoſpitalitatis ſpecie privatim comedebant. Abbates Benedictini quotannis ad feſtum S. Crucis exaltatæ diem Coloniam venire jubentur ibi comitia celebraturi. Monachi Abbati vel Priori ſuo ſacras confeſſiones ſuas feciſſe videntur.

c. 4. 19.
c. 6. 3. 11.
c. 9. 16.
c. 13. 15.
c. 20.
c. 2.

§. LXVI.

Concilium Conacenſe & alia.

Petrus Roncevallenſis Archiepiſcopus Burdigalenſis, qui nuper Geraldo ſucceſſerat, hoc anno 1260 Conaci concilium provinciale habuit, in quo 19 conſtitutiones fecit. Nemo profanus vigilet in templis ac cœmeteriis, ne facinora probroſa & violenta ibi, ut hactenus, perpetrentur, & illorum reconciliatione ſit opus. Ergo populus tunc officiis nocturnis aderat. Feſto Sanctorum Innocentium die nulla in templis ſaltatio fiat: nec ibi creentur Epiſcopi in Pontificiæ dignita-

to. XI. conc. p. 799.
c. 1.
c. 2.

Sæcul. XIII. A.C. 1260.

dignitatis ludibrium. Galli Gallinacei in ſcholis non inter ſe committantur ad pugnam. Sacrum Chriſma non detur præditis privilegio, qui Epiſcopis diœceſanis, quod iis debent, denegant. Parochi ob litterarum ſtudia vel alia de cauſa Epiſcopi permiſſu abſentes ſuum in locum aptos vicarios cum congrua portione ſubſtituant. Monaſteria, quæ habent jus deſignandi Parochos, ſimiliter Sacerdotibus, qui paroeciis ſerviunt, congruam aſſignent portionem, quæ ad minimum trecentos valeat ſolidos. Centum quinquaginta noſtræ monetæ libras conficiebant. Parochi alienas paroecias non conducant. Cadaver in locum ſepulturæ non deferatur, antequam ad templum parochiale pro more portatum ſit, quia ibi melius quam alibi conſtat, an mortuus interdicto vel anathemate multatus fuerit: & nemo corpus humandum ſuſcipiat, quod ipſi Parochus non tradiderit.

c. 7.
c. 9.
c. 10.
c. 11.
c. 13.
c. 15.
c. 16.

Pariſiis Dominica Paſſionis 21. Martii Rex S. Ludovicus congregatis Regni ſui Epiſcopis ac Proceribus indicavit apportatum ſibi per Papæ litteras nuncium, a Tartaris victos Saracenos, ſubactam Armeniam, Antiochiam, Tripolim, Damaſcum, Alepum, aliaque loca: Ptolemaidem, & quidquid Latini trans mare haberent reliquum, in periculo eſſe. Igitur in conventu Pariſienſi ſtatutum eſt, ut

Duchesne to.5. p.371. Conc. p.797.

Sæcul. XIII. A. C. 1260.

ut multiplicarentur preces, supplicationes publicæ fierent, punirentur blasphemiæ, mensarum ac vestium luxus inhiberetur, Ludi Circenses, cæterique præter arcus & balistæ exercitia in biennium vetarentur.

Sup. §. 54. *Haiton. c.* 24. *Jo. Vill. Vl. c.* 64. *Samuel. p.* 238.

Hi Tartarorum in Oriente progressus consistebant in occupata Bagdetia, cæterisque locis, quæ Hulacu-Canus bello acquisierat: & Christiani cis mare nimis creduli erant, dum Holaon seu Hulacus a fratre suo Mangu-Cano vitalibus aquis tincto Hierosolymam, ut captam Christianis redderet, missus dicebatur, & ab hoc proposito non nisi ob nunciatam Mangu-Cani mortem abstitisse, ut huic succederet, in Tartariam redire coactus.

ap. Rayn. n. 19.

Papa ipse cuidam Hungaro Joanni nomine, Hulacum fieri Christianum velle perhibenti credens Hulaco per litteras ea de re gratulatus animos addidit, exponens, quantas ei suppetias ad edomandos Saracenos Christiani armorum societate cum ipso inita ferre possent. Plenam vero fidem Hungaro non habuisse videtur, quia Patriarchæ Hierosolymitano scripsit, ut Hulaci Religionem indagatam ad ipsum referret. Itaque has spes evanuisse, & procedentes semper etiam in Europa Tartaros Poloniam Hungariamque impugnare audiens, statuit Viterbii anno proximo 1261. octavo a festo S. Petri

Stero. an. 1261.

Petri die Concilium celebrare: ad quod se paraturus Archiepiscopos in sua quemque provincia Concilium habere jussit. Sæcul. XIII. A.C. 1260.

§. LXVII.

Constitutio pro Græcis Cypriis.

Rub. Hist. Raven. l. 6. p. 435.

Interim Papa magnam fecit constitutionem ad dirimendas controversias, quæ Latinos inter ac Græcos Cyprios post illas, quas Papa Innocentius IV. composuerat, erant exortæ. Germanus Cypri Archiepiscopus Græcus cum tribus aliis Episcopis Græcis, ac Nicosiensis in eadem insula Archiepiscopi Latini Procuratores Romam delati coram Papa Alexandro suas postulationes ita proposuere. Germanus ita loquebatur: Vacante Cypri metropoli Episcopi Græci a Papa Innocentio antecessore tuo impetrarunt copiam eligendi Archiepiscopum non obstante decreto seu concilii generalis, seu Legati Petri Episcopi Albanensis. Cum me cooptassent, Cardinalis Episcopus Tusculanus tunc Legati munere in Cypro fungens, electione jussu Papæ confirmata, me per Suffraganeos meos consecrandum curavit. Tum obedientiam Ecclesiæ Romanæ præstandam ego quidem illi spopondi, mei vero Suffraganei mihi secundum Canones promisere.

Append. to XI. Conc. p. 2352. Rayn. n. 37.

Sup. lib. 83. §. 47.

In pacata dignitatis meæ possessione eram, cum Archiepiscopus Nicosiensis me

Sæul. XIII. Ac. C. 1260.

me ipsum coram se comparere jussit, ut responderem de certis punctis, de quibus in me volebat inquirere, quamvis nullam jurisdictionem habeat vel in me, qui filius Papæ jussa revereor, vel in Cyprios Græcos mihi subditos. Parere ut non debebam, ita nolui: sed ad te appellavi, tuo me commisi præsidio, tuos subiturus oculos iter feci. Tum Archiepiscopus Nicosiensis vicarios meos violenter abigere, Græcos, ut ab obedientia mihi debita averteret, divexare, sententias, quas in aliquos eorum juste pronunciaveram, rescindere, anathemata contra me promulgare, multos mihi sumptus & damna creare cœpit. Quapropter postulo, ut, quidquid hic Archiepiscopus adversum me fecit, tanquam temerariam juris alieni violationem abroges, impediasque, ne deinceps talia contra Græcos audeat. Hæc Archiepiscopus Græcus.

Papa rem commisit Cardinali Odoni Castro-Rodulphino Episcopo Tusculano, qui Pontificius in Cypro Legatus fuerat, coram quo Archiepiscopi Nicosiensis Procuratores non unam exceptionem proferebant, eum hanc ob causam nunquam accitum, se vero alia ob negotia missos esse causati. Nihilominus Cardinalis eos ad plenam defensionem adstrinxit per expressum Papæ mandatum, Archiepisco-

po

po Græco ſubtrahentis materiam de juſtitia denegata querendi. Illi proin afferebant, electionem Germani fuiſſe nullam; quia Epiſcopi Græci Archiepiſcopum eligendi jus non habuerint, &, cum eligerent, proſcripti fuiſſent: idcirco Nicoſienſis Archiepiſcopi tunc abſentis vicarios electioni refragatos eſſe. Præterea Papa Cæleſtinus III., addebant, qui ob Græcorum perfidiam Cyprum armis quærendam Latinis obtulit, quatuor ibi ſedes pontificias pro Latinis erexit, & hos in decimas cæteraque jura Græcorum Epiſcoporum ſuccedere juſſit. Sedem Nicoſienſem unam ex illis quatuor primatus authoritate donavit, ac totius inſulæ metropolim eſſe voluit. Dein Epiſcopus Albanenſis tanquam Legatus ſtatuit, ut Cyprus quatuor ſolum Epiſcopos Græcos numeraret, qui ſedes in diœceſibus Latinorum haberent, & Nicoſienſi Archiepiſcopo eſſent obnoxii. Unde conficitur, non poſſe alium dari Archiepiſcopum hac in inſula, quæ unica provincia eſt. Græcis eam eripuit Richardus I. Angliæ Rex an. 1191. & ad hoc tempus Cæleſtini Papæ conſtitutio referri debet.

Sæcul. XIII. A C. 1260.

Sup. lib. 74. §. 30.

Poſt hunc litis conteſtationem plurima utrimque objecta, plurima reſponſa fuere: puncta probanda litteris conſignabantur: moxque initio prævidere licuit, actionem longam fore. Quapropter Archie-

Sæcul. XIII. A.C. 1260.

chiepiſcopus Germanus orabat Papam, ut Eccleſiæ Græcæ inopiam reſpiciens ipſi ac ſociis præſcriptionem daret, ex qua cum Latinis ſub ditione Romanæ Eccleſiæ vivere in pace poſſent. Adhæc Papa conſiderabat, præcipuam diſſidii cauſam eſſe incertos limites jurisdictionis præter diſcrepantiam morum & rituum inter nationes diverſas. Igitur arbitratu potius quam ex ſeveritate juris ac ſecundum regularis actionis formulas dirimendam controverſiam ratus, ſententiam tulit, cujus hæc eſt ſumma.

In inſula Cypro deinceps quatuor duntaxat Græcorum Epiſcoporum ſedes erunt; prima Solis in diœceſi Nicoſienſi, altera Arſinoë in Paphienſi, tertia Carpaſii in Famaguſtana, quarta Leſcaræ in Limiſſana. Quoties harum ſedium Græcarum una vacabit, Clerus eliget Epiſcopum, cujus electionem Epiſcopus diœceſeos Latinus, ſi eam cenſebit Canonicam, ratam habebit, electumque per Epiſcopos viciniæ Græcos conſecrandum curabit: qui dein obedientiæ juramentum Epiſcopo Latino dicet. Verum damnatio, amotio, translatio, & abdicatio Græcorum Epiſcoporum Papæ reſervabitur ſecundum prærogativas Sedis Apoſtolicæ. Epiſcopus Latinus ex authoritate ſua Epiſcopum Græcis haud conſtituet, niſi hoc jure per eorum negligen-

gen-

gentiam ad se devoluto ex sanctione concilii generalis; ac ne tum quidem alium, quam Græcum illis præficiet. Episcopus Latinus nullam habebit jurisdictionem in diœcesanos Episcopi Græci, nisi quando Metropolitanus eam in diœcesanos Suffraganei sui exercebit. Sed causæ Latinum inter ac Græcum ad Episcopum Latinum deferentur. Episcopus Græcus ad Episcopum Latinum, & hic ad Archiepiscopum Nicesiensem vocabitur. Episcopus Græcus quotannis semel Episcopi Latini Synodo diœcesanæ intererit, ejusque decreta observabit. Inspectionem Episcopi patietur, eique tunc solvet pecuniam debitam pro ratione pretii eam ob causam secundum Græcorum inopiam designati. Decimæ pertinebunt ad Latinos, ac ex more colligentur, ita tamen, ut nemo se ab iis immunem afferat, cum sint de jure divino. Sic sonat constitutio. Sæcul.XIII. A.C.1260.

Quamvis Græci Cyprii Metropolitanum suæ nationis in posterum habere non debeant, volumus tamen, ut Germanus Archiepiscopali dignitate per vitam fruatur suam. Idcirco ejus personam de Archiepiscopi Nicosiensis potestate eximimus; & ut certam habeat sedem, illi Solensem assignamus, unde Nibonem Episcopum ad Arsinoensem modo vacuam trans-

Sæcul. XIII. A.C. 1260.

transferimus. Germanus etiam Episcopos Cypri Græcos, postquam eorum electionem Episcopi Latini confirmaverint, consecrare, & tanquam Metropolitanus disciplinæ causa recognoscere, dum vivet, poterit; pro Solensi tamen sede sua Latino Archiepiscopo Nicosiensi obedientiam jurabit. Hoc præscriptum ad Syros regno Cyprio adjunctos, quia eosdem cum Græcis ritus ac mores habent, extendimus. Datum Anagniæ 3. Jul. 1260. Sua nomina subscripsere octo Cardinales, qui tunc circa Papam erant; duo Episcopi, Odo Castro-Rodulphinus, Gallus, Episcopus Tusculanus, & Stephanus Hungarus, Archiepiscopus Strigoniensis, postea Episcopus Prænestinus; duo Cardinales Presbyteri, Joannes tit. S. Laurentii *in Lucina* natione Anglus, Ordinis Cistercienſis monachus, & Hugo a Sancto Charo natus Barcinoneti in Delphinatu, Ord. Præd. a suis in Codicem sacrum commentariis clarus, Cardinalis tit. S. Sabinæ. Cæteri quatuor erant Diaconi; Richardus Annibaldus nobilis Romanus Tit. S. Angeli; Octavianus Ubaldinus Florentinus Tit. S. Mariæ *in via lata;* Joannes Cajetanus de Ursinis Tit. S. Nicolai, & Ottobonus Fiescus Tit. S. Adriani.

Rayn. 1261 *n.* 7.

DISSER-

DISSERTATIO VI.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

§. I.

Origo expeditionum ſacrarum.

Bella ſacra per ſeculum XII. ac XIII. illuſtrem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem faciunt, ſuntque inter præcipuas mutatæ diſciplinæ cauſas. Illorum finem vidiſti: ſpectemus etiam eorundem principium & progreſſum: Expeditionum ſacrarum origo fuere peregrinationes in terram ſanctam poſt Conſtantini regimen, inventam Crucem & inſtaurata loca ſacra crebro ſuſceptæ. Hucitum toto ex orbe Chriſtiano pæne Imperii Romani finibus circumſcripto, cujus amplitu-

Hiſt. lib. XI. §. 32.

3. *Diſc.* §. 5.

plitudo facile reddebat iter etiam ex Gallia, Hiſpania, cæterisque regionibus remotiſſimis: & hæc libertas trecentos duravit annos, licet Occidentis Imperium corruerit; quoniam regna ex ejus fragmentis erecta barbaris quidem parebant, Chriſtianæ tamen addicta fidei, & Romanis frequentata permanſerant. Magnam illam mutationem non ante ſeptimum ſeculum fecere victores Arabes Muſulmanni a nobis religione, lingua, & moribus diverſi. Nihilominus, cum Religionis exercitium ſubjectis Chriſtianis liberum relinquerent, permittebant peregrinationes ac Hieroſolymam verſus ipſi faciebant, quam domum ſanctam vocabant, & in ſingulari veneratione habebant.

Hiſt. lib. 41. §. 10. Act. SS. Bened. to. 4. p. 502.

Pergebant igitur Occidentis Chriſtiani Muſulmannis ſubditi ſacra Palæſtinæ loca viſere, etſi ægrius quam antea: reſtantque nobis deſcripta quædam eorum itinera, ut illud Arculfi Epiſcopi Gallici ab Adamnano Abbate Hibernico relatum exeunte ſeculo ſeptimo. Hi peregrinatores conſpectam ſervitutem, qua preſſi gemebant Orientis Chriſtiani, ſuo in reditu triſtibus verbis depingentes exponebant, quam indigna res eſſet loca ſacra in poteſtate hoſtium Chriſtiani nominis videre: & multa tamen ſecula trans-

transierunt, antequam illos liberandi gratia conatus aliquis caperetur.

Verum est: Imperatores Græci fere semper cum Musulmannis bello erant impliciti, sed ut generatim fines suos defenderent potius, quam ut speciatim Hierosolymam caperent. Gothi, Galli, Longobardi, cæterique populi Occidentis domini diu inter se & contra Græcos bella gesserant. Postea cogebantur tueri se a Musulmannis, qui modicum intra tempus longissime progressi, Hispania, magnaque Galliæ parte occupata, in Sicilia posuere sedem, unde factis in Italiam excensionibus usque ad portas Romæ veniebant. Felices sibi videbantur, qui eos propulsabant: tantum aberat, ut bellum ultra maria in patrias ipsorum terras transferrent. Carolus Magnus tam potens, tantus bellator, tanto Religionis studio ardens, Saracenis arma non intulit nisi ad confinia Hispaniæ; eos in Oriente aggredi tam parum cogitans, ut fœdus semper & amicitiam foveret cum Califa Aaron, qui clavem ad sanctum Sepulchrum ipsi miserat in signum liberæ peregrinationis. Caroli Magni iter in terram sanctam est fabula post expeditiones sacras inventa.

Tandem senescente seculo undecimo Christiani Occidentis junxerunt vires ad communem contra fidei hostes expeditio-

nem, cujus author primarius fuerat Papa Gregorius VII. vir animosus, & vastis operibus designandis natus. Postquam de Christianis per ethnicos, ac præsertim per Turcas Seliucidas, qui nuper in Asia sedem fixerant, in Oriente oppressis tristes nuncios dolens acceperat, concitatis in illos Occidentis Principibus, de quinquaginta millium exercitum, de quo securus erat, in hostes, ut in quadam ad Imperatorem Henricum epistola testatur, ipse volebat ducere, cum negotia propria & magis urgentia hoc ejus propositum impedierunt, post viginti annos ab Urbano II. executioni mandatum. Harum expeditionum præludia dabantur: nam peregrinatores bene armati, magno numero & catervatim Terram sanctam adibant. Exemplum illustre sunt illi septies mille Germani, qui hoc iter an. 1064. facientes tam fortiter contra prædones Arabes se defendebant. Talis peregre euntium caterva erat parvus quidam exercitus, & sacri milites fuere solummodo peregrinatores congregati.

Hist. lib. 42. *§* 14. *Greg. l.* 2. *ep.* 31.

Hist. lib. 61. *§.* 12.

Præter præcipuas expeditionum sacrarum causas, quæ erant apertio viæ in Terram sanctam pro peregrinantibus, & Orientis Christianorum liberatio, non dubito, quin Gregorius & Urbanus Saracenos perpetuo ab Italia prohibere, ac

in Hiſpania enervare cogitaverint, ubi eorum vires reapſe poſt bella ſacra ſemper imminutæ ſunt. Denique Papa Urbanus in quodam ſermone ſuo alium magni momenti finem ſtrictim indicat; qui fuit extinctio bellorum peculiarium, quibus Occidentis Domini amplius ducentis annis continenter ſeſe mutuo petebant. Huc magis ſerviit militia ſacra, quam *Inducia Dei* pluribus a conciliis ſub annum 1040 ſancitæ pro ſuſpendendis per certos hebdomadis dies factis hoſtilibus. Illa in ethnicos convertit vires, quas Chriſtiani in ſuas ipſorum clades conſumebant: eadem Nobilium nervos incidit, illos ad immenſos ſumptus inducens: ſummis interim Principibus ferendo primas, authoritatem paulatim ſuam inſtaurantibus.

to 10. *conc.* *p.* 515. *D.* *Hiſt. lib.* 59. *§.* 28. 41.

Non video tunc quæſitum fuiſſe, an hoc bellum eſſet juſtum: omnes ad Ortum & Occaſum Chriſtiani æqualiter id pro certo ſumebant. Veruntamen religionis diſcrepantia non eſt ſufficiens belli cauſa: & S. Thomas ſeculo XIII, quo expeditiones ſacræ frequentes etiamnum erant, hunc in modum ſcripſit: Chriſtiani non debent ethnicos ad fidem amplectendam cogere, ſed impenſis viribus eos, quando poſſunt, impedire, ne religioni noceant, ſeu perſuaſionibus ſuis, ſeu vexationibus apertis. Unde Chriſtiani, pergit, ethnicis

2. 2. *q.* 10. *a.* 8.

cis sæpe arma inerunt, non ut eos compellant ad recte credendum, sed ut eos inhibeant, ne fidei obstaculum ponant. Hanc ob rationem Christiani Principes omni tempore crediderunt se habere jus protegendi Christianos exteros a Dominis oppressos. Ita Theodosius junior recusavit Persiæ Regi reddere Christianos Persas Romam profugos, eique bellum indixit, ut insectationem tolleret. Ex hoc genere fuit causa primæ expeditionis sacræ. Constantinopolitanus Imperator implorabat subsidium Latinorum contra formidabilem Turcarum Selinquidarum potentiam: & Orientis Christiani vehementius idem flagitabant per lamentabiles Patriarchæ Hierosolymitani litteras a Petro Eremita Urbano Papæ allatas.

Sotr. VII. hist c.18. Hist. lib.24. §.29. lib.64. §.31.

Fatendum etiam bona fide, ad suscipiendas expeditiones sacras multum feciſſe Christianorum alienationem a Musulmannis tanquam natione detestabili ac declaratis veræ religionis hostibus, suam ubivis terrarum per vim armorum instituere conantibus. Ne subditos quidem poterant assuefacere parendo sibi. S. Joannes Damascenus centum post annis, quam Imperium sibi vendicaverant, in eorum metropoli vivens Imperatorem Leonem Isaurum velut legitimum Principem suum alloquitur. Post annorum quin-

Hist. lib.42. §.19. Damasc. de Imag.or.2. n.12. to.7. conc. p.170. 175. Hist.lib. 44. §. 33.

quinquaginta ſpatium Orientis Patriarchæ in ſuis ad ſeptimum concilium generale epiſtolis pariter Imperatores Græcos agoſcunt Dominos ſuos, & Principes Muſulmannos vocant tyrannos execrabiles. Denique Chriſtiani Hiſpaniæ medio ſeculo nono eis necdum aſſueverant, ut cernitur in S. Eulogio Cordubenſi. Fateor, me non videre hic amplius primum Chriſtianiſmi ſpiritum, nec illam perfectam ſubmiſſionem erga Imperatores ethnicos per tria vexationum ſecula. Sed facta ſunt certa nimium: & Chriſtiani Principes Muſulmannos bello captos non ut ſimplices hoſtes tractabant: experti ſunt ii, quos Imperator Baſilius Macedo jugulari juſſit; & illi, quos morti addixere ſummi Pontifices Leo IV, Joannes VII, ac Benedictus VIII.

Eulog. memor.

Vita Baſil. n. 61. Anaſt. p. 14. Ditmar. p. 96.

§. II.

Plena noxarum venia.

Bellum ſacrum haud ſolus Papa Urbanus, ſed Concilium Claromontanum ſtatuit coëuntibus toto ex Occidente Epiſcopis ſupra ducentos collectum, cui tam perſuaſum fuit Deum id velle, ut hoc in militarem pugnam ineuntium clamorem abierit. Grandis machina provehendæ rei & adigendis ad motum populis idonea erat plena noxarum pœnarumque

condonatio tunc primum facta. Omni quidem tempore Ecclesia Episcoporum arbitrio reliquerat aliquam pœnæ canonicæ partem remittendam pro pœnitentis fervore cœterisque adjunctis: sed hactenus inauditum erat, fontem ob opus unicum expediri omnibus pœnis temporalibus, quas divinæ deberet justitiæ. Concilio numeroso, & cui Papa per se ipsum præsideret, plane opus erat ad authoritatem tali usitatæ pœnitentiæ mutationi dandam: & validæ hujus rationes haberi sine dubio credebantur. Amplius duobus seculis Episcopi reos pœnis canonicis difficillime subjiciebant: immo pro noxarum numero multiplicatæ dependi haud poterant: ideo inventa erat earum commutatio, ut integri anni paucis diebus redimi possent. A longo autem tempore inter commutationes pœnarum adhiberi solebant peregrinationes Romam, Compostellam, Hierosolymam: & militia sacra belli pericula adjungebat. Hoc igitur pœnitentiæ genus privata cujusque pœnitentis jejunia, preces ac eleemosynas exæquare, ac Ecclesiæ utilius, nec Deo minus gratum esse videbatur.

3. Dis. §. 3. hist. lib. 60. §. 52.

Noxarum venia stipendii locum tenebat apud milites sacros: nec video in primis itineribus pecuniæ collectam ad sustentandas has copias exactam fuisse.

Prima

Prima erat decima Saladinia ob tertiam expeditionem ſacram. Sed quia culparum condonatio non alebat corpora, cruce ſignati vel ſuis ſumptibus, vel ditium virorum beneficiis victuri credebantur. Tantaque in tam longum iter impenſa pro magna pœnitentiæ parte haberi debebat. Hilariter tamen etiam his conditionibus accepta eſt illa indulgentia.

Nobiles, quorum plerique multorum ſe criminum, & inter alia expilatorum pauperum Eccleſiarumque reos ſe agnoſcebant, ſe reputabant felices, quod tota pœnitentia ſua in ſolito ſuo artis militaris exercitio conſiſteret, haberentque ſpem obtinendæ martyrii gloriæ, ſi occumberent. Antea pœnitentiæ pars fuerat non gerere arma nec equum conſcendere: tunc utrumque non licitum modo ſed etiam imperatum erat; ita ut neutiquam vitæ genus, ſed ſola hujus cauſa mutaretur. Ordo Nobilium ſecum rapiebat plebem, ex qua plerique erant mancipia operibus ruſticis addicta, ſuisque Dominis prorſus obnoxia: & plurima eos ſequi hoc in itinere malebant ſine dubio, quam colendis domi artibus & agris occupata manere. Ita collecti ſunt immenſi exercitus illi, quos in hiſtoria vides. Quisquis ſalutem ſuam certam volebat reddere, ſola in terram ſanctam peregrinatione opus habere ſibi videbatur. *Hiſt. lib. 64. §. 11. 45. 46.*

Homines profanos ſequebantur Clerici, ſed alio fine; ſcilicet ut illis doctrinam, ſolatia, ſacramenta præberent; non ut ipſi redimerent pœnas ſuas. Nam ſecundum regulas veras pœnæ canonicæ non erant ſtatutæ pro Clericis. Siquando deliquerant, ex canone Apoſtolorum ſatis erat eos exauthorare, & in ſtatum laicorum redigere, non adjecta pœna alia, ne dupliciter caſtigarentur. Fortaſſe tamen ſeculo undecimo id non tam ſtricte obſervabatur, & Clerici, quos inter nimium multi erant ſontes, æque ac laici per hoc iter ſuas expiare noxas cupiebant. Illud certum eſt, quod ſibi licitum putaverint geſtare arma, & in hoc bello, cæterisque omnibus contra ethnicos adhibere. Vidiſti Epiſcopos Hungariæ armatos occurriſſe Tartaris, hoc regnum an. 1241 vaſtantibus. Seculi quinti Præſules non ſic agebant: Papa S. Leo, & S. Lupus Epiſcopus Trecenſis Attilam non niſi precibus & rationibus ſuis cohibuere: & qui barbarorum ſævitiam ſuavibus verbis coërcere non poterant, necari ſe patiebantur, ut S. Nicaſius Remenſis, & S. Privatus Gavaldanus; quorum agendi rationem Eccleſia ſic probabat, ut eos Martyribus annumeraret.

Can. 24.

Hiſt. lib. 81. §. 48.

Hiſt. lib. 28. §. 39. *lib.* 27. §. 49.

Martyr. 14. *Dec.* 21. *Aug.*

Ipſi monachi & Abbates ſacram iniere militiam, etſi hæc pietas eos plusquam cæteros a vitæ gradu divinitus ipſis aſſignato,

gnato, qui erat seceſſus & ſolitudo, removeret. Memoravi ſuo loco, S. Gregorium Nyſſenum ſolitario Cappadociæ homini ſe conſulenti iter Hieroſolymam verſus omnino diſſuaſiſſe, tametſi de ſimplici tantum peregrinatione ageretur. Legiſti, quomodo S. Bernardus Arnulpho Abbati Morimundano indutam ſacræ militiæ crucem exprobraverit; & qua conſtantia ipſe renuerit ſecundam expeditionem ſacram ducere: & tamen illi, quæ tempore Innocentii III. facta eſt, aliquos ejusdem Ciſtercienſium Ordinis Abbates interfuiſſe comperimus. Deerant officiis, quæ ipſa inſtituti ſui natura ab eis poſtulabat: eorum cœnobia non melius regebantur: & in reditu ſuo nec ipſi, nec monachi eos ſecuti majoris diſciplinæ ſpiritum referebant. Idem ſecundum proportionem de Epiſcopis eorumque Clero dixerim.

Greg. de Eunt. Hier. Hiſt. lib. 17. § 47.

S. Bern. ep. 7 Ep. 256.

Hiſt. lib. 69. §. 14.

Villehard.

§. III.

Errata in executione ſacræ militiæ.

Cum collecti exercitus ad primam expeditionem ſacram procederent, executio haud reſpondit Papæ Urbani & Concilii Claromontani intentionibus. Modica diſciplina in majore copiarum parte, minor in illis erat, quæ voluntariis ex militibus

militibus variarum gentium compositæ Duces habebant aliis non subjectos, nemine universalis imperii summam tenente, nisi forsitan Papæ Legato talibus copiis, in officio continendis parum idoneo. Quocirca factis hostilibus in terras ethnicorum minime dilatis, quacunque transibant, faciebant prædas & incendia apud Hungaros, Bulgaros, Græcos, quanquam Christianos omnes, cadebatque ferro, quisquis ipsorum vim reprimere volebat. Sic velitando amissis plurimis eorum numerus haud parum decreverat, cum in Asiam advenerunt. Imperator Alexius tunc temporis regnans, qui cum Roberto Guiscardo Apuliæ Duce dissidia magna suo damno habuerat, cum Boamundum ejus filium media in Græcia formidabilis exercitus Ducem videret, se perditum putavit, haud dubitans, quin hic creditus peregrinator ad ipsius coronam aspiraret. Unde non mirum, si cruce signatis pro viribus nocuit, & in virium supplementum fallacias pro suæ nationis genio contra eos adhibuit.

Nostros de statu regionis, quam impugnatum ibant, male informatos fuisse videmus ex gestorum relationibus, ubi locorum, populorum, Principum nomina vehementer deformata sunt. Non videntur certas tenuisse semitas: cogebantur sibi asciscere viarum duces ex indige-

nis,

nis, hoc est, fidei hostium se committere, a quibus saepe data opera in errores abducebantur, ut sine praelio perirent, sicut in altera expeditione factum. In primo itinere captas urbes varias, Niceam, Antiochiam, Edessam tuendi causa dividendo copias minuebant vires, quas universas expugnandae Hierosolymae, quae expeditionis scopus erat, reservare debebant. Sed diversi Duces privatos sibi fines praestituerant: & rerum gerendarum peritissimus inter omnes erat Normannus Boamundus, qui Antiochiam sibi petiit, & obtinuit, amplificandae fortunae suae, ut conjicere licet, quam promovendae religionis studiosior. *Hist. lib. 69. §. 28.*

Tandem Hierosolymam delati, obsessam occuparunt per miraculum: non enim humanae sed divinae virtuti tribuendus erat tam faustus tot inter obstacula eventus rei tam male gestae. Forsan hunc Deus quibusdam probis Equitibus dedit, hanc molitionem vero religionis spiritu aggressis, velut Godefrido Bullionio, cujus pietatem & candorem aeque ac fortitudinem coaevi laudant historici. *Hist. lib. 74. §. 66.* At Christiani hanc victoriam maculabant per modum, quo ea utebantur, dum trucidatis Muslmannis omnibus urbem cruore & cadaveribus replebant. Num ergo sperabant fore, ut eos delerent stirpitus, & abolerent hanc sectam una cum amplo

amplo illo Imperio ab Hiſpania usque ad Indias extenſo? Et qualem Chriſtianæ religionis ideam præbebant ethnicis? Non Evangelio magis fuiſſet conſentaneum leniter ac humaniter cum eis agere, & bello parta libertatemque peregrinationis ad loca ſancta firmando contentum eſſe? Talis moderatio ſtabiliſſet quietem veterum regionis Chriſtianorum, recentium advenarum dominationem reddidiſſet amabilem, & quosdam ethnicos Chriſto adjunxiſſet. Saladinus recepta Hieroſolyma aliam agendi rationem, quæ Chriſtianos melius decuiſſet, iniit, eisque patrum ſævitiam exprobrare perbene ſcivit.

Hiſt. lib. 74. §. 11.

Sed præterea quis fructus erat hujus expeditionis, quæ Europam omnem labefecerat exhauſeratque? Novum Hieroſolymæ regnum bono Godefrido delatum, quia id maximi Principes belli ſacri abnuerant, perſoluto voto ſuam quisque domum redire properantes. Vix autem hiſtoria exemplum dabit minoris regni, ſive temporis, quo duravit, ſive terræ ſpatium ſpectemus. Nam ultra octoginta annos haud ſtetit, ac præter Hieroſolymam tantum modo paucos circum eandem pagos comprehendebat. Hæc ipſa loca Muſulmanni incolebant vel Chriſtiani Francis parum benevoli. Sic novus Rex pro ſubditis ſolum habere poterat

terat modicas militum sacrorum reliquias, nimirum equites trecentos ac bis mille pedites. Vide, quo reciderit res per historicos ac poëtas tantis elata præconiis! Miriſſimum ſane, ejus conſervandæ aut inſtaurandæ propoſitum ducentos annos duraſſe.

§. IV.

Horum moliminum incitamenta.

Sed nempe ſummi Pontifices ac illi, qui eorum juſſu ſacræ militiæ claſſicum canebant, non ceſſabant Ordini Nobilium & populis eam proponere velut cauſam Dei, optimamque ſalutis in tuto collocandæ viam. Oportet, inquiebant, vindicare ignominiam Chriſto impoſitam, & terram, quæ hæreditas ejus eſt, quam proprii cruoris pretio acquiſitam populo promiſit ſuo, e manibus ethnicorum eripere. Suam pro vobis vitam poſuit: nonne par eſt, ut veſtram pro eo detis? Poteſtisne quieti veſtris in domibus hærere, dum hoſtes ejus ſanctiſſimum nomen linguis ſceleſtis violant; ejus templum & loca, quæ præſentia honoravit ſua, per abominandum Mahometis cultum profanant, inſultantque Chriſtianis, qui non audeant ipſos inde depellere? Quid reſpondebitis Deo in die judicii, quando gloriam ſuam deliciis privatisque com-

commodis veſtris poſthabitam, & tam facilem expiandi noxas, & martyrii coronam obtinendi modum deſpicatui ductum vobis exprobrabit? En ea, quæ ſummi Pontifices in epiſtolis ſuis, & ſacri Oratores in ſuggeſtibus verbis ad motum appoſitiſſimis efferebant.

Hodie, dum hanc ad materiam ſanguis non exæſtuat, & tranquillis eam mentibus conſideramus, his in ſermonibus nec ſoliditatem, nec accuratam ratiocinationem invenimus. Ulciſcenda Chriſti injuria dicebatur. Sed id, quod eum vere offendit, læditque, multo magis eſt vita corrupta pravorum Chriſtianorum, quales erant plerique cruce ſignati, quam profanatio rerum ſenſu carentium, ſacrarum illi domuum, locorumque nobis in memoriam revocantium ea, quæ pro nobis pertulit. Quantacunque veneratio his ſanctis locis debeatur, ejus religio his
Joan.4.v.21 affixa non eſt: ut ipſe declaravit, cum diceret, veniſſe tempus adorandi Deum non in Samaria, nec Hieroſolymæ, ſed ubique in ſpiritu ac veritate. Nempe ab hac adhæſione ad locum certum ac templum e materia factum Judæos avocaturus Hieroſolymam everti voluit, nec permiſit unquam, ut templum reædificaretur.

Dictum ambiguum eſt Palæſtinam vocare hæreditatem Domini, & terram populo

pulo ejus promiſſam. Enunciationes iſtæ in ſenſu proprio & litterario ſoli legi veteri conveniebant, nec novæ applicari poſſunt præterquam in ſenſu figurato. Hæreditas, quam Chriſtus ſuo ſibi ſanguine acquiſivit, eſt ejus Eccleſia cunctis ex gentibus collecta: & terra, quam huic ſpopondit, eſt patria cœleſtis. Debemus eſſe parati ad ponendam pro eo vitam: ſed hoc eſt ſufferre omnia vexationum ac tormentorum genera, mortemque ipſam potius, quam ab eo deſciſcere, & gratiam ejus perdere. Haud juſſit nos exponere vitam invadendo ethnicos armata manu: atque ſi martyres nuncupare licet illos, qui cum ethnicis pugnantes ceciderunt, id de bello ſolius religionis cauſa ſuſcepto eſt intelligendum. Ab eo tempore, quo Muſulmanni Palæſtina potiti ſunt, quingenti & plures anni abierant usque ad primam expeditionem ſacram: nec video, religioni Chriſtianæ generatim id gravi damno fuiſſe, aut eam poſtea floruiſſe pulchrius. Demum, quæ principibus viris bellum ſacrum non ineuntibus objecta ſunt, cadebant etiam in anteceſſores eorum, atque in reliquos Principes religionis ſtudioſiſſimos.

Altera expeditio ſacra ducibus Rege Ludovico Juniore ac Conrado Germaniæ Rege talem eventum habuit, ut S. Bernardus, qui eam populis ſuaſerat, de vi-

tuperiis ſibi per eandem accitis purgare ſe cogeretur. Exercitus Regis Conradi ſine prælio in Anatolia Græcorum proditione periit. An vero ſatis admirari poſſumus hujus Principis ſimplicitatem Imperatori Manueli fidentis poſt experientiam expeditionis primæ, quam avus ejus Alexius inanem reddere tentaverat? Hanc inter & illam nondum interceſſerant anni quinquaginta, eædemque diffidentiæ rationes aderant: Græci Latinos ad ſuum Imperium aſpirare ſemper putabant: & illud, quod poſt annos quinquaginta in quarta expeditione factum eſt, illorum ſuſpiciones nimium comprobavit.

Hiſt. lib. 69. §. 28. 29.

Hiſt. lib. 65. §. 45.

§. V.

Incommoda ex Conſtantinopolis expugnatione.

Loquor de illa, quam Galli per Venetos ad invadendam primum Zaram in Dalmatia ſitam, dein Conſtantinopolim, ut juvenem Imperatorem Alexium in ipſius ſedem reſtituerent, abrepti, ſub obtentu puniendæ perfidiæ a Murzufla hunc in Principem commiſſæ tandem effectam dederunt: hanc enim rationem eis proponebant Epiſcopi comites ſui affirmando, talium authores cædium nullum habere jus poſſidendi regna. Et Principes cruce

Villeh. n. 17.

cruce ſignati tam parum ſagaces erant, ut non viderent, quam periculoſæ conſecutiones ex hoc falſo principio contra ſe ipſos deduci poſſent. Papa Innocentius III. initio omnem impendit operam, ut eos a ſuſcepto conſilio dimoveret. Expoſuit eis, ipſos ſumpſiſſe arma contra ethnicos, non contra Chriſtianos; & ipſorum non eſſe ulciſci injurias Imperatori Iſaaco, aut filio ejus Alexio factas. Monitis cenſuras ſubjungens contumaces proſcripſit. *Hiſt. lib. 75. §. 51 Geſt. Inn. n. 89.*

At denique rei ſucceſſu captus, cum Latinos Conſtantinopoli potitos ſciret, Deum ab eis ſtare, idque ſic declaraſſe credidit. Duæ ſpecioſæ rationes eum decipiebant, facilitas ſubveniendi terræ ſanctæ, ac ſpes reducendi Græcos ad Romanam Eccleſiam. Erant, qui dicerent: Hi ſunt Græci, quorum perfidia & proditiones maxime obſtiterunt hactenus, ne bella ſacra bene ſuccederent. Quando eorum Imperium ſubegerimus, iter in Terram ſanctam facile ac tutum erit, cui propius ſemper propiusque ſuccurremus. Alii ajebant: Iſti ſunt ſchiſmatici obſtinati, Eccleſiæ filii per plura ſæcula rebelles, qui caſtigari merentur. Noſtrorum ſi armorum metus eos reducit ad officium: bene eſt: ſin minus: exterminari debent, ac regio Catholicis eſt frequentanda. Sed utraque ratiocinatio fallax erat: Conſtantinopolis expugnatio terræ ſanctæ jactu- *Hiſt. lib. 76. §. 13. Geſt. n. 94.*

ram creavit, & Græcorum ſchiſma immortale reddidit. Hæc oportet exponere.

Et primum quidem Conſtantinopolis conſervatio nova bellandi cauſa eſt facta, diviſitque vires ſuſtinendo in Syria bello jam impares præſertim poſt amiſſam Hieroſolymam. Interea milites ſacri adire Romaniam malebant, regionis propinquitate pariter ac bonitate allecti. Catervatim eo currebant; ibique brevi præter Imperium recentes conſpecti ſunt dominatus, ſcilicet quoddam regnum Theſſalonicenſe, ac quidam principatus Achæus. Ibidem novi etiam hoſtes præter Græcos impugnandi erant, Bulgari, Valachi, Comani, Hungari. Sic Latinis, qui ſedem in Romania poſuerant, domi ſuæ ſat occupatis non vacabat de terra ſancta cogitare. Inclamabant continenter auxilium, &, quotquot poterant, cruce ſignatos attrahebant. Sed irrito eorum omni conatu Conſtantinopoleos quam Hieroſolymæ poſſeſſio fragilior, nec annos ſexaginta penes Latinos fuit; & in mali cumulum tum per ſe, tum per bella, quæ ſuſcitavit, Imperium Græcum ita concuſſit, ut Turcis occaſionem daret, id poſt ducentos annos funditus evertendi. Schisma vero Græcorum ſempiternum effecit: tantum aberat, ut id tolleret; quod alibi monſtrare me poſſe credo.

§. VI.

§. VI.

Expeditiones ſacræ multiplicatæ.

Noxarum condonatio primum pro ſacris expeditionibus facta, cum ad Romaniæ Imperium adverſus Græcos ſchismaticos tuendum ampliata eſſet, brevi in bella omnia, quæ ad religionem magni ponderis eſſe videbantur, extenſa fuit. Summi Pontifices eandem faciebant Hiſpanis in Mauros euntibus, exterisque illos juvantibus. Et vero ſemper id erat Chriſtianos ethnicorum jugo liberare, horumque vires minuere. Hinc natæ ſunt victoriæ grandes Jacobi Arragoniæ ſanctique Ferdinandi Caſtiliæ Regum, tot arces, urbesque ac provincias occupantium, exempla tam glorioſa ita ſequentibus poſteris, ut denique Mauros ex omni Hiſpania exterminarent. Eodem tempore in Germania ſacrum canebatur bellicum contra ethnicos Boruſſiæ, Livoniæque ac vicinarum regionum, tum ne moleſtias novis Chriſtianis faceſſerent, tum ut ipſi tranſirent ad Chriſtum. Alii ſacrorum pugilum adverſarii erant hæretici, ut Albigenſes in Francia, in Germania Stadingi, cæterique. Demum collecti ſunt ſacræ crucis milites contra Principes in Eccleſiam rebelles, & ab ea proſcriptos, quales erant Imperator Frideri-

Hiſt. lib. 80. §. 43.

cus II, ac filius ejus Manfredus. Et quia ſummi Pontifices Eccleſiæ hoſtes vocabant omnes illos, quibuscum controverſiam habebant aliquam etiam temporalia ob commoda, contra hos ſacrum pariter bellum edicebant, ultimum ſuum adverſus Principes ſibi obſtantes perfugium.

Tam multæ vero expeditiones ſacræ officiebant ſibi mutuo: cruce ſignati tot diverſa in corpora diſperſi nihil magni præſtare poterant: & hæc fuit cauſa præcipua amiſſæ terræ ſanctæ. Hiſpani, Germanique noxarum veniam in patria, quam foris obtinere, Pontifices Maximi ſuum in Italia ſtatum temporalem, quam regnum Hieroſolymitanum conſervare, ac Fridericum Manfredumque, quam Sultanos Syrium ac Ægyptium peſſundare malebant. Sic ſubſidia, quæ in Oriente Chriſtiani expectabant, ducebantur alio, vel retardabantur; & expeditionum multitudo illam molitionem, quæ unicus earum ſcopus erat, irritam fecit. Immo etiam in contemptum eas adduxit: tantumque aberat, ut, qui eas e pulpitis ſuadebant, benevolis, ſicut antea, uterentur auribus, ut opus eſſet ſingulis auditoribus aliquot dierum annorumve indulgentiam polliceri.

Plenæ autem indulgentiæ extenſio etiam militiæ ſacræ obfuit. Primum illa promiſſa eſt iis, qui caperent arma,

Terram-

Terramque sanctam ipsi peterent. Deinde non illa privandi videbantur, qui, cum per se ipsos militare haud possent, ad bonum rei successum conferrent aliquid; senes, infirmi, fœminæ ad sustentandum sacræ crucis exercitum bonorum partem contribuentes. Tum ad omnes illos, qui ad sumptus belli sacri pecunias largirentur, ampliata est inita proportione summæ, quam darent seu in vita, seu per testamentum. Cruce signati propter obstaculum superveniens voto Superis reddendo impares hujus religione solvebantur ob similem stipem, & interdum sine gravi causa. Omnes hæ largitiones magnas pecuniarum summas conficiebant, tradebanturque Quæstoribus Pontificiis, seu Equites Templarii, seu Fratres Mendicantes, aliive fuerint, insimulati quandoque, quod hoc munere haud fideliter fungerentur.

§. VII.

Decimæ aliæque collectæ.

Verum hæ ultroneæ pensiones erant fortuitæ: ac experientia docuit, pecuniis certis opus esse ad alendos milites sacros, quorum pars major suis sumptibus militando non erat. Cum proin ad exactiones ventum esset, quia hujus belli scopus erat defensio religionis, sumptus e bonis Deo sacris, hoc est, e proventibus

ecclesiasticis petendi videbantur. Prima hujus generis collecta fuit decima Saladinia ob amissam Hierosolymam. Viri sapientes prævidebant consecutiones ejus: atque legisti, quanto robore Petrus Blesensis impugnaverit hanc rem novam libertati clericorum, bonorumque ecclesiasticorum immunitati tam noxiam. Revera ex hac tertia expeditione captum est exemplum in reliquis omnibus, sive ob terram sanctam, sive alia de causa susceptis: dum summi Pontifices de cunctis bonis ecclesiasticis statuendi jus sibi vendicantes, modo vigesimam, modo decimam, aut etiam quintam eorum partem a Clero tum ob bella sacra, tum propter peculiaria Ecclesiæ Romanæ negotia poscebant, Regesque suis rationibus consulentes in hujusmodi collectarum partem quandoque vocabant. Audivimus Cleri Gallici Anglicique hac de re querimonias.

Hist. lib. 74. §. 15.

Petr. epist. 1. 12.

§. VIII.

Negotia summorum Pontificum negotiis addita.

Hæ collectæ modica duntaxat pars fuere negotiorum temporalium Papæ sacris e bellis provenientium, quorum primus nunquam non motor erat: hæc enim bella, quanquam religionis studio facta,

facta, in executione a bellis aliis non discrepabant. Oportebat semper conducere copias, earum victui providere, eis Duces præficere, eas ad profectionem adigere, eis viam præscribere, ex quo tempore itineri marino committuntur, navibus imponendas curare, munire loca, eis annonam & instrumenta bellica immittere, cæteraque necessaria præparare. Papa erat is, qui molimina præfiniebat; qui statuebat de rebus bello partis; qui pacis aut induciarum fœdera habebat rata; & quia milites sacros ducere per se non poterat, semper in quovis exercitu erat Legatus quidam, plerumque Cardinalis, munitus potestate amplissima, & cunctis Ducibus præfectus, velut summus Imperator aliquis. Sed hanc ei authoritatem tribuens Papa non simul dexteritatem ad regendum exercitum dabat; nec raro Duces militares alia, quam ipse, belli exequendi consilia agitabant: unde dissidia inter eos, sicut inter Legatum Pelagium ac Regem Hierosolymitanum, enata sunt.

Sæpe accidebat, ut Princeps aliquis sacram amplexus militiam postquam se certo die profecturum juraverat, suum differret iter, seu per levitatem voti pœnitentia ductus, seu illi domi suæ res urgentiores supervenerint, velut subditorum seditio, aut propinqui Principis aggressio. *Hist. lib. 78. §. 15.*

Tum ad Papam debebat confugere, ut juramenti religione ſolveretur, ac prorogationem diei obtineret. Si Principis cruce ſignati rationes Papæ non probabantur, hic eccleſiaſticas ei cenſuras irrogabat. Talis fuit origo pervulgatæ inter Papam Gregorium IX. & Imperatorem Fridericum II. controverſiæ, quæ huic Principi, ejusque generi cladem accivit, Germaniam triginta annorum anarchiæ, Italiamque diſſidiis immerſit, e quibus ſe non erexit. Talis etiam fuit cauſa diſcordiæ inter Bonifacium VIII. ac Philippum pulchrum, in tam impotentes furoris impetus effuſæ, & cujus finis huic Papæ tam funeſtus fuit.

Hiſt. lib.78. §. 41.
Lib.79 §.36.

Princeps teſſeraria indutus cruce dicebat in his caſibus: Perſolvere votum meum cogito: ſed volo prius regnum meum ſecurum reddere, edomare rebelles ſubditos, vel iſtum Principem vicinum meum armis exuere, qui abſentiam meam in rem ſuam verteret. Papa reponebat: Bellum ſacrum eſt commune religionis negotium cunctis commodis peculiaribus anteponendum. Controverſias tuas mihi committe! Ut Judex vel arbiter, quod tuum eſt, addicam tibi. Tanquam cruce ſignatum Eccleſia Romana ſingulari te præſidio fovet. Quisquis in tua abſentis bona involaverit, eum declarabit hoſtem ſuum.

Recen-

Recentes in Oriente Domini, velut Rex Hierosolymæ, Princeps Antiochenus, Comes Tripolitanus summos Pontifices eo pluribus implicabant negotiis, quod eorum inter se dissensiones, & cum ethnicis agendi ratio ad conservandam Palæstinam proxime pertinerent. Adde causas Episcoporum Latinorum, qui sedes in his provinciis subactis posuerant! & agnosces, solam militiam sacram & consecutiones ejus summis Pontificibus plura creasse negotia, quam Principes maximi habeant. Et res terræ sanctæ ita illis curæ cordique erant, ut pluribus dolor de malo earum eventu vitam auferret.

§. IX.

Latinus Orientis Clerus.

Latinus in Oriente Clerus singularem meretur attentionem. Vidimus post expugnatam Antiochiam, Hierosolymam, cæterasque urbes mox ibi Patriarchas Episcoposque Latinos fuisse constitutos: idem Constantinopoli, cum capta esset, actum. Fateor, linguæ ac ritus diversitatem adegisse Latinos, ut peculiarem sibi Clerum instituerent. At nescio, an ita properandum, & adeo multiplicandi fuerint Episcopi pro Latinis, quorum tam parvus erat numerus. Nonne Patriarcha

Hist. lib. 64. §. 58. 67.

cha Hieroſolymitanus exempli gratia facile gubernaſſet Eccleſiam Bethlehemiticam tantum ſexies mille paſſibus diſtantem? Cruceſignati auxilio venerant veteribus provinciæ Chriſtianis Syris, Armenis, aliisve, qui cuncti ſuos habebant Epiſcopos longam per ſucceſſionem ſtabilitos. Interea noſtris in hiſtoriis modicam mentionem de his miſellis Chriſtianis ac eorum Epiſcopis invenio, niſi dum de Latinis conqueruntur. Sic per ſpeciem liberationis a jugo Muſulmannico nova illis ſervitus eſt impoſita.

Hi Epiſcopi Latini ante omnia curabant, ut ſuas Eccleſias temporalibus bonis bene inſtruerent, iisque pro more, quem eſſe cis mare noverant, ditiones, urbes, arcesque acquirerent; quas conſervare non minus ſtudebant. Vix etiam ſedes locaverant ſuas, cum magnas profanis cum Dominis contentiones habuere, veluti Hieroſolymæ Patriarcha cum Rege ob urbis dominium. Nec levius de jurisdictione ſpirituali diſceptabant tum inter ſe, tum cum Equitibus Ordinum militarium, privilegia ſua tuendi ſtudioſiſſimis. Ut omnes hæ lites dirimerentur, oportebat Romam confugere, quam Patriarchæ ipſi ſæpe adire per ſe cogebantur: quanta horum Præſulum a ſuis disjunctio! quanta acceſſio ad negotia ſummorum Pontificum! Sed quanta offenſio veterum

Hiſt. lib. 64. §. 67.

veterum Christianorum Orientis, ac ethnicorum!

Secundum spiritum Evangelii Latinus hic Clerus debebat operam præcipuam dare erudiendis corrigendisque militibus sacris, & formando quasi novo Christianismo, qui, quam posset, proxime accederet ad puritatem primorum seculorum, ethnicosque, quibus cincti erant, exemplo bono ad se attraheret. Deinde hic Clerus hæreticis schismaticisque Ecclesiæ reconciliandis ac ipsis ethnicis ad Christum adducendis impendere studium suum poterat: hæc erat ratio utilem reddendi militiam sacram. At noster Clerus Latinus nimium hebes erat, quam ut tam pura & tam magna agitaret consilia: qualis cis mare fuerat, talis erat in Palæstina, aut etiam rudior, corruptiorque testibus duobus Patriarchis Radulpho Antiocheno, & Arnulpho Hierosolymitano, cui agnomen erat Mala-Corona. *Hist. lib. 66. § 17. lib. 68. §. 53.*

Amissa Hierosolyma Patriarcha cum Rege Ptolemaidem profugus ibi sedem tenuit usque ad jacturam totius Palæstinæ: & quamvis tunc solum Patriarchæ titulum haberet, servabat hunc tamen merito, quamdiu recuperandæ Hierosolymæ spes erat. Idem agebant Patriarchæ Antiochenus & Constantinopolitanus, cæterique Græciæ ac Orientis Episcopi Latini. Sed postquam cessatum est a bellis

bellis ſacris, nec ſperari prudenter potuit, his Præſulibus Eccleſias ſuas reſtitutum iri, non amplius illis dandi ſucceſſores, nec hi vani tituli perpetuandi fuiſſe videntur, ac eo minus quidem, quia hic mos Græcos cæterosque ſchiſmaticos a reditu ad Eccleſiam magis ſemper magisque avocat Romanam curiam videntes plenam horum Epiſcoporum *in partibus*, munera cum dignitate ſua parum commenſa obeuntium.

§. X.

Ordines Militares.

Poſt Clerum conſideremus Ordines Militares, novum Religioſorum genus antiquitati incognitum. Usque ad ſeculum duodecimum ſatis habebatur armorum profeſſionem Chriſtianis permiſſam, nec ſaluti contrariam credere: at nemini venerat in mentem illam in ſtatum perfectionis vertere, eique tria vota, quæ vitæ religioſæ natura poſtulat, adjungere. Revera horum votorum obſervatio contra communes per vitam tentationes magnas cautiones exigit; ſolitudinem aut ſaltem receſſum peccati occaſiones vitandi gratia; collectionem mentis, meditationem veritatum æternarum, ac preces crebras ad conſequendam tranquillitatem animæ, cordisque puritatem. Sed per-

perquam difficile videtur hæc exercitia conjungere cum vita militari, quæ mera eſt actio, merusque motus, ac tentationibus periculoſiſſimis, aut ſaltem violentisſimis perturbationibus exponit animum.

Idcirco bellatoribus præ hominibus reliquis opus eſſet legendo, colloquendo, lectaque & audita conſiderando ingenium excolere. Quemadmodum illos natura animoſos & impavidos credo, bonus rationis uſus eis plusquam aliis eſt neceſſarius, ut ſuam bene impendant audaciam, & juſtos intra limites contineant. Generoſitas ſola brutos facit: ratio ſola non facit fortes: altera alterius ope indigent. Veteres autem Equites noſtri erant illiterati, ac plerique ne legere quidem ſciebant. Unde factum, ut communis Templariorum precatio in ſola præſentia ad officium a Clericis ſuis cantatum conſiſteret. Dubito, an præterea ſatis caverint a tentationibus, quæ ab uſu armorum abeſſe nequeunt; & an in præliis ipſis tam ſibi præſentes fuerint, ut nec ira, nec odio, nec vindictæ deſiderio, nec ulla animi motione humanitati & juſtitiæ contraria ſe abripi paterentur. Secundum veterem Eccleſiæ diſciplinam quoddam pœnitentiæ genus ſuadebatur iis, qui vel æquiſſimis in bellis quenquam occiderant: videmusque aliquas hujus diſcipli-

V. Platon. Rep. lib. 2. p. 375. edit. Serr. Reg. to. X. con. p. 923. Hiſt. lib. 86. §. 55.

S. Baſil. 1. ad Amph. c. 13. Hiſt lib. 48. §. 9.

disciplinæ reliquias post pugnam Fontaniacensem an. 841.

Crediderim, Templarios cæterosque Ordinum militarium Equites magna virtutis exempla edidisse in primo fervore suo. Sed fatendum est, hunc remisisse brevi, gravesque de illis querimonias ab exitu seculi XII. paulo post eorum institutionem jactatas esse. Cæperant privilegiis abuti suis, hæc infinite extendere, Episcopos, quorum legibus exempti erant, spernere, Papæ ipsi, nonnisi quantum libebat, obedire, pacta cum ethnicis confecta negligere, quandoque cum eis Christianos prodendi causa colludere, multi corruptam & mali exempli vitam ducere. Denique illorum crimina usque adeo creverunt, ut generale concilium Viennense eorundem institutum anteducentesimum hujus annum completum abolere cogeretur: & facinora, de quibus accusati fuere, tam atrocia sunt, ut sine horrore legi nequeant, ac ægerrime credantur, quanquam ex testimoniis fide dignis comperta.

Hist. lib. 73. §. 21. lib. 83. §. 18.

Quod ad Ordines militares, qui etiamnum existunt, attinet, Ecclesiæ, quæ illos approbavit, authoritatem, ac plurium cujusque corporis membrorum virtutem veneror: quosdam Equites Melitenses magnam perfectionem exercere nostra ætate vidimus. Sed cujusque conscientiæ

tiæ relinquo ſtatuendum, an vivat ut verus Religioſus, ac fideliter ſuam obſervet regulam. Illos primum, qui hoc vitæ genus amplectuntur, dein parentes, qui filios ſuos ad idem inducunt, precor, ut non ſine magna rei cognitione id faciant, nec aliorum exemplo ſe trahi patiantur; & attente coram Deo conſiderent, quænam onera huic ſtatui ſint annexa ex intentione Eccleſiæ, non ſecundum diſciplinæ remiſſionem, quam tolerat; ac præcipue, quibus ex rationibus huic Ordini dent nomen, an ut æternæ ſaluti ſuæ conſulant, & ad Chriſtianam perfectionem tendant, vel ut temporalia Ordinis bona participent, ac equeſtria obtineant beneficia: nam ſumma perverſitas eſt paupertatis votum nuncupare tanquam viam ſuo tempore acquirendi divitias.

§. XI.

Pœnitentiæ intermiſſio.

Ex omnibus expeditionum ſacrarum conſecutionibus pernicioſiſſima religioni fuit ceſſatio pœnitentiæ canonicæ. Ceſſatio, inquam, non abrogatio: nam nullius unquam Papæ vel concilii conſtitutio illam expreſſe abolevit: nec ulla, quam ſciam, deliberatio unquam hac de materia fuit inita: nunquam dictum eſt: Poſtquam veteris diſciplinæ hujus ratio-

nes ac effectus, quos, quamdiu exercita est, produxit, sedulo examinavimus, in ea plus inconvenientiæ quam utilitatis invenientes, bene perpensis omnibus rei momentis satius esse duximus pœnitentiam deinceps arcanorum Judicum arbitrio relinquere. Nihil simile per totam historiæ seriem legi. Pœnitentia Canonica sensim sine sensu defluxit per imbecillitatem Episcoporum, ac duritatem fontium, per negligentiam, per ignorantiam: sed ictum fatalem, ut sic loquar, accepit per indulgentiam ob bella sacra concessam.

Hist. lib. 69. §. 14. Scio hanc intentionem non fuisse Urbani Papæ conciliique Cleromontani. Credebant de eadem fidelia duos dealbari parietes; liberari loca sancta, & facilem reddi pœnitentiam reis innumeris eam alioqui nunquam acturis. Hoc expresse S. Bernardus, hoc Papa Innocentius III. dixit: & ambo diserte extollunt bonitatem Dei ipsorum tempore hanc hominibus dantis occasionem resipiscendi, & hanc novam suæ justitiæ satisfaciendi viam. At metuo, ut satis expensæ fuerint solidæ rationes antiquorum Canonum pœnitentiæ tempus ac exercitia præscribentium. Sancti illorum authores non modo reos punire, sed præcipue se de horum reditu in viam rectam securos reddere, novosque eorum lapsus præcavere volebant. Itaque primum sejuncti a Chri-

Ep. 365. *al.* 312. *Innoc. III. lib.* 16. *ep.* 28.

v. 2. *Diss.* §. 8.

Christianis reliquis per totum pœnitentiæ suæ tempus inclusi tenebantur, nisi quando in templo ad preces communes informationesque debebant assistere. Sic remotis peccandi occasionibus hoc in secessu collectio animi pœnitentibus commoditatem ac spatium dabat serio considerandi atrocitatem peccati, severitatem divinæ justitiæ, pœnas æternas, cæterasque veritates terribiles, quas Sacerdotes eorum curam gerentes ipsis ob oculos ponebant, ut verum de peccatis dolorem elicerent. Dein solatia eis, animosque addebant & paulatim eos confirmabant in proposito peccatum perpetuo fugiendi novamque ducendi vitam.

Octavo demum seculo in satisfactionis locum peregrinationes suffectæ sunt, quæ per evagationes mentium & relabendi occasiones pœnitentiam evertere cœperunt. Attamen hæ privatæ profectiones haud paulo minus periculum creabant, quam expeditiones sacræ. Pœnitens cum solus aut cum alio pœnitente iter faceret, certam tenere regulam, jejunium, vel saltem frugalitatem colere, silentio & colligendo animo suas dare horas, canere Psalmos, se piis cogitationibus occupare, boni exempli colloquia habere poterat. Sed hæc pietatis exercitia non conveniebant copiis in exercitum congregatis. E contrario sacri

Morin. lib. 7. c. 15.

Hist. lib. 69. §. 11. *Eug. III. ep.* 1. *t.* X. *Conc. p.* 1047.

pugiles, saltem aliqui, relaxabant animos, canesque ac volucres habebant secum, ut inter viam venationi darent operam: sicut docet ejus inhibitio facta in secunda expeditione sacra.

Erant, ut ita loquar, peccatores omnino crudi, qui sine conversione cordis ad Deum, sine præparatione, excepta forsitan confessione tepida, ut noxas suas expiarent, se novas committendi occasionibus periculosissimis expositum ibant. Viri ex hominibus compertissimæ virtutis selecti in ejusmodi profectionibus ægre mores servassent suos. Verum est, quosdam ibi serio sese parasse ad mortem solvendo debita, restituendo bona male parta, læsis omnibus faciendo satis. Sed fatendum pariter, militiam sacram servisse hominibus obæratis ad prætexendam causam non expungendi nomina, sacinorosis ad evitandas criminum suorum pœnas, monachis disciplinæ impatientibus ad relinquenda sua cœnobia, fœminis profligatissimis ad continuandam liberius incontinentiam: nam aliquæ comitabantur has copias, & nonnullæ virili sub vestitu. Ut legisti in exercitu ipsius S. Ludovici, in castrensi ejus parte ac prope tentoria ejus deprehensa est officina nequitiæ, quæ Regem cogebat severitatis exemplum statuere. Poëta illius temporis descripsit historiam Castellani Judicis Cociacensis, qui

Joinv. p. 22.

Joinv. p. 23.

Fauchet Poete Fr. n. 2. *f.* 17.

qui ad bellum ſacrum abiit deperiens uxorem nobilis in vicinia viri, hoc eſt, adulterium in corde gerens: atque in via morti proximus amicum, ut ipſius cor aromatis contra tabem munitum memoratæ Dominæ afferret, oravit, & obtinuit. Non ibi digni pœnitentiæ fructus dabantur?

Cruce ſignati, qui poſt captam Hieroſolymam in Oriente conſederant, vitam ſuam non ſolum non emendabant, verum etiam corrumpebant magis. Calore climatis, & indigenarum exemplo molles redditi nullas ſibi denegabant delicias, præſertim fertilioribus in locis, velut in Valle Damaſci tam amœna. Eorum filii a moribus avorum longius abeuntes novam formarunt nationem Pullorum equinorum nomine merisque vitiis inſignem. En honorem, qui redundavit in Chriſtum e bellis ſacris tam ſumtuoſis. *Jac. Vier. hiſt. Or. l. 1. c. 72.* *Cang. gloſſ. Pullani.*

Denique Hieroſolymam & Palæſtinam ethnici ſuæ rurſum ditionis fecere: ac expeditiones ſacræ quadringentis abhinc annis ceſſarunt: at pœnitentia canonica in uſum non rediit. Quamdiu bella durabant ſacra, tenebant pœnitentiæ locum non modo apud ſacros milites voluntarios, ſed & apud omnes magnorum reos criminum, quos Epiſcopi non abſolvebant niſi ea lege, ut certo tempo-

re in Terra ſancta per ſe militarent, vel armatorum numerum ſuis ſumptibus ibi alerent. Igitur poſt finem militiæ ſacræ pœnitentia vetus reducenda in uſum videbatur: ſed iſto per ducentos minimum annos interrupto facta eſt arbitraria. Epiſcopi Sacramentorum adminiſtrationis capita ſingula vix expendebant amplius; illorum miniſtri creberrimi erant Fratres Mendicantes: & hi transeuntes Miſſionarii directionem pœnitentis, ut ejus firmitatem in vita nova progreſſusque, ſicut Paſtores proprii alias fecerant, examinarent, diu proſequi haud poterant, cum ſontes brevi expedire cogerentur, ut venirent ad alios.

Morin. X. pœnit. c. 25. 26.

Præterea Theologia de moribus agens, ut reliqua, per ratiocinationes potius, quam per teſtimonia tradebatur in ſcholis: atque de rebus omnibus usque ad veritates clariſſimas in contrarias partes diſputabatur. Unde venerunt tot deciſiones de moribus non tantum ab Evangelii puritate, verum etiam a ſane ratione alieniſſimæ. Nam quo non abit, qui his in materiis omnem ratiocinandi libertatem ſibi tribuit? Hujus autem ſcientiæ Profeſſores indicandis noxarum generibus quam remediis ſe impendere maluerunt. Occuparunt ſe maxime decernendo, quid inter peccata mortifera ſit numerandum, & diſtinctionis gratia ſtatuen-

tuendo, cuinam virtuti quodque peccatum sit contrarium, justitiæne, an prudentiæ, aut temperantiæ? Studuerunt peccata minuere, purgareque actiones plurimas, quas veteres viri minus subtiles sed magis candidi criminosas reputabant.

Prisca disciplina per sui neglectum ac omissionem oblitterata in animis est, ita ut nemo jam audeat de illius instauratione loqui. Attamen S. Carolus Catholicæ fidei eximius sane cultor animarum arbitros per excerptos Canones antiquos docuit pœnitentiam, quantum fieri posset, cum peccatis commetiri. Denique Concilium Tridentinum illis, qui per peccata sua malo fuissent exemplo, pœnitentiam jussit publicam imponi, cujus condonandæ copiam solis Episcopis, quoties id æquum censerent, fecit. *Sess. 24. Ref. c. 8.*

§. XII.

Expeditiones sacræ ad septem Triones.

Inter scopos expeditionum sacrarum fuisse ethnicorum Livoniæ, Borussiæ, cæterarumque regionum Septentrionalium conversionem ad Christi fidem in transitu notavi: quæ res considerationes meretur singulares. Has conversiones per *Hist. lib. 74. §. 6. l. 77. §. 19.*

fervorem quorundam monachorum Ciſtercienſium cœptas continuarunt Fratres Prædicatores: ac usque eo nihil Evangelio magis fuit conſentaneum. Ut autem hi populi natura ferociſſimi erant, illi, qui maximo numero permanſerant ethnici, ſæpe inſultabant novis Chriſtianis, qui ſe defendebant armatis manibus, utentes naturali jure arcendi vim, & Germanos, Polonos, cæterosque Chriſtianos veteres ex vicinia in auxilium vocabant. Hæc adhuc omnia intra limites æquitatis continebantur ſecundum doctrinam S. Thomæ, quam jam attuli. Ea bellandi cauſa tam legitima videbatur, ut eam melius tuendi gratia inſtituerentur Ordines militares Equitum Chriſti & Fratrum Gladii poſtea cum Equitibus Teutonicis conjunctorum. Summi Pontifices militiam ſacram extenderunt ad iſtud de Religione bellum, eandemque pro eo indulgentiam conceſſerunt, quam pro ſubſidio Terræ ſanctæ lato largiti fuerant.

2. 2. q. 10. a. 8. *in corp.* *Sup.* §. 1.

Hiſt. lib. 76. §. 30.

Verum hi ſacri pugiles ſimplice ſui defenſione haud diu contenti ſæpe invadebant ethnicos: & quando palmam retulerant, primam victis conditionem imponebant, ut receptis, a quibus informarentur, Sacerdotibus fonte ſalutis tincti templa exſtruerent. Cum dein pacem turbaſſent, ut crebro accidebat, rebel-

rebelles ac Religionis desertores vocati, hoc nomine videbantur merito compelli posse ad id præstandum, quod semel promisissent; qua in re adhuc S. Thomæ doctrina observabatur. Talis erat his magnis in provinciis fidei propagatio: Et fatendum, eam non fuisse novam. Tempore Caroli Magni non erat nulla vis illata Saxonibus Christo adjungendis: & inter tam crebras eorum seditiones frequentissima veniam impetrandi via erat baptismi acceptio. *Ibid.* *Hist. lib. 44. §. 45.*

At S. Thomas post totam antiquitatem perbene demonstrat, ethnicos quamvis domitos captosque bello non esse cogendos ad amplectendam fidem. Libenter autem hunc sanctum Doctorem huc adduco, quia nobis optimus est testis doctrinæ sui temporis. Igitur ad mentem S. Augustini, cujus sententiam affert, dicit, neminem posse credere, nisi velit, & voluntatem haud cogi: unde conficitur, externam Christianismi professionem nihil prodesse sine persuasione interna. Nam Christus dixit: Ite, docete, baptizate! Et: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Atque S. Paulus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo non licet adultos aqua vitali abluere nisi satis informatos, ac postquam exploratum, & quantum humano modo fieri potest, com- *Ibid.* *Matth. 28. v. 9. Marc. 16. v. 61. Rom. 10. v. 10.*

pertum fuerit, eos convictos secundum doctrinam, ac emendatos esse secundum mores. Hinc venerat sancta illa antiquitatis disciplina, qua sanæ Religionis candidati per tot institutiones & tam longa experimenta sacrum ad fontem præparabantur.

At quomodo erudiri aut tentari poterant Livones, Borussi, Curones, qui postridie, quam prælio superati fuerant, turmatim veniebant, petebantque baptisma, ut necem aut servitutem effugerent? Et vero, quando jugum victorum excutere poterant, ad priorem vitam ac veteres superstitiones suas reversi, abigebant, vel necabant Sacerdotes, ac templa subruebant. Plura rei exempla vidisti. Ejusmodi homines promissa & juramenta parum tangunt, quorum vim & consecutiones haud capiunt: præsentia tantum eos movent. Hæc forsitan causa est facilitatis, qua hi populi se passi sunt abripi postremas in hæreses: religio nunquam apud eos satis solida fundamenta habuerat. Huic exemplo jungo recentius Maurorum in Hispania.

§. XIII.

§. XIII.

Expeditionum ſacrarum commoda temporalia.

Ad bella ſacra harum regionum ſeptentrionalium ut redeam, metuo, ne utilitas temporalis parem aut majorem partem quam Religionis ſtudium ibi habuerit. Nam ſummi Pontifices Equitibus Teutonicis dominatum dederant ſummamque poteſtatem in omnes terras, quas ethnicis poſſent adimere. Non hic examino, quodnam in eas jus Papa poſſederit, aut quæ neceſſitas preſſerit Equites, ut his ille, quæ armis acquirerent, adjudicaret. Factum duntaxat obſervo, dicoque, timendum eſſe, ne hi Equites ſuæ dominationis incrementum potius quam fidei propagationem quæſierint. Credo facile, Religioſos, qui ſacram ſuadebant militiam, ac neophytos erudiebant, rectam intentionem fervoremque ſincerum habuiſſe. Sed graves lego querelas de Equitibus, qui hos novos Chriſtianos ad quandam ſervitutem redigendo reliquos ab amplectenda fide avertebant, ita ut per arma ſua obeſſent Religioni, pro qua ea ſumpſerant. Vide inter alia præſcriptum Legati Jacobi Pantaleonis An. 1349. editum. Terræ ſic ethni-

Hiſt. lib. 80. §. 2.

Lib. 81. §. 2.

ethnicis ereptæ Boruſſici tandem ac Curonici Ducatus titulum obtinuere.

Hiſt. lib. 83. §. 1. Etiam expeditiones pro terra ſancta progreſſu temporis in negotia temporalia degenerarunt, quibus Religionis cauſa ſolum prætexebatur. Illæ præter regna & principatus armis comparatos produxerunt effectus minus ſplendidos, ſed ſolidiores, ſcilicet incrementa navigationis & commercii, quæ Venetias, Genuam, cæterasque Italiæ urbes maritimas fortunis cumularunt. Expeditionum primarum experientia oſtendit incommoda terreſtris itineris quingentarum ſexcentarumve leucarum, quas vocant, occupandæ Conſtantinopolis & Anatoliæ gratia. Suſceptum eſt iter marinum multo brevius: & ſacri milites pro ratione regionis, e qua veniebant, in Provincia ſeu Saluviorum agro, in Catalonia in Italia, vel in Sicilia naves conſcenderunt. In cunctis portubus navium & apparatus copia opus erat ad devehendos tot homines ac equos cum inſtrumentis bellicis & commeatu. Sic navigatione maris Mediterranei, quod Græci & Arabes per multa ſecula poſſidebant, potiti ſunt Franci, quibus victricia ſacrorum militum arma tutam reddiderant libertatem commercii, quantum ad Græciæ, Syriæ, ac Ægypti, &, quod conſequi-

sequitur, Indiæ merces attinebat, quæ in Europam per alias vias nondum advehebantur. Hac ratione divitiis auctæ creverunt potentes Respublicæ Veneta, Genuensis, Pisana, & Florentina. Nam præter portus florentes urbium artes ac opificia amplificabant commercium.

Gesta Dei per Francos.

Non autem dubito, quin tam grande lucrum ad continuandas expeditiones sacras servierit: quod demonstratum credo in Veneti Sanuti opere, cui titulus: *Arcana fidelium Crucis:* ubi tantopere studet persuadere Papæ Joanni XXII. curandam Terræ sanctæ recuperationem: hæc enim nondum desperabatur, etsi reapse nulla amplius expeditio sacra illuc susceptа fuerit. Etiam privata commoda consideratu digna erant ob grandia sacrorum pugilum privilegia. Gaudebant Ecclesiæ præsidio, securi a vexationibus creditorum (qui nihil ab eis usque ad ipsorum reditum postulare poterant) & liberi ab usuris. Erant velut homines sacri: in anathema latæ sententiæ incurrebat, quisquis vel ipsos, vel eorum bona invadebat. Et quia nonnulli hac immunitate sua ad retinendum bonum alienum, ad quærendam criminum suorum impunitatem, vel ad committenda nova abutebantur, his malis meden-

Hist. lib. 77. §. 17.

Hist. lib. 80. §. 4. 59.

medendi neceſſitatem pluribus conciliis imponebant.

Ultimum bellum ſacrum executioni datum erat illud, in quo S. Ludovicus ad Deum exceſſit, & cujus modicum effectum videbimus. At non propterea omiſſæ ſunt hæ molitiones etiam poſt Palæſtinæ jacturam, quæ viginti poſt annis contigit. Per totum reliquum ſeculum XIII, & decimi quarti partem magnam continuatæ ſunt exhortationes ad ſtudium recipiendæ terræ ſanctæ, & ad decimas hunc in finem aut hoc ſub obtentu colligendas, quæ in alia bella ſecundum deſtinationem ſummorum Pontificum & Principum authoritatem inſumebantur. Amplius eſt ſeculo, quod hic error ſit depoſitus: ac de bello ethnicis inferendo nulla jam mentio fit præterquam in votis quorundam authorum Religionis ſtudio magis quam ſapientia inſignium, & in prædictionibus poëtarum Principibus adulantium. Homines prudentes atque per experientiam præteritorum & per rationes hac in diſſertatione tactas eruditi facile vident, his in molitionibus ſecundum temporalia æque ac ſpiritualia plus damni quam compendii factum eſſe.

§. XIV.

§. XIV.

Quod præstet ethnicos Christo adjungere.

Hac ultima in consideratione, quæ meum ad institutum pertinet, subsistens, assero, Christianis ethnicos non pessundandos, sed ad Christum adducendos esse. Cum is diceret se venisse bel- *Matth.* 10. lum in terra commovendi gratia, tam *v.* 34. *Luc.* contextus sermonis illius, quam ejus di- 12. *v.* 51. scipulorum agendi ratio docet, ipsum non voluisse loqui nisi de tumultu, quem cælestis doctrina sua suscitaret, & in quo tota violentia foret ex parte suorum hostium, suique sectatores non magis resisterent, quam correptæ a lupis oves. Vera religio conservari promoverique de- *Matth.* 10. bet iisdem adminiculis, quibus introdu- *v.* 16. *Luc.* cta fuit, verbi divini præconio circum- 10. *v.* 3. spectioni ac prudentiæ juncto, virtutum omnium exercitatione, ac præcipue patientia infinita. Quando Deo placebit, eis donum miraculorum addere, progressus erit celerior. Machiavellus negans *Mach. Prin-* Prophetas inermes unquam effeciisse ali- *cip. c.* 6. quid, impietatem pariter & ignorantiam prodit suam, cum Christus omnium minime armatus sit ille, cujus victoriæ rapidis-

pidiſſimæ ſimul ac ſolidiſſimæ fuere. Victorias tales dico, quales volebat occupans corda, mutans interius homines, ac ex malis bonos faciens: quod nullus alius populorum domitor unquam præſtitit.

Bellum exteriores tantum effectus gignit, cogitque victos victoris arbitrio ſe ſubmittere, ei tributa pendere, ejus mandata perficere. In materia Religionis Princeps pleniſſimo jure imperans poteſt exercitium publicum illius, quam improbat, impedire, ac ſuæ ceremonias externas exercendas curare; hoc eſt, punire illos, qui ſe hac in re ad ejus imperia non conformant. Nam ſi pœnas temporales ſpernunt, nihil ei ſupereſt: in voluntates directam poteſtatem nullam habet.

Oportet etiam deponere opinionem per multa ſecula nimium inveteratam, religionem in locis, ubi dominari & per poteſtatem profanam defendi deſierit, amiſſam eſſe, ut Chriſtianismum in Græcia & Anatolia, ut fidem Catholicam in provinciis Septentrionalibus. Contra hunc errorem præmunire nos ſine dubio voluit Deus, dum Chriſtianismum ſub dominatu paganorum formavit firmavitque per integra tria ſecula vexationes inter

ter ac oppreſſiones crudeliſſimas; certiſſimo argumento, Eccleſiam ſuam haud egere præſidio hominum, a ſe ſolo fulciri, ac terræ Principum oppoſitu ſtabiliorem purioremque fieri. Vide, quid hac ſuper re S. Hilarius contra Auxentium dicat! *Hiſt. lib.* 16. §. 2.

§. XV.

Muſulmannos ad Chriſtum adduci poſſe.

Igitur, quod dixi, repeto: non armis & violentia minuere ſectas falſas, religionemque veram propagare, nec ethnicos, ſed ethniciſmum fas eſt evertere conſervando homines, & ab erroribus ſuis abducendo: paucis; unica via eſt perſuaſio transitionis ad Chriſtum. Plerosque, ſcio, tenet opinio Muſulmannos haud poſſe ad Chriſtum converti: & ideo Miſſionarii ferventiſſimi eos prætereunt, ut Indis ac Sinis Evangelium promulgent. At vereor, ut hæc mentium anteoccupatio ſat firmis nitatur fundamentis. Chriſtus diſcipulos ſuos adire gentes omnes atque docere jubens excepit nullam; veteraque oracula, quæ univerſas nationes Chriſto adjunctum iri tam crebro, & tam clare indicant, nul-

lam earum distinctionem faciunt. Fierine potuit, ut tot & tam varii populi sub Mahometis sectam collecti, tantam orbis cogniti partem occupantes ab his promissis magnificis soli excluderentur?

Hi non sunt barbari, vagique ac dispersi, quales erant veteres Scythæ, ac hodie sunt immites Americæ incolæ; sed vivunt in societate sub certis legibus, colendis agris, artibus, ac mercaturæ dant operam, usumque litterarum habent. Nec nullum Deum, nec idola colunt: e contrario multa principia eorum sectæ quantumvis falsæ cum vera Religione communia sunt, per quæ videntur ad istam facilius perduci posse. Credunt unicum esse Deum infinite potentem, rerum omnium creatorem, justum pariter ac misericordem. A cultu plurium Deorum & falsorum numinum maxime abhorrent. Credunt immortalitatem animæ, judicium extremum, Beatorum sedes sempiternas, ac inferorum carcerem, Angelos malos, bonosque; immo etiam custodes hominum. Cognoscunt diluvium universale. Patriarcham Abrahamum honorant ut patrem suum & primum suæ Religionis authorem. Moysem ac JEsum Christum pro magnis Prophetis a Deo missis; legem

gem ac Evangelium pro libris divinis habent. Ad Religionis exercitia quod ſpectat, quinquies per diem certis horis præſcriptas fundunt preces. Aliquem inter dies hebdomadis feſtum agunt. Quotannis per menſem colunt jejunium. Conveniunt ad precandum audiendasque Doctorum ſuorum informationes. Magnopere commendant ſtipem. Orant pro mortuis. Peregrinationes obeunt.

At enim ſub pœnis ſeveriſſimis interdicunt, nequis Muſulmannis Religionem mutandam ſuadeat; & quisquis vel unum inde avertiſſet, eum certo certius interimerent. Audio, quid dicas. Sed an ſub Decio ac Diocletiano minori quam vitæ pretio conſtabat non ſolum ethnicos ad Chriſtum convertere, verum ſimpliciter eſſe Chriſtianum? Si Apoſtolos & primos eorum diſcipulos talis interdictio metusque mortis inhibuiſſet, lex Chriſti haud fuiſſet expoſita. Etiamnum Muſulmanni Chriſtianos apud ſe tolerant, ut omni tempore fecerunt, quin etiam exercitium Religionis liberum relinquunt certum tributum ſolventibus. Hoc ipſum eſt, inquies, quod

impedit, ne Christi doctrina illis tradatur: nam hos Christianos miseros exterminarent, siquis illos saniora doceret. Hæc est oppositio speciosissima, quam hac de materia fieri audierim. Dubito tamen, an solida sit; & an Musulmannorum Principes, si res ad executionem spectaret, tam mali forent politici, ut magna subditorum parte sese privarent facile. Oppositio haberet vim, nisi numerus horum Christianorum esset maximus, qualis revera est, præsertim in regionibus posterius subactis, ut in Græcia, ubi Musulmannos multitudine sua haud modice excedunt.

Dum autem hos ad Christi signa ducendos affero, id cautissime agendum intelligo, sicut in principio Ecclesiæ. Non agitur de morte spernenda vel sine fructu accersenda, ut fecere Fratres Minores, qui se Maroci ac Septæ perimi curarunt. S. Cyprianus eos non agnovisset Martyres. Expendamus sedulo hæc divini Magistri nostri verba: *Mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ!* Hos lupos non efferate, ne prius devo-

Hist. lib. 78. §. 23. 44.

Matth. 10. v. 16.

devoremini, quam eos manſuefacere potueritis? Cum ethnicis agendi modum tenete prudentiſſimum: non eos laceſſite ſine neceſſitate, ac nolite illis loqui de doctrina mea, niſi cum ad eam auſcultandam probe affectos videritis! Sed cavete pariter, ne prudentia veſtra in aſtutam calliditatem degeneret! comitetur illam ſemper ſimplicitas & integritas, quæ meæ Religionis anima eſt.

Vellem proin, ut, qui fidem Muſulmannis explicandam ſuſciperent, primum linguas apud eos uſitatas callerent: ſcilicet Arabicam, quæ Religionis eorum lingua eſt, Turcicam & Perſicam pro ratione regionum; ut gnaviter legiſſent eorum libros, ac perbene ſcirent eorum doctrinam, hiſtorias, fabulasque; verbo: ut hanc ad controverſiam iisdem ſubſidiis inſtructi eſſent, quæ Patres Eccleſiæ ad impugnandos ethnicos veteres habebant; ut ante omnia ſe in eorum animos inſinuarent per veritates, de quibus nobiscum conveniunt, veluti ſunt Dei unitas, potentia, ſapientia, bonitas cæteræque perfectiones; per principia morum, quæ illis nobiscum communia

sunt, ut justitia, amor proximi. Non præpropere illis memoranda essent sanctissimæ Triadis ac naturæ divinæ cum humana conjunctæ mysteria, contra quæ sunt præoccupati: oporteret antea bene stabilire authoritatem Evangelii, adimendo eis opinionem, quod hic liber, quem pro divino habent, a Christianis corruptus fuerit. Ad eximendum eis hunc errorem utiliter adhiberi possent testimonia Nestorianorum & Jacobitarum, qui viventes inter ipsos, & ducentis ante Mahometem annis a nobis separati Evangelium cæterosque libros sacros asservant nostris per omnia consentaneos.

Præcipue cavendum esset, ne in Mahometem maledicta conjicerentur, aut ejus mentio contemptim fieret. Ipsi Apostoli nullis falsos Deos convitiis appetebant, ut expresse scriptum est de Diana Ephesi. Sed post probatam satis missionem Christi leniter exponi posset, Mahometem se a Deo missum nullo argumento demonstrasse, ac sectam ejus auxiliis mere humanis esse institutam. Forsan expediret etiam primo-

Act. 19. v. 37.

primorum Califarum Mahumetanæ ſectæ capitum & quaſi Apoſtolorum vitia exagitare, & quales homines Othmanus, Omarus, Moavia, cæterique fuerint, eorum helluationem, crudelitatem, perfidiam, ac præſertim atrox bellum Ali familiæ illatum Muſulmannis in ſuis ipſorum hiſtoriis ob oculos ponere.

Hæc via, inquies, eſſet valde longa, ac etiamſi auditores haberentur dociles, multo tempore foret opus ad tractandam cum eis hanc controverſiam. Aſſentio, vellemque, ut noſtra ætas hac in re ſapientem antiquitatem, ac diſciplinam primorum Eccleſiæ ſæculorum imitaretur, quibus tamdiu producebatur fidei tironum informatio ſecundum doctrinam æque ac mores, illorumque ad Deum converſio tam ſolicite explorabatur, antequam vitali tingerentur aqua. Denique, quid his in rebus ad uſum redigi poſſit, judicare illorum eſt, qui ad Ortum iis in locis Miſſionarios agunt. Sed licet pauciſſimos a ſuperſtitionum tenebris ad veræ Reli-

gionis lumen traducerent, hoc illorum opus Deo gratius ac Ecclesiæ utilius fore censeo, quam mortem tot millium, quorum cruor in bellis sacris effusus est.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER LXXXV.

ALEXANDER IV. TUM URBANUS IV. POSTEA CLEMENS IV. SUMMI PONTIFICES.

IMPERIUM OCCID. VACAT.

BALDUINUS II. DEINDE MICHAEL VIII. ORIENT. IMPP.

§. I.

Receſſus Arſenii Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani.

Sæcul. XIII. A. C. 1260.

Contemptus, in quem parvulus Imperator Joannes Laſcaris apud Michaëlem Palæologum rerum ſumma potitum venerat, graviter afflixit Arſenium

Sæcul. XIII. A. C. 1260.

Constantinopolitanum Patriarcham Græcum Nicææ residentem. Exprobrabat sibi, quod in re tanti ponderis tam negligenter egisset, ac ex turba evolvere se statuit. Itaque dissimulata ratione præcipua se ipsum despicatui esse, atque apud Imperatorem Michaelem nihil posse coram Clero suo causatus, mox urbem Nicæam reliquit pedes, nec nisi paucos admittens comites. Cum in monasterio urbis mœnibus vicino substitisset, per noctem suum perrexit iter usque ad parvum Pascasii cœnobium, quod in secessum delegerat suum. Erat locus solitarius & tranquillus hinc mare, illinc fluvium habens, cujus ad ripam asceterium fuerat conditum. Ibi Arsenius vivebat quietissimus, omissa Ecclesiæ suæ cura solo cum Deo versans.

Pachym l. 2. c. 15. Gregoras lib. 4. c. 1. n. 3.

At Clerus ac Episcopi Nicææ tunc præsentes improbata ejus agendi ratione per nuncios orabant, ut rediret, ne Imperator absens comperto ipsius recessu offenderetur. Præterea siquis molestia te affecit, inquiebant, non relinquere sedem tuam, sed illum castigare, vel ad Imperatorem deferre, aut, si Imperator ipse fuit, eum admonere debebas, qua in re pro viribus te juvissemus. At sic abire nec abitus causam dicere videtur consilium temere susceptum. Per aliquod tempus nihil effectum est, Patriarcha sen-

sum

sum animi non explicante: at Imperatori Michaëli rem cognitam dolenti per tacita conscientiæ convitia verum Præsulis incitamentum suboluit. Ergo, cum Episcopi essent in concilium congregati, ex eorum sententia Nicetam Episcopum Heracleensem misit, qui eum revocaret, ad concilium adeundum, ad indicandas sui discessus causas, ad reddendam tam extraordinarii agendi modi rationem stimularet, ac declararet denique, aut resumendum ei Ecclesiæ suæ regimen, aut hujus abdicationem scripto edendam esse. Sæcul. XIII. A. C. 1260.

Nicetas cum sociis delatus ad Arsenium, concilii epistolis ei traditis officium suum exposuit. Respondit autem, non amplius esse tempus medendi causæ sui recessus, sibique deinceps in silentio ac quiete manendum. Postquam magnopere sed frustra institerant, ut suum aperiret animum, obstinato secretum indicabant imperium, ut dignitatis abdicationem ab eo peterent. Ille se mox obtulit, & cum litteræ publicæ conficerentur, Episcopus Heracleensis, ut illam plausibiliorem redderet, his inferendum proposuit, Arsenium se indignum sentire. At is offensus commota bile, Annon sufficit tibi, ajebat, me verbo factoque cedere? cur insuper mala ratione premere me vis? Relinquo libens negotia, nec futuræ me res solicitum habent.

Ita

Sæcul. XIII. A. C. 1260.

Ita remissi subito tabulis publicis non absolutis ad Imperatorem & concilium properarunt. Cum retulissent, Patriarcham flecti haud posse, addebant, superesse modum tentandi, an in proposito perstaret suo; mittendos nempe, qui pastorale pedum & candelabrum (erant Episcopatus insignia) ab eo poscerent. Missis Arsenius ea capere licere, si vellent, dixit. Tum Imperator nihil expectandum amplius, seque ab eorum, quæ Patriarchæ accidere possent, culpa satis liberum putavit; eo magis, quod Nicephorus Episcopus Ephesinus ejus consecrationem haud fuisse canonicam affirmaret; nam Imperatorem Theodorum necessitate sic exigente se tam celeriter coronandum curasse, ut Arsenius continuo cunctos Ordines sacros acciperet, nullum temporis intervallum observans. Idcirco Imperator Michaël permisit, ut Episcopi, quod vellent, agerent, qui consultatione per dies plures habita nihil in Arsenio, quod carperent, invenerunt, præter impatientiam & abjectionem animi, qua sedem reliquerit suam.

v. Possin. not. p. 446.

Sup. lib. 84. §. 13.

Postea cum de cooptando successore diu deliberassent, ac præcipui reliquorum suffragia raperent, Nicephorum Ephesinum omnes elegerunt. Commendabat eum sua pietas & virtus, doctrina congruens, provecta jam ætas, ardens studium

Pachym. c. 16.

dium in Ecclesiam ejusque leges, quarum contemptum dolebat magnopere. Ante Manuelem a Concilio in Patriarcham electus fuerat regnante Joanne Vatacio. Qui ejus fervorem timens electioni se opposuit, dixitque: Dum Archidiaconus est, eum ferendo non sum: quid fiet, quando Patriarcha erit? Inauguratus est in Archiepiscopum Ephesinum: sed hærebat ei semper in medullis Imperatoris injuria. Quapropter nullis precibus erat opus, cum in Arsenii locum substitutus est, quem sibi ob divinam assignationem deberi credidit. Igitur renunciatus Patriarcha Epheso Nicæam, ubi habitaret, transiit, auri copiam afferens. Sed ejus electionem improbabant quidam Præsules; inter alios Andronicus Sardius, & Manuel Thessalonicensis: populus quoque Nicephorum aversans Arsenii reditum optabat. Nicephorus Imperatoris præsidio nixus, eum in Thraciam sequebatur, quo illum Constantinopolis recuperandæ spes duxerat. Sæcul. XIII. A. C. 1260. c. 17.

§. II.

Concilium Arelatense. Joachimitæ.

Florentinus ab Episcopatu Ptolemaidis in Palæstina sito nuper ad Arelatensem Provinciæ Archiepiscopatum translatus,

Sæcul XIII. A.C. 1260.

latus, an. 1260 aut sequente in concilio provinciali cum Suffraganeis suis habito septendecim canones edidit. In præfatione ait: Ætate nostra surrexerunt falsi Doctores, qui pro fundamento deliratio-

Gall. Chr. to. 1. p. 59. To. X. conc. p. 239.

num suarum certos ponunt ternarios, ut in suis *Concordantiis*, quas vocant, doctrinam pernicioſam stabiliant; per simulatam honorandi Spiritus Sancti causam effectum redemptionis Filii Dei minuant, certoque temporis spatio constringant. Pater, inquiunt, operatus est a principio mundi usque ad filii adventum. Quare

Joan. 5. v. 17. hic dicit in Evangelio: *Pater meus operatur usque modo, & ego operor.* Operatio filii duravit usque ad hoc tempus per mille ducentos sexaginta annos. Quibus finitis Spiritus S. dicet: Huc usque Filius operatus est post Patrem: ego deinceps etiam operabor. Eo applicant 1260

Apoc 11. v. 3. dies in Apocalypsi notatos, & mille annos, quibus elapsis Satan vinculis exsolvetur: quasi hujus in seculi cursu Spiritus S. mittendus esset glorioſius, quam cum in Apostolos se diffudit, per flammas & donum linguarum sensibilem se reddens.

Hi Joachimitæ in divina Triade fundant Ternarios commentitios, nempe tres hominum status seu ordines, qui secundum tempora sibi debeant succedere; primum esse conjugum, qui Patris æterni tem-

tempore in lege veteri regnaſſet; alterum Clericorum, qui per Filium tempore gratiæ regnaverit in ſtatu medio, in quo nos ſimus; tertium monachorum, qui tempore ſummæ gratiæ per Spiritum Sanctum ſit regnaturus. Addunt ternarium doctrinæ, ſcilicet legem veterem, novamque, ac Evangelium æternum, quod Spiritui Sancto tribuunt. Dividunt etiam durantis mundi tempus in tres ætates, quarum primam adſcribunt Patri, per quam regnaverit ſpiritus legis Moſaicæ; alteram Filio, in qua ſpiritus gratiæ regnaſſet; & quæ duraſſet 1260 annos; tertiam Spiritui Sancto, quam ſummæ gratiæ ac detectæ veritatis tempus appellant. Quo referunt illa Evangelii verba: *Cum venerit hic Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Alium ternarium dicunt conſiſtere in modo vivendi: primo tempore homines duxiſſe vitam ſecundum carnem; altero mediam inter carnem ac ſpiritum; tertio mox ſecuturo usque ad finem mundi ſecundum ſpiritum victuros eſſe. Sæcul. XIII. A. C. 1260.

Sic Joachimitæ in nihilum redigunt redemptionem Chriſti, & Sacramenta finem habitura perhibent, dicendo, figuras omnes, & ſigna omnia ceſſatura eſſe, & veritatem omnium oculis conſpicuam fore. Sancta Sedes, verum eſt, nobis præſentibus nuper rogatu noſtro condemnavit

Sæcul. XIII. A.C. 1260.

mnavit novam noxiamque doctrinam, quæ sub nomine Evangelii Spiritus Sancti pervulgabatur. Sed non satis examinata sunt hujus erroris fundamenta, nimirum *Concordantiæ*, cæterique Joachimi Abbatis libri, hactenus a censura liberi, utpote in angulis & cavernis apud quosdam Religiosos absconditi. Hanc præfationem sequitur primus canon hunc in modum.

v. Sup. lib. 75 §. 41.

Nos, qui hæc scripta cum nonnullis Majoribus nostris diligenter inspeximus & contulimus, haud immerito timemus, ne posteros pervertant, præsertim, cum in provinciis nostræ ditionis jam plurimos etiam litteratos phantasticis hujusmodi ludificationibus ita occupatos intellexerimus, ut permultos commentarios hac de materia confectos descripserint, tradiderint aliis, & ad exteras nationes miserint. Quapropter hæc scripta, prout ad manus nostras pervenerunt, provincialis Concilii nostri authoritate damnamus; atque, ne subditi eis utantur, aut ea recipiant, sub anathematis pœna prohibemus.

§. III.

Concilii Arelatensis Canones.

§. 3.

In reliquis canonibus noto sequentia. Sacramentum Confirmationis jejuni jeju-

jejunis tribuant exceptis infantibus lacten- Sæcul. XIII.
tibus. Igitur tenellis infantibus adhuc A.C. 1260.
dabatur, ut etiam hodie multis in Eccle-
siis fieri solet. Major pars parœciarum c. 5.
hujus provinciæ pertinet ad monacho-
rum, aliorumve Regularium Prioratus, e
quibus aliqui Religiosi continenter illic
residere consueverant, ut spiritualia simul
ac temporalia administrarent, suisque Præ-
positis rationem redderent. At modo il-
lorum præsentia redacta est ad tempus,
quo fructus colligunt; & quibusdam in
locis Sacerdotem nullum, in aliis solum-
modo mercenarium relinquunt. Quocir-
ca volumus, ut his in parœciis adsint Pa-
rochi ex illis cœnobiis, aut vicarii perpe-
tui congrua præditi portione e parœciæ
proventibus assignata. Si Patroni non
designent idoneos, loci Præsul constituat
intra tempus a jure præscriptum. Octa- c. 6.
vo Pentecostes die officium SS. Triadis,
ac festus dies S. Trophimi tanquam Apo-
stoli per totam provinciam celebretur.
Officium SS. Triadis nondum universa *Thomass.*
Ecclesia Latina receperat: & S. Trophi- *fest. p. 392.*
mus primus Episcopus Arelatensis habe- *Tillem. to. 4.*
batur pro Apostolo, quia credebatur fuisse *p. 467. 708.*
discipulus S. Pauli: qui error dein de-
positus est.

Monachi & Canonici Regulares c. 10.
nullam doctrinæ a discipulis, vel ab ur-
bium Magistratibus mercedem accipiant.

Sæcul. XIII. A. C. 1260.

Templarii & Hospitalarii non extendant privilegia sua curando, ut ii, quos agnoscunt familiares ac domesticos suos, certa gerant signa. Quibus insuper habitis Præsules eos corrigant secundum decretalem Innocentii tertii. Religiosi Dominicis ac solennioribus diebus populum ad officium divinum in templa sua non admittant; nec ibi e suggestu dicant iis horis, quibus sacrum fit in parœcia. Et hæc inhibitio extenditur etiam illos ad Religiosos, quibus concionari licet, nempe ad Fratres Mendicantes. Res tota eo spectat, ut ne laici avertantur a doctrina suis in parœciis audienda. Episcopi expiationum Præfectos, seu Pœnitentiarios suos verni jejunii tempore in urbes pagosque mittebant, ut a casibus reservatis absolverent illos, qui commode adire Episcopos ipsos haud possent. Hoc sub obtentu multi homines privati eludebant præceptum confessionis annuæ Parochis suis faciendæ, seque Pœnitentiario confessos esse dicebant. Concilium prohibet, ne confessiones peccatorum non reservatorum audiant, nisi jubeat Episcopus, aut Parochus permittat.

c. 12.

c. Tuarum. II. de priv.

c. 15.

c. 16.

Alia consuetudo priore pejor regnabat in Provincia non solum apud Clericos seculares, verum etiam inter Regulares ac monachos. Nempe quoties de quodam beneficio controversia erat orta, partes

c. 17.

partes litigantes omissis Judicibus Ecclesiasticis, ad quos solos ejus cognitio pertinebat, mox armati templa per vim & occupabant & conservare sibi conabantur. Unde nascebantur cruentæ pugnæ, ac interdum homicidia: nam partibus cognati amicique sui auxilio veniebant. Concilium interdicit has vias facti. Sed hæ postea Judicibus profanis dedere ansam capiendi cognitionem juris possessorii beneficiorum. Sæcul. XIII. A.C. 1260.

§. IV.

Apparatus belli contra Tartaros.

Interim Papa Alexander continuis Tartarorum progressibus perculsus ad Principes Christianos, Præsules, & Collegia scripsit, ut inirent rationes his barbaris resistendi tam in Palæstina, quam invaderent, quam in Hungaria, in Polonia, cæterisque regionibus, e quibus in reliquum orbem Christianum possent excurrere; quantas quodque regnum vires illis opponere teneretur; quantæ pecuniæ pensiones hunc in finem Clero ac populo essent imponendæ. Denique præcepit, ut ad sanctam Sedem Oratores mitterent concilii causa, quod hac de re habiturus esset infra Octavam S. Petri, hoc est, ineunte Julio anni 1261. S. Ludovi- *Rayn.* 1262. *n.* 29. 30. *M. Paris. p.* 368. *Stero. an.* 1261.

Sæcul. XIII. A. C. 1261.

cus acceptis Papæ hac de materia litteris, Dominica Paſſionis 10 Apr. 1261 Pariſiis Epiſcoporum Procerumque regni ſui conventum fecit, qui duplicari preces, ſupplicationes publicas fieri, puniri blasphemias, peccata, menſarumque ac veſtium luxum coercere juſſit. Prohibuit etiam in biennium ludicras pugnas, omnesque ludos exceptis arcus & baliſtæ exercitiis.

Duchesne to. 5. p. 371. Nangis Chr. an. 1260. t. 11. m. Conc. p. 797. M. Weſtm. p. 378.

Eandem ob cauſam Papa in Angliam miſit fratrem Gualterium Reigatenſem; qui eo delatus cunctos regni Præſules moneri voluit, ut decimo quinto poſt Paſcha die Londini coram ipſo adeſſent. Gerebant morem Præſules; ac die lunæ ante feſtum S. Dunſtani, hoc eſt, 16 Maji omnes ex meridiana Angliæ parte Londini comparuerunt præſente Bonifacio Archiepiſcopo Cantuarienſi. Proximo die lunæ 23 Maji partis ſeptentrionalis Præſules Bevereliam ad Archiepiſcopum Eboracenſem convenere. His duobus in conciliis novæ quædam ſanctiones factæ ſunt de ſtatu Eccleſiarum Angliæ. Tum Præſules Romam miſerunt Oratores, qui concilio ibi celebrando aſſiſterent, & ad Papam referrent deliberationes in conciliis ipſorum initas, præſertim de reprimendis Tartaris. Hi Oratores communibus Cleri ſecularis regularisque ſumptibus mittebantur. At Religioſi exempti (ex Epiſcoporum

p. 379. to. XI. conc. p. 815.

coporum poteſtate) comperiebant, Oratores coram Epiſcopis juraſſe, ſe nihil ipſorum commodis contrarium paſſuros in Romanam venire aulam, & ſtaturos eſſe contra Regulares. Hi proin ad ſumptus legationis quidquam contribuere recuſarunt: ac Epiſcopi captarunt inde occaſionem Papæ ſignificandi, hoc diſſidium obſtare, ne certum ei reſponſum redderent. At Religioſi exempti poſt Oratores Epiſcoporum ſuos & ipſi nuncios miſerunt, impedituros, nequid illi contra Regulares obtinerent. Sæcul.XIII. A.C.1261.

§. V.

Concilium Lambethanum.

Propter illam convocationem generalem Archiepiſcopus Cantuarienſis provinciale concilium ſuum Lambethæ prope Londinum habuit triduo ante concilium, cui Nuncius adfuit, nempe 13 Maji. Statuta ibi ſunt jejunia, preces ac ſupplicationes publicæ Tartarorum incurſus avertendi gratia, ſed præterea factum ibidem eſt præſcriptum ad conſervandam Eccleſiæ libertatem contra molitiones Regis, ac Judicum profanorum. Illius ſummam habe! Siquis Epiſcopus aut Præſul inferior per litteras Regis vel alius viri potentis profanum ad tribunal vocetur, prohibemus, ne ibi reſpondeat de rebus *West. p. 380.*

to. XI. conc. p. 803.

p. 804. D.

Sæcul. XIII. A. C. 1261.

mere ad ſua munia & ad eccleſiaſticum tribunal ſpectantibus ; veluti de beneficiis denegatis, de pronunciatis cenſuris, de templis dedicatis, de collatis ſacris Ordinibus, de capta cognitione decimarum, donorum, limitum parochialium, perjurii, ſacrilegii, attentatæ libertatis eccleſiaſticæ, vel actionum inter Clericos perſonalium, ut vocant. De omnibus his caſibus cæterisque ſimilibus nihil reſpondeant Præſules ad Judicem profanum accerſiti! Sed ut debita Regi reverentia exhibeatur, Epiſcopi coram vel ſcripto ei exponant, ſe talia mandata non poſſe exequi, ac ex jurisdictione profana nihil ſibi aſſerere. Si Adminiſtri Regis, aut Rex ipſe molitiones ſuas proſequatur, Epiſcopi eorum terras in ſua quisque diœceſi interdicto afficiant: quod in diœceſes integras extendant, in duritia illi ſua ſi perſtiterint. Ut ne fiat in
p. 807. poſterum, quod hactenus ſæpe factum, de ſententia concilii vetamus ſtricte, nequis Clericus parœciam, annonam ſacram, vel aliud beneficium authoritate ſua occupet, aut ſe in ejus poſſeſſionem per poteſtatem profanam intrudi curet. Alioqui proſcribatur; dein privetur reliquorum beneficiorum ſuorum fructibus; ac denique indignus, qui aliquod eorum ha-
p. 808. beat, declaretur. Moris erat, ut anathemate percuſſos Rex per litteras ſuas juberet

beret capi, ac Episcopi eos, donec fecis- Sæcul.XIII.
sent satis, in carcere detinerent. At in- A.C.1261.
terdum Rex denegabat tales litteras, aut
Pro-Comites cæterique Prætores invitis
Episcopis captivos dimittebant. His in
casibus Concilium Prætores vult proscri-
bi, ac Regis possessiones interdicto affici.
Inhibet etiam, ne Judices profani Cleri-
cos comprehendant, eis mulctas irrogent,
eorum bona occupent. Vetat, ne impe-
diantur ii, qui profugis in Ecclesias ali-
menta præberent. Condemnat auda- *p. 811.*
ciam, qua Optimates Prætores Regii Ca-
thedrales, aut Religiosorum Ecclesias vi-
duas custodiendi jure abutebantur harum
fundos reddendo inutiles per causam per-
cipiendi eorum fructus. Demum alia
quædam jurisdictionis ecclesiasticæ pun-
cta sancit. Memineris, hunc Archiepis-
copum Cantuariensem prærogativas, qui-
bus Ecclesia tunc fruebatur, ab ipso Re-
ge tuendi tam studiosum fuisse Bonifa- *Sup. lib. 82.*
cium Sabaudum, Reginæ avunculum, ad §. 4.
celsam sedem illam solo Regis favore si-
ne ullo merito ecclesiastico evectum.

§. VI.

Alia Concilia.

In Germania quoque ut mandato Papæ satisfieret, ac bellum in Tartaros adornaretur, plura habebantur concilia. Var-

Sæcul. XIII. A.C. 1261.

nerus seu Garnerius Archiepiscopus Moguntinus celebravit suum, quod hujus provinciæ decimum septimum fuisse dicitur: ibique multa fiebant decreta augendo servitio divino, & corrigendo Clero idonea: inter alia, ut Sacerdos, qui publice concubinam domi suæ aleret, ipso facto teneretur abstinere a munere; atque si hoc in statu sacrum faceret, e diœcesi pelleretur. Archiepiscopus Varnerus anno priore Gerardo successerat. Ut sui electio rata haberetur, & pallii accipiendi gratia Romam profectum Papa Alexander IV. consecravit, eodemque anno 1261 tres alios Germaniæ Archiepiscopos, Henricum Trevirensem, Hildeboldum Bremensem, & Conradum Magdeburgensem.

to. 11. conc. p. 816. Siffrido Serrar. Mog. l. 1. c. 33.

Siffrid. 1260 1261. Serrar. lib. 5. p. 844.

Ravennæ Archiepiscopus Philippus Fontius pariter ob subsidium contra Tartaros concilium provinciale Papa jubente habuit. Hoc in concilio Clerus de Fratribus Prædicatoribus Minoribusque conquerebatur, quod e sacro suggestu pro decimis nihil dicerent; quod confessiones Parochis faciendas audirent; quod his obnoxios humarent; quod eorum damno divini verbi præconium sibi attribuerent. Sic impedimur, addebant Clerici, ne pecuniarium contra Tartaros subsidium colligamus. Tum Opizo de S. Vitali Parmensis Episcopus erigens se,

t. 11. p. 782. Rub. lib. 6. hist. p. 435.

Miror

Miror magnopere, inquiebat, hos Religiosos accusari de re, quæ magnas eis laudes deberet parere. Deus est, qui nostram miseratus indigentiam suscitavit hos Ordines tam numerosos, ac ex doctissimis piissimisque ætatis nostræ viris compositos, qui non congerendis decimis, non commodis intenti suis, omissa victus cura, nationes omnium maxime barbaras Christo adjunctum eunt. Hic sermo Episcopum Opizonem multis invisum reddidit. Sæcul. XIII. A.C. 1261.

§. VII.

Alexander IV. moritur. Urbanus IV. Papa.

Congruenter omnibus his conciliis Christiani Principes Præsulesque ad sanctam Sedem Legatos & Oratores miserunt. At plerique non advenere nisi post obitum Papæ Alexandri. Quadriennio non fuerat Romæ: ubi manere non ausus, mense Majo an. 1257 Viterbium petiit, ac quindecim ibi menses usque ad ineuntem Septembrem anni sequentis hæsit. Tum Anagniam se contulit, ubi 21 Octobris an. 1260 etiamnum erat. Denique Viterbium reversus, die S. Urbani 25 Maji an. 1261 ibi mortem oppetiit post sex annos ac quinque menses Pontificatus. In cathedrali S. Laurentii templo Viter-

Rayn. 1262. *n.* 31. *Sup. lib.* 84. *§.* 45. *Rayn.* 1258. *n.* 6. *Id.* 1260. *n.* 21. *Stero.* 1261. *Duchesne p.* 371.

Sæcul XIII. A.C. 1261.

Viterbii terræ mandatus est: sanctaque Sedes tribus mensibus & quatuor diebus vacavit. Inquisitoribus inter alia præcepit, ut hæreticorum bona publicata venderent, ac pretium Ecclesiæ Romanæ usibus reservarent.

Papebr. conat.

Rayn. 1260. n. 12.

Viterbii octo tantum Cardinales erant, duo Episcopi, Tusculanus Odo Castro-Rodulphinus, ac Prænestinus Stephanus natione Hungarus; duo Presbyteri Joannes a S. Laurentio Anglus & Hugo a S. Charo tit. S. Sabinæ; quatuor Diaconi omnes Itali, Richardus Annibaldus tit. S. Angeli, Octavianus S. Mariæ *in via lata*, Joannes Cajetanus S. Nicolai, & Ottobonus S. Adriani. Hi octo Cardinales inter se adeo discrepabant, ut de nullo ex suo corpore convenirent. Sed tandem Papam cooptarunt Jacobum Pantaleonem Patriarcham Hierosolymitanum, qui tunc forte Viterbii aderat, Ecclesiæ suæ negotium curaturus. Scilicet Papa Alexander Hospitalariis Bethanienſe S. Lazari cœnobium Ordinis S. Benedicti dederat: qua in re læsam non parum Ecclesiam suam Patriarcha perhibuit, & Papa factus donationem rescidit. Die S. Joannis Baptistæ morti sacra, 29 Augusti electus, & quarta Septembris Dominica coronatus, Urbanus IV. dici voluit, ac triennio sedit. Trecis in Campania, ut memoravi, in lucem editus, Leodiensis Archidia-

Rayn. 1261. n. 7.

Sup. lib. 84. §. 66.

Anon. de reb. Sicul. p. 856.

Papebr.

Sup. lib. 83. §. 5.

Sup. lib. 84. §. 12.

chidiaconus, dein Episcopus Virodunensis fuerat post plures legationes digne obitas ad septem Triones. Vix solium novum conscenderat, cum id Episcopis scripsit, seque in preces commendavit, ut docet epistola ad Archiepiscopum Remensem mense Septembri an. 1261 data. Singulariter ad Regem S. Ludovicum, cui obnoxius forte nascendi fuerat, & ad Philippum natu majorem ejus filium scripsit, noxarumque veniam eis fecit. Sæcul. XIII. A.C.1261. *ap. Rayn. n.* 10. *n.* 18.19. *&c.*

§. VIII.

Otto e prosapia Pro-Comitum Archiepiscopus Mediolanensis.

Sedes Mediolanensis quatuor vacabat annos, postquam Leo Peregus 14 Dec. 1257 decesserat. Duo illam sibi vendicabant, Raymundus ex Turriorum familia Mediolani potentissima, & Franciscus Settalla, plus meriti sed minus existimationis habens. Papa Urbanus utriusque electionem rejiciens Settalla ultro cedente Raymundum creavit Episcopum Comensem. Ambobus prætulit Ottonem Collegii Desiensis Præpositum ex Pro-Comitum familia, quæ cum Turriana de majore nominis celebritate certabat. Huic viro animoso ac gerendis rebus idoneo Papa Mediolanensem Archiepiscopatum con- *Ughel. to.* 4. *p.* 282. *Sigon. reg. Ital. lib.* 20. *init. Cor. p.* 272. 273.

Sæcul. XIII. A.C. 1261. contulit rogatu Cardinalis Octaviani Ubaldini, cui Mediolanum transeunti Martinus Turrius Raymundi frater insultaverat. Qui quem Papa elegisset, edoctus, cum apud Mediolanenses tunc omnia posset, non modo Archiepiscopatus, sed & omnium Ottonis fautorum reditus occupari jussit: unde factum, ut Papa urbem interdicto percelleret. Anno 1263 Otto Papæ ac Mediolanensium adversis a partibus pulsorum præsidio tectus Roma Mediolanum versus processit ac die Paschatis 1 Aprilis Aronæ arcem intravit. Sed longiorem progressum tum quidem non fecit, & quatuordecim insuper annos Mediolano excluſus mansit.

p. 276.

§. IX.

Patriarchæ Nicephori obitus.

Interim Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha Græcus Nymphæam propere venerat cum Imperatore Michaele Palæologo, qui Constantinopolim capere frustra conatus in Anatoliam redierat. Nicephorus Andronicum Sardibus & Manuelem Thessalonica pelli jusserat, ipsius translationem improbantes, duosque alios Episcopos in eorum locum substituit Sardibus Jacobum Chalazam, Thessalonicæ Joannicum Cydonem Abbatem monasterii Sosandrici. Mox deinde

Pachym. l. 2. c. 22.

de morbo correptus ad extrema cum veniſſet, erat, qui quæreret, an non veſte monaſtica vellet indui. At ne mentionem quidem rei tulit, ut Patriarcha mori cupiens. Cadaver Epheſum delatum in templo metropolitano ſepultum fuit. Erat vir ſeverus ac intrepidus præſertim contra Principes, a puero virtutis cultor. Sed populus eum judicabat intruſum, non tam, quod Epheſo Conſtantinopolim eſſet translatus, quam quod vivente Patriarcha legitimo tranſiiſſet. Ultimam dignitatem unico anno tenuit. Sæcul.XIII. A. C. 1261. *Gregor. l. 4. c. 1. G. Acrop. n. 84.*

§. X.

Græci Conſtantinopolim recuperant.

Imperator Michael Cæſarem Alexium Strategopulum cum quibusdam copiis contra Michaelem Epiri Deſpotam miſit; & quia Alexius prope Conſtantinopolim iter faciendum erat, eum minas urbi admovere, Latinisque periculi metum inferre aliquem, nihil tamen moliri juſſit. Alexius cum Ducibus certorum hominum voluntariam militiam, ut Francos pariter ac Græcos expilarent, obeuntium collocutus ex illis comperit, Francos in urbe rerum omnium penuria preſſos nuperrime modicam, quam haberent, manum miſiſſe oppugnatum Daphnuſiam ad Pontum Euxinum in Thracia ſitam, mil-

Du Cange hiſt. C. P. l. 5. n. 22. Pachym. l. 2. c. 26. Greg. l. 4. c. 2. Acro. pol. n. 85.

le

Sæcul. XIII. A.C. 1261.

le ſtadiis ſeu quinquaginta leucis, quas vocant, Conſtantinopoli diſtantem. Voluntarii, qui erant Græci, Cæſari Alexio monſtrantes, urbem hoc in ſtatu facile capi poſſe, ſuas copias in eam immittendas & operam ſuam offerebant, navabantque tam egregiam, ut urbe noctu potiretur 25. Jul. anno mundi 6769. Chriſti 1261. Imperator Balduinus in lembo aufugere coactus inſulam Eubœam primum, deinde Italiam petiit. Juſtinianus Patriarcha Latinus itidem ſibi fuga conſuluit. Ita Franci Conſtantinopolim amiſere quinquaginta ſeptem annis poſſeſſam. Imperator Michael Palæologus accepto in Aſia nuncio tam inopinato, mox in Europam profectus Conſtantinopolim venit. Quam 14. Auguſti pedibus ac ſine inſignibus imperatoriis intrans, Virginis, quam Ducem vocabant, imaginem a S. Luca, ut ajebant, pictam ſibi præferri voluit, ac monaſterio Studiano reliquit Tum conſcenſo equo ad S. Sophiæ templum delatus ibi Deo gratias egit. Inde ſe contulit in grande palatium, ubi ſedem ſuam collocavit.

Pach. c. 27.

Monach. Pad. p. 615.

Sup. lib. 76. §. 2.

Acrop. n. 88.

Pach. c. 31.

§. XI.

Sæcul.XIII.
A.C.1261.

§. XI.

Arsenius revocatur.

Inter primas ejus curas fuit sedi Patriarchali per Nicephori decessum viduæ providere. Hoc fine convocavit Episcopos, quorum aliqui revocandum censebant Arsenium, utpote canonice non exauthoratum; alii abdicationi ejus, ac obstinatæ reditus recusationi insistebant. Imperator aliquamdiu pendebat animi, hinc, ne Arsenius ipsius propositis obsisteret, illinc offensionem metuens, quem electio novi Patriarchæ faceret. Denique revocare Arsenium statuit, qui pariter hærebat medius in priora incommoda recidendi metum inter, ac desiderium videndi Constantinopolim, sedemque suam occupandi.

c. 34.

l. 3. *c.* 1. 2.

Greg. p. 51.

Igitur Imperatoris atque Concilii rogatu venit. Ille præterita excusans magnis affectum honoribus comitante numero Procerum omnique populo ad S. Sophiæ duxit, manuque prehenso, En sedem tuam Domine! inquiebat: cape illam modo, postquam ea tamdiu caruisti! Misit eundem in possessionem proventuum Patriarchatus: & S. Sophiæ templum in statum pristinum restituit, altare, sanctuarium, suggestus, siparia, vasaque sacra suis impensis reparans:

Acropol. p. 103.

nam

Sæcul. XIII. A.C. 1261.

nam Latini hoc templum suis usibus aptando prioribus ornamentis privaverant. Demum prospexit alendis cantoribus sacrisque ministris, ac rebus omnibus, quæ ad decorem divini servitii conducebant. Patriarcha illi gratiam tantam habuit, ut faciliorem se præberet ad eum rursus coronandum. Hic enim Princeps id cupiebat, recuperata Constantinopoli suum regnum, ipsumque Imperium renovatum putans.

Hac in ceremonia non memorabatur adolescens Imperator Joannes Lascaris. Contra Michael Palæologus paulo post executioni dedit, quod in eum diu meditabatur, insuper habitis juramentis, quæ dixerat, cum in solium eveheretur. Ipso Christi natali die illum, ut regnando imparem redderet, excæcavit, ferrum candens prope oculos admovendo. Tum arci ad maris littus incluso victum sufficientem dedit. Erat vero miserrimus Princeps septemdecim circiter annos natus. Sic Michael imperare solus perrexit.

Pach. l. 3. c. 10. Greg. l. 4. c. 4.

§. XII.

Cardinales novi.

Mon. Pad. p. 614.

Cardinales, quia Alexander IV. nullos creaverat, in parvum redacti erant numerum. Idcirco Urbanus IV. quatuordecim renunciavit, septem trimestri

Ec-

ecclesiastico sub finem Decembris an. 1261; ac septem sacro trimestri Pentecostes. Hi Cardinales erant sequentes. Radulphus Grosparmius e nobili Normanniæ prosapia, prius Silvanecti ad S. Frambaldum thesauri custos, regiorumque S. Ludovici sigillorum præfectus, dein Episcopus Ebroicensis 19 Oct. 1259 consecratus, ac denique Cardinalis Episcopus Albanensis. Secundus Guido Crassus, alias Fulcodius, seu Fulgesius ex nomine sui parentis magna virtute viri, qui obiit Carthusianus. Filius Fani S. Ægidii in Occitania natus, Causidicus primum fuerat & Juris interpres celeberrimus a S. Ludovico intimum admissus in consilium. Mortua uxore sua, ex qua plures susceperat liberos, ecclesiasticum amplexus statum, Ponii in Velaunis Archidiaconus, tum ejusdem Ecclesiæ Episcopus an. 1257, & Archiepiscopus Narbonensis an. 1259 evaserat. Papa Urbanus eum dixit Cardinalem Episcopum Sabinensem. Sed in animum inducere nequibat Ecclesiam suam derelinquere: ac Rex S. Ludovicus eum pariter ac Episcopum Ebroicensem ante spatium unius anni e Francia dimittere nolebat. Vehementibus Papæ monitis erat opus, ut in Romanam Curiam se conferrent. Tertius fuit Simon Silicimontanus, Canonicus Patavinus, quem nobilitas, oris

Sæcul.XIII. A.C.1261.

Rayn. 1261. *n.* 23. 1262. *n.* 52. *Aubery hist. Card. to.* 1. *p.* 286. *&c. Gall. Chr. to.*2 *fol.*574. *Ibid. to.* 1. *p.* 385. *to.* 3. *p.* 917. *Conc. pr. Narb. app. p.* 161. 168. *Rayn.* 1262. *n.* 34.

Sæul. XIII. Ac. C. 1262.

ſpecies, doctrina, moresque ſui commendabant, ut Cardinalis Presbyter tit. S. Silveſtri fieret. Quartus erat Simon Brienſis, Turonibus ad S. Martinum Canonicus ac theſauri præfectus, modo Cardinalis Presbyter tit. S. Cæciliæ. Tres, qui ſequuntur, fuere Cardinales Diaconi, ſcilicet Godefridus Aletrinus tit. S. Georgii, Jacobus Savellius Romanus tit. S. Mariæ in Cosmedino, Hubertus Lombardus tit. S. Euſtachii. Hi erant ſeptem Cardinales menſe Decembri 1261. promoti.

Gall. Chr. to 1. p. 279.

Eandem ad dignitatem ſabbato Pentecoſtes ultimo Maji an 1262 evecti ſunt I. Henricus Secuſinus, qui primum Archidiaconus Embrodunenſis, tum Epiſcopus Segeſteronenſis, poſtea Archiepiſcopus Embrodunenſis ſub annum 1250, ac denique Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis fuit. Erat legum civilium & juris Canonici interpres clariſſimus, & juſſu Alexandri quarti utriusque juris ſummam ſeu compendium confecit in ſcholis celebre, quibus notus eſt ſub nomine Cardinalis Oſtienſis. II. Ancherius Pantaleon Trecis in Campania natus & Papæ Urbani nepos, Archidiaconus Laudunenſis, deinde Cardinalis Presbyter tit. S. Praxedis. III. Guido Abbas Ciſtercienſis, ortu Burgundus, qui ob quædam Ordinis negotia Romæ verſans factus eſt Cardina-

Sæcul. XIII. A.C. 1262

fredi filiam ſtatuere volebat. Tum vero Rex ſanctus declaravit, in affinem ſibi non placere, quisquis tam arctis vinculis adſtrictus eſſet Principi proſcripto & aperto Eccleſiæ hoſti. Quod edoctus Papa, S. Ludovico epiſtolam ſcripſit laudum & gratiarum plenam. Sed neutrum matrimonium omiſſum eſt. S. Ludovicus contentus erat tabulis publicis fide dignis, per quas Arragoniæ Rex declaravit, ſe filiæ Manfredi filium jungendo ſuum nihil in ſe velle recipere contra Eccleſiæ Romanæ rationes agendum. Atque iſta declaratio complurium Epiſcoporum ac Procerum teſtimoniis confirmata eſt.

Ap. Rayn. 1262. n. 17.

Invent. des ch. to. 5.

Arrag. I. p. 144.

Idcirco die Pentecoſtes 28 Maji an. 1262 Philippus Franciæ Princeps Claromonti cum Iſabella Arragonica, & 15 Junii Petrus Arragoniæ Princeps cum Conſtantia Sicula Ceſſerone nuptias fecit, quo Rex Jacobus hoc fine venerat, Papæ diſſuaſionibus præferens Siciliæ ſpem minime vanam, ut deinde videbimus.

Indic. Arrag. p. 99.

Chr. Trivet. to. 8.

Spicil.

Papa Urbanus hoc regnum S. Ludovico pro uno filiorum ipſius obtulit. At Rex ſanctus metuebat, ne injuriam vel Conradino faceret, qui legitimus ejus hæres videretur, vel Edmundo Angliæ Principi, quem priores Pontifices Maximi corona illa donaverint. Qua de re Papa

Ducheſne p. 371.

Id. p. 869.

dinalis Presbyter tit. S. Laurentii in Lucina. IV. Guilielmus Brajenſis ad Sequanam Archidiaconus Remenſis, & Laudunenſis Decanus, Cardinalis Presbyter S. Marci. V. Hannibal Annibaldus de Molaria nobilis Romanus Ord. Prædicatorum: fuit Pariſiis Profeſſor Theologiæ, poſtea Romæ Magiſter Sacri Palatii, demum Cardinalis Presbyter tit. duodecim Apoſtolorum. VI. Jordanus Contius Terracinenſis, Hypodiaconus, ac Eccleſiæ Romanæ Pro-Cancellarius, dein Cardinalis Diaconus tit. SS. Cosmæ ac Damiani. VII. Matthæus de Urſinis Romanus Cardinalis Diaconus S. Mariæ in porticu. Ecce quatuordecim Cardinales ab Urbano IV. creatos, quorum duo evaſere Pontifices Maximi, Guido Craſſus, & Simon Brienſis. Sæcul. XIII. A.C. 1262.

§. XIII.

Papæ epiſtola contra Manfredum.

Papa Urbanus non magis, quam anteceſſores ejus, favebat Manfredo in Sicilia novas identidem vires ſumenti. Qui potenti niſurus fœdere, filiam ſuam Conſtantiam in conjugem obtulit Petro natu majori filio Jacobi Arragoniæ Regis, cujus opera Romanam ſibi Eccleſiam reconciliari cupiit, conquerens de duritia, qua ſibi pax ſæpe petita ſemper de- *Rayn.* 1262. *n.* 9.

Sæcul. XIII. A.C. 1262

negata esset. Annuit Jacobus, & ad Papam misit Religiosum quendam, per quem spopondit, se ipsum rem curaturum esse. Papa ei respondit in hanc sententiam. Miror te fraudibus Manfredi captum, & dandam tibi saltem levem aliquam ejus criminum notitiam censeo.

Sup. lib. 83. §. 53.

Post fratris sui Conradi obitum Papæ Innocentio jurata fide pacatum in Siciliam aditum permisit, eum regni verum agnoscens Dominum. Papa Innocentius amanter receptum ut filium per meram liberalitatem principatu Tarentino nihil ad hunc juris habentem, & magnificis insuper muneribus ornavit. Manfredus tamen mox dein vix non in Papæ oculis crudeliter necandum curavit Burellum Comitem Anglonium, fidelem Ecclesiæ servum: & in hanc rebellis icto cum Nuceriæ Saracenis fœdere regnum occupavit per speciem tutelæ nepoti suo Conradi filio præstandæ. Postea hunc infantem mortuum commentus regnum sibi tanquam hæreditatem suam attribuit: & insuper habito sui ortus vitio in dedecus regiæ dignitatis eorumque omnium, qui coronam gerunt, Regis titulum sibi adscripsit, non exhorrens tantam in suum nepotem ac pupillum perfidiam. Tum Ecclesias regni vacuas sibi vendicavit, ac etiamnum vendicat: nondum viduas expilat, & simul earum Præsules, quo-

quorum aliquos exactionibus premit, a- Sæcul.XIII.
lios in carceribus atrociter tenet. Divi- A.C.1262.
na officia coram se peragi jubet tantum per contemptum Ecclesiæ clavium & anathematum ab anteceſſore noſtro in se intortorum. Quibusdam regni Baronibus Papæ ac Ecclesiæ partes se consentiente secutis crudeliter vitam abstulit; & multos Optimates aliosque in exilium egit, nec ætati nec sexui parcens.

Ecclesia apertis eum brachiis excepisset, si bona rediisset fide: & nos Legatos ejus, ut Papa Alexander fecerat, audivimus. Sed quæ dicebant, simulata erant omnia. Quocirca non credimus tuæ dignitatis esse tale negotium suscipere, multo minus tam probrosam affinitatem inire, & tam stricte conjungi cum inimico Ecclesiæ, tam fortiter ac prospere semper a te defensæ. Dabat 26 Apr. 1262.

Etiam Rex S. Ludovicus Philippi natu majoris filii sui cum Isabella ejusdem Arragoniæ Regis filia conjugium tractaverat, quod utraque pars probabat anno 1258, eodem tempore, quo hi duo Reges de mutuis juribus ac postulatis suis transigebant. Immo S. Ludovicus hoc anno 1262 usque Claromontum Arverniæ processerat hujus connubii complendi causa, cum comperit illud, quod Arragoniæ Rex inter filium suum & Man- *Du Tillet p.169. Sup. lib. 84. §.53.*

Sæcul. XIII. A.C. 1262

fredi filiam ſtatuere volebat. Tum vero Rex ſanctus declaravit, in affinem ſibi non placere, quisquis tam arctis vinculis adſtrictus eſſet Principi proſcripto & aperto Eccleſiæ hoſti. Quod edoctus Papa, S. Ludovico epiſtolam ſcripſit laudum & gratiarum plenam. Sed neutrum matrimonium omiſſum eſt. S. Ludovicus contentus erat tabulis publicis fide dignis, per quas Arragoniæ Rex declaravit, ſe filiæ Manfredi filium jungendo ſuum nihil in ſe velle recipere contra Eccleſiæ Romanæ rationes agendum. Atque iſta declaratio complurium Epiſcoporum ac Procerum teſtimoniis confirmata eſt.

Ap. Rayn. 1262. n. 17.

Invent. des ch. to. 5.

Arrag. I. p. 144.

Idcirco die Pentecoſtes 28 Maji an. 1262 Philippus Franciæ Princeps Claromonti cum Iſabella Arragonica, & 15 Junii Petrus Arragoniæ Princeps cum Conſtantia Sicula Ceſſerone nuptias fecit, quo Rex Jacobus hoc fine venerat, Papæ diſſuaſionibus præferens Siciliæ ſpem minime vanam, ut deinde videbimus.

Indic. Arrag. p. 99.

Chr. Trivet. to. 8.

Spicil.

Papa Urbanus hoc regnum S. Ludovico pro uno filiorum ipſius obtulit. At Rex ſanctus metuebat, ne injuriam vel Conradino faceret, qui legitimus ejus hæres videretur, vel Edmundo Angliæ Principi, quem priores Pontifices Maximi corona illa donaverint. Qua de re Papa

Ducheſne p. 371.

Id. p. 869.

Papa Urbanus Alberto Parmenſi Notario Nuncioque ſuo, cui hoc negotium commiſerat, ſcribens integerrimam S. Ludovici mentem ſummopere laudat; ſed illi præcipit, ut hunc ei ſcrupulum eximat, dicatque, Apoſtolicæ Sedis jus ſatis examinatum fuiſſe a Papa & Cardinalibus, qui pariter æquitatem colant, ab inferenda cuiquam injuria alieniſſimi. Recuſante Rege Albertus jubebatur Siciliam ejus fratri Carolo Andegaviæ Provinciæque Comiti offerre, cui eam novem abhinc annis Innocentii IV. nomine jam detulerat.

Sæc. XIII. A.C 1262.

Rayn. 1262. *n.* 21.

Rayn. 2253. *n.* 2.

§. XIV.

Epiſtola contra Michaelem Palæologum.

Sanctus Ludovicus Alberto Nuncio indicaverat, ſe magno teneri deſiderio ſubveniendi Imperio Conſtantinopolitano, ſcilicet Imperatori Balduino Latinisque illud recipere cogitantibus. Idcirco Papa Urbanus Regi epiſtolam ſcripſit in hanc ſententiam: Chriſtianos inter Principes ſolus Eccleſiæ mala ſincere doles, ſolus eam ſemper juvare cupis. Quapropter in ſummo mœrore, quem Conſtantinopolis jactura nobis peperit, mox oculis in te conjectis, Epiſcopum Aginenſem ad te miſi-

Rayn. 1262. *n.* 39.

Sæcul. XIII A.C. 1262.

misimus, qui tecum & cum regni tui Præsulibus hoc negotium tractaret. Hic Episcopus erat Guilhelmus Pontœsianus, antea Præfectus Charitæi, deinde Abbas Cluniacensis, anno sequente 1263. 17. Nov. mortuus, & Parisiis ad S. Martinum de Campis sepultus. Papa ad S. Ludovicum ita pergit: Sed Imperatoris Balduini, Ducis Rainerii Zenonis ac Reipublicæ Venetæ Legatorum, aliorumque complurium Romaniæ Latinorum adventus nostrum nuper dolorem acerbissime renovavit, cum hunc Imperatorem a Græcis schismaticis in æternum Latinorum dedecus ita pulsum cerneremus.

Gall. Chr. to. 2. p. 71. Bibl. Clun. p. 1665.

Itaque huic Imperio, &, quod consequitur, Terræ sanctæ, cujus emolumentum cum illo conjunctum est, festinas comparare suppetias cupimus, eo magis, quia Latini Optimates Achajæ, Moreæ, vicinarumque insularum etiamnum Domini, numerosas copias terra, & Veneti magnificam triremium classem mari possessoribus iniquis fortiter opponere parati sunt, transitum quoque cunctis auxilio venturis gratuito offerentes. Quare Andream Spoletanum Archidiaconum Paphium sacelli nostri Præfectum, cui omnia, quæ tibi viva voce dixerit, credere possis, ad te mittimus, orantes, ut præsidium tuum in Romaniæ Imperium exten-

extendas, ac Regni tui Præſules ad largum ſubſidium contribuendum ſtimules, quod per alias litteras eis injunximus, prout id Aginenſis Epiſcopus ab ipſis poſtulaverit. Dabat 5 Junii an. 1262. Sæcul. XIII. A.C. 1262.

Sub idem tempus Papa Fratrum Minorum per Franciam Miniſtro Provinciali præcepit, ut per Ordinis ſui Fratres claſſicum toto in regno contra Michaelem Palæologum cani, ſacrisque militibus eandem noxarum veniam, quæ terram ſanctam petentibus conceſſa eſſet, ac iis, qui ad conciones de bello ſacro venirent, quadraginta vel centum dierum indulgentiam promitti curaret. *ap. Rayn. n. 34. Vading. 1261. n. 17.*

§. XV.

Arſenius Palæologum proſcribit.

Interim Palæologo Conſtantinopoli quiete frui non licuit. Patriarcha Arſenius, ubi juvenem Imperatorem Joannem ab eo excæcatum eſſe audiit, præ dolore impos animi aſcendere per omnem domum ſuam ac deſcendere, ingentes edere clamores, ſuum pectus percutere, cœlum terramque appellare teſtes, totam naturam in opem vocare. Dein congregatis, qui tum in urbe aderant, Præſulibus expoſuit, Palæologum juramenta ſua violantem ipſi ac Deo illuſiſſe, quæſiitque, quid agendum eſſet, ut ne per- *Pachym. III. c. 14.*

Sæcul. XIII. A.C. 1262.

fidus impune suo e scelere fructum caperet. Non possumus connivere, addebat, ne nostro silentio id approbare videamur, ut omittam rationes alias. Præsules se horrere factum, & Patriarchæ arbitrium per omnia sequi paratos significabant. Qui omni authoritate sua contra Imperatorem Michaelem uti statuit, ac reliqui ei obsistere non audebant, quanquam summopere timebant ea, quæ hinc oriri posse videbant. Igitur in Palæologum anathema contorsit Arsenius, tam grave illi flagitium exprobrans: tantum, ut preces pro eo Clerus caneret, permisit, & ipse in liturgia eum nominare perrexit, ne ad ultimas illum angustias adigeret, majoraque acciret mala.

Palæologus censuram patienter ferens se submisit saltem in speciem; ac omissis querimoniis se solummodo, quantum potuit, excusavit, si Patriarchæ justæ indignationi aliquamdiu cederet, ac postea se facti pœnitentia teneri ostenderet, brevi se absolutum iri sperans. Igitur per plures dies modestis vestibus pœnitentis instar indutus, & interea conscientiæ suæ stimulos sentiens Patriarcham per viros probos eique amicos efflictim precabatur, ut criminis pœnitentia ductum absolveret, &, quam vellet, satisfactionem ipsi imponeret, cum factum infe-

Pachym. c. 19.

infectum fieri nequiret. Internuncii ad Patriarcham hæc Imperatoris verba retulere, addentes sua, ut Principem officiis demererentur. Sed Patriarcha eos non audiens, In sinum meum, inquiebat, recepi columbam, quæ in serpentem versa mortiferum mihi vulnus intulit. Imperator, si cum Patriarcha ipse loqueretur, rem melius succeſſuram ratus, eum sæpius adiit, oravitque, ut conveniens ipsius malo remedium admoveret. Ille verbis generalibus eum agere, quod agendum esset, jussit, peccata magnam petere compensationem asserens. Imperator, cum institisset, ut is explicaret sese, Quid igitur? ajebat: Vis, ut imperium abdicem? Simul gladium a balteo sejunctum Præsuli offerebat, ejus animum exploraturus. At mox captanti ferrum subduxit, eumque objurgans, Ergo vitam, ajebat, meam appetis? Nihilominus detecto capite ad ejus pedes abjecit in complurium præsentia. Patriarcha constanter abnuit, & cum Imperator urgere pergeret, in cubiculum se suum recipiens, ei fores præclusit. Per biennium Imperator multis eum precibus iteratis flectere nunquam potuit.

Sæcul. XIII. A.C. 1262.

§. XVI.

Sæcul. XIII.
A.C. 1262.

§. XVI.

Palæologus Papæ ſcribit.

Pach. c. 18. Interim Palæologus bene gnarus a Latinis non diu ſibi pacem fore, ſæpe ad Papam Legatos miſit & munera tum ipſi, tum quibusdam Cardinalibus, aliisque apud eum gratia florentibus deferenda. Legationem aliquam obiere Maximus Alufardus monachus, Andronicus Muzalonius, & Michael Abalantus: & in epiſtola eis tradita Palæologus Urbanum vocabat veteris Romæ Papam, ſolii Apoſtolici ſucceſſorem, ac Imperii ſui Patrem ſpiritualem. Hic Princeps præter magnum pacis & concordiæ deſiderium ſignificabat, ſe jam hac de materia Papæ mox poſt captam Conſtantinopolim ſcripſiſſe.

ap. Rayn. 1263. n. 23.

Sed vehementer mihi doluit, addebat, quod Genuenſibus propter initum mecum fœdus anathema dixeris, eosque ad hoc rumpendum adigas. Miror te Principem Epiſcoporum præferre bellum paci & amicitiæ inter Chriſtianos, Genuenſes ſcilicet ac Græcos. Deſcribebat mala grandia poſt ſuperatos a Latinis Græcos Chriſtiano illata nomini, ſacrilegia, profanata templa, ſublata divina officia. Cum vero præterita, pergebat, infecta reddi nequeant, ſaltem in poſte-

posterum removendæ sunt inimicitiæ ac offensiones: & quemadmodum id ex animo precor, si sincere idem cogites, tantum bonum res nulla impedire potest. Tuum nostri parentis munus erat, nos prævenire: & tamen prior tibi pacem offerre volui, Deum & Angelos ejus contestans, me, si eam renuas, non habiturum, quod mihi exprobrem. Modo nec dogmata, nec ritus Religionis tango. Siqua de iis controversia est, facilius post confectam pacem sedabitur. Oro demum, ut Nuncios ad me mittas pacificos vere: atque per illos tuum responsum opperior. Sæcul. XIII. A.C. 1262.

§. XVII.

Papæ responsio.

Urbanus acceptis his Palæologi litteris Nuncios pro Græcia delegit quatuor Fratres Minores, Simonem Arvernien-sem, Petrum Morasium, Petrum Cre-stensem, ac Bonifacium Eperodicum. Sed quia in remotis tunc regionibus erant, Papa tam cito, quam voluisset, eos mittere haud potuit. Præterea bellum, quod Græci Guilielmo Villarduino Achajæ Principi, cæterisque ejus provinciæ Latinis movebant, Papam cohibuit metuentem, ne Palæologus mutasset animum. Tandem an. 1263. illos ad Impera- *Rayn. n. 26. Vading. n. 2. &c.*

Sæcul. XIII. A.C. 1263.

peratorem misit cum epistola 28 Julii data, in qua magnum gaudium de officiosa ad pacem & concordiam invitatione, ac ingens ejus jungendæ desiderium significat. Illa si fieret, inquit, monstraremus tibi, quantos e sanctæ Sedis potestate fructus percipiant Principes, ejus communione ac benevolentia fruentes. Si bellum inter eos aut dissidium oritur, Romana Ecclesia tanquam benigna mater se interponit, eorum manibus arma eripit, authoritate sua eos ad ineundam pacem adigit. Catholici Reges ipsi, siqua inter eos dissensio est, aut subditi adversum eos consurgunt, hanc ad Ecclesiam mox confugiunt, ab ea consilium & opem petunt, pacem & tranquillitatem certo recipiunt. Materno pariter affectu complectitur Principes primoribus etiamnum annis regna hæreditate nactos: hos regit, hos fovet ac suis etiam, cum opus est, sumptibus tuetur ab injuriis bona aliena usurpantium. Vide, quibus in rebus tunc posita fuerit magnitudo Ecclesiæ seu potius Aulæ Romanæ!

Rayn. n. 22.

Papa pergit: Igitur ejus ad sinum si redeas, non modo Genuensium cæterorumque Latinorum suppetias, verum etiam, si res postulet, omnium Catholicorum totius orbis Regum ac Principum vi-

res

res ad firmandum tibi solium accerset. Sæcul.XIII.
Sed quamdiu obedientiæ detrectatio te A.C.1263.
a sancta Sede disjunctum tenebit, salvo officio nequimus permittere, ut vel Genuenses, vel alii quicunque Latini auxilium tibi ferant. Templorum direptiones, cæteraque hujusmodi facinora nemo prudens omnibus Latinis tribuit, sed adscribenda sunt prædonibus privatis, vel potius iis, qui per schisma suum hæc mala accivere. Quia vero pax non foret solida, nisi niteretur in fide, non debebas illam ante dogmata & ritus religionis poscere. Omnis pax, & omnis concordia inter adjectiva sunt, quæ ab illo substantivo pendent. Sic ætas illa loquebatur gravissimis in negotiis. Sed, quod notatu dignius est, secundum hanc Papæ ratiocinationem Christiani cum gentibus diversæ religionis nunquam pacem firmam possent conficere: id quod provenit ex ambiguitate vocabuli *fides*, quod modo pro assensu veritatibus a Deo apertis debito, modo pro fidelitate in fœderibus præstanda sumitur. n. 35.

§. XVIII.

Alia Palæologi epistola.

Antequam Palæologus hoc responsum acciperet, alias ad Papam Urbanum litteras scripsit hunc in modum. Vestri, nostri- *Rayn.* 1264. n. 58.

Sæcul. XIII. A. C. 1263.

noſtrique anteceſſores ſæpe Legatos ſibi mutuo miſerunt, ut Eccleſias reconciliarent: ſed hi operam ludebant, quia proxime ſe invicem explicare non poterant, interpretes rudes adhibere coacti. Anno autem præterito, ſalutis 1262, regiminis noſtri quarto Nicolaus Epiſcopus Cortonenſis nos adiit, ut eum rogaveramus, perbene guari, eum origine Græcum, & in Romana Eccleſia educatum utriusque Eccleſiæ doctrinam perfecte noſſe. Igitur eam græce nobis expoſuit, ſicut eam tradidere Patres Latini, nempe ſummi Pontifices Silveſter, Damaſus, Cœleſtinus, Agatho, Adrianus, Leo Magnus, & junior, Gregorius in Dialogis; Epiſcopi Hilarius Pictavienſis, Ambroſius Mediolanenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Hieronymus, Fulgentius, cæterique. Et nos hanc doctrinam invenimus eſſe conſentaneam doctrinæ noſtrorum Patrum, Athanaſii Alexandrini, Baſilii Cæſareenſis in Cappadocia, Gregorii Theologi, Gregorii Nyſſeni, Joannis Chryſoſtomi, duorumque Cyrillorum. Quapropter reconciliationis revera cupidi hunc ad vos Epiſcopum legamus, orantes, ut nobis eum celeriter remittatis non ſine Legatis veſtris, ut hoc grande opus conſummetur.

n. 61.

Videmus hic Patres tam Græcos quam Latinos a Græcis maximi æſtimatos. Papa demum anno ſequente 22 Junii reſponſum

sponsum dedit, in quo Imperatorem ad concordiam tam probe affectum esse magnopere gaudet, ac Episcopo Cortonensi, quem ad eum remisit, duos Fratres Minores, Gerardum Pratensem, atque Rainerium Senensem tanquam suos Nuncios adjunxit. Sæcul XIII. A. C. 1263.

Hujus negotii successum expectans Papa non omittebat de sumptibus belli ad reponendum in solio Balduinum necessariis providere. Quocirca duos in Angliam Nuncios misit Leonardum Berardumque, qui post festum divinæ Triadis diem 27 Maji Westmonasterii magnum Episcoporum Clerique conventum habuere. Negabant omnino se velle quidquam ad eam rem contribuere tum propter dissidium inter Regem ac Proceres Angliæ, tum ob annonæ caritatem ex sterilitate agrorum ortam, debere se suo potius Regi, sibique ipsis, quam Principi extero consulere causati. Etiam Clerus Franciæ pecuniarium ad recuperandam Constantinopolim subsidium detrectavit: ut docent reprehensiones ideo provinciis Remensi, Senonensi, ac Bituricensi a Papa factæ. Abnuerunt illud pariter Castellæ ac Legionis Præsules.

Matth. Westmon. p. 382.

Rayn. n. 19. 20. 21.

Sæcul. XIII.
A. C. 1263.

§. XIX.

Subsidium pro terra sancta.

Galliæ Præsules ad subsidium pro Palæstina non tam difficiles se præbebant. Bibartius Bondocdarus Sultanus Ægyptius Mammeluchorum quartus hoc anno 14 Aprilis cum tricies mille equitibus Ptolemaidem delatus, combustis postridie hortis usque ad portas urbis processit, quæ magno in periculo erat. Incursus causa fuit, quod Hospitalarii Templariique quædam mancipia Sultano secundum pacta reddere recusarent, quamvis ipse restituere, quæ debebat, vellet. Eodem mense Saraceni cœnobium Bethlehemicum diruerunt. Propter hos nuncios Papa Urbanus S. Ludovico fusam epistolam lamentis plenam scripsit, in qua refert, Sultanum Babylonium, nempe Ægyptium, contra pactionum fidem numeroso cum exercitu venisse, inter montem Thabor & Naim posuisse castra, omnemque regionem usque ad portas Ptolemaidis occupasse. Immo etiam templum Nazarenum, in quo SS. Virgo ab Angelo salutata de Spiritu Sancto concepisset, ex odio Christiani nominis subrutum solo æquasse. Templum in monte Thabor, ubi Christus se transformasset, ac post suum ad vitam reditum se discipulis spectandum

Bibl. Orien. p. 204.
Sanut. p. 221.
ap. Rayn. n. 2.
n. 7.

dum dediſſet, demolitum eſſe. Hæc lo- Sæcul.XIII.
corum ſanctorum everſio notanda eſt pro A.C.1263.
ſerie hiſtoriæ. Papa litteras finiit exhor-
tando Sanctum Ludovicum, ut celeres in n. 11.
Palæſtinam ſuppetias mitteret, eo quod
Sultanus ſe verno tempore reverſurum
minatus eſſet. Dabat 20 Auguſti.

Hoc fine Archiepiſcopum Tyrium ut to. 10. cont.
Legatum ſuum in Galliam miſit: & o- p. 824.
ctavo S. Martini die, ſeu 18 Nov. 1263 Join. obſer.
Pariſiis conventus agebatur, in quo ſta- p. 568.
tutum eſt, quod ſequitur. Legatus Regi
tradet, quas attulit, legendasque curavit,
litteras de centeſima parte proventuum
ſacrorum in bonum Palæſtinæ colligen-
da, nec illas adhibebit amplius contra il-
los, qui Præſulum mandato paruerint,
quod eſt tale: Præſules non ob Papæ lit-
teras, nec per vim ullam, ſed ſponte ac
libenter tam pro ſe, quam pro Clero ſuo
terræ ſanctæ decreverunt ſubſidium vi-
ginti ſolidorum in centum libras: ad
quod neminem poteſtas profana coget,
ſed Præſules ſuæ quisque diœceſis Cle-
rum per eccleſiaſticas cenſuras adigent.
Parochus aliusve, cujus reditus duode-
cim libras Pariſinas non excedit, nihil pen-
det, ni ultro volet. Hæc penſio durabit
quinquennio, ac dimidium ejus primum
feſto S. Joannis die, alterum Chriſti na-
tali exſolvetur. Canonici de quotidianis
diſtributionibus ſuis nihil dabunt, dum-

Sæcul. XIII. A. C. 1263. modo ex communi Collegii ærario feratur subsidium.

§. XX.

Propositio S. Ludovico a Clero facta.

Joinv. p. 13. observ. p. 40. 368. Gall. Chr. to. 2. p. 301. Ad hunc Clerici Gallici conventum Parisiis celebratum referri potest propositio universis a Præsulibus S. Ludovico facta teste Jonavillæ Domino ibi præsente. Antisiodorensis Episcopus, qui rem denunciabat, erat Guido Mellotensis, illam sedem ab anno 1246 possidens. Is ad S. Ludovicum, Augustissime Princeps! inquiebat, cunctorum Præsulum nomine tibi dico, te religionis interitum permittere. Rex his verbis territus formato crucis signo, Episcope! inquiebat, cur ita loqueris? O Rex! subdebat Guido, nulla jam anathematum ratio habetur: nemo Ecclesiæ satisfacit: placet potius proscriptum mori. Quamobrem una omnes voce propter Deum, & quia id nostri muneris est, oramus, ut omnes tuos Prætores, Præsides, aliosque justitiæ Præfectos jubeas quemlibet, qui per annum ac diem proscriptus manserit, ipsius bona occupando ad efflagitandam absolutionem adigere. Rex ad ea retulit, se hoc libentissime imperaturum de illis, quos

quos Ecclesiæ vel proximo injuriam intulisse comperirent Judices. Sed ad hos non pertinet, reponebat Episcopus, rerum nostrarum cognitionem capere. Et Rex negabat, se id aliter facturum. Perperam enim agerem, addebat, si ad rogandam suppliciter absolutionem compellerem illos, quos non auditos Ecclesiastici injuria afficerent. Exemplum habetis in Britanniæ Comite; qui, quamvis proscriptus esset, cum Præsulibus provinciæ suæ septem annis litigans tam bene causam defendit suam, ut denique Papa pro eo contra illos pronunciaret. Jam, si primo eum anno adstrinxissem, ut se absolvendum curaret, fuisset coactus Præsulibus id cedere, quod ab ipso inique postulabant: qua in re Deum & Comitem graviter offendissem. Præsules, quod huic Regis responso opponerent, non habebant.

Sæcul XIII. A.C.1263.

Sup. Lib. 81. §. 6.

§. XXI.

Concilia Burdigalensia.

Cleri hac de materia regulas indicant duo ejusdem temporis concilia, quorum utrumque in provincia Burdigalensi Archiepiscopus Petrus Roncevallius & primum quidem Connaci anno 1262 sui Pontificatus primo celebravit. Ibi hæc leguntur verba: Quos Dei timor a malo

to. 11. *p.* 820.

c. 3.

Sæcul. XIII. A. C. 1263.

non cohibet, illos pœna temporalis coërceat, oportet. Quapropter volumus, ut Barones cæterique, qui jurisdictionem profanam habent, per censuram ecclesiasticam cogantur proscriptos ad repetendum Ecclesiæ sinum ipsorum bona suæ potestati subjecta occupando vel alia ratione compellere. Alterum Concilium hoc anno 1263 convocatum præcipit, ut is, qui anathema per anni spatium toleraverit, hæreticus censeatur ac denuncietur: id quod eo spectabat, ut ille pœnis temporalibus per leges contra hæreticos statutis addicatur. Mandat etiam, ut quivis Parochus chartam teneat proscriptorum nomina continentem, ex qua eos denunciare possit, prout ipsi Judex injunxerit. Adhæc imperat, ut ne in mortis quidem articulo quisquam censuris exsolutus credatur, nisi de absolutione illius per litteras Judicis, qui ei censuram irrogarit, constet.

p. 823. c. 2. c. 6. c. 1. 7.

§. XXII.

Papa in declarando Imperatore Romano identidem tergiversatur.

Imperium Germaniæ etiamnum vacabat ab obitu Friderici, nempe amplius annis duodecim: & duo competitores, Alphon-

phonſus Caſtellæ Rex ac Richardus Cornubiæ Comes urgebant Papam, ut ſententiam ferret, utrius electio eſſet potior. Cum Archiepiſcopus Moguntinus exeunte anno priore comitia Electoribus indixiſſet ad ineunda rurſum ſuffragia, quidam Conradinum, ſeu Conradum adoleſcentulum Imperatoris Friderici nepotem cogitabant eligere. Sed Papa per Regem Bohemiæ rem edoctus inhibitionem, ne Conradinus cooptaretur, ſex abhinc annis ab Alexandro IV. factam repetiit, alioquin electionem fore irritam, ac Electores proſcriptum iri afferens. Scribebat 3 Junii 1262.

Sæcul. XIII. A. C. 1263.

Rayn. 1262. *n.* 5.

Sup. lib. 84. §. 28.

Rayn. 1263. *n.* 38.

Hoc anno 1263 Rex Alphonſus imperatoriæ coronæ obtinendæ cupidus ſe denuo Papæ hunc in finem magnopere commendabat. Sed Urbanus, antequam cauſam penitus dijudicaret, partibus titulos aſſignaturus, auditis earum rationibus 7 Auguſti diploma edidit, quo declarat ſe ſtatuiſſe, utrumque in litteris ſuis electum Romanorum Regem appellare ſalvis amborum juribus. Scilicet Alexandri anteceſſoris ſui exemplo hanc magnam litem per transactionem partium dirimi cupiebat. Verum hanc diu oppertus, cum eas adduxiſſet, ut Eccleſiæ Romanæ judicio rem permitterent, per Nuncios eis ſignificavit, ut anno ſe-

n. 40.

n. 48.

n. 51. 52.

Sæcul. XIII. A. C. 1263.

quente 1264. secundo Maji coram ipso comparerent: sicut docent ejus litteræ Urbe Veteri ultimo Augusti anno 1263 datæ: annoque proximo rursus id distulit in anni futuri diem S. Andreæ sacram. Sed vitam usque eo non produxit.

Id. 1264. *n.* 37

§. XXIII.

Acta contra Manfredum.

Rayn. 65. *Anon. Sic. p.* 859.

In Italia Manfredus magnis identidem virium incrementis auctus, adjunctis sibi Senensibus, Pisanis, & maxima Hetruriæ parte, in ipsam Marchiam Anconitanam aliasque status Ecclesiastici terras procedebat. Igitur Papa non diutius ei parcendum ratus, primum die Cœnæ Domini, 29 Martii coram multitudine hominum (ut cunctis ex gentibus Christiani solenni hoc die ad sanctam Sedem adesse solent) illum ad dicendam causam advenire jussit, & tabulas hoc imperium continentes portis templorum Urbis Veteris, ubi residebat, affigi voluit. Ibi Manfredo primum Augusti præstituit, quo per se ipsum, aut per procuratorem compareret Apostolicæ Sedi satisfacturus pro multis rebus, scilicet pro Ariana urbe suo jussu per Saracenos funditus eversa; pro necatis tribus viris nobilibus, pluribusque aliis; pro contemptis censuris

ris ecclesiasticis, contra quas divinum of- Sæcul XIII.
ficium per annos plures coram se peragi A C. 1263.
curaret, de hæresi se suspectum reddens;
pro Sicilia intolerandis exactionibus op- *Chr. Mar. Spinelli.*
pressa; pro consuetudine cum Saracenis,
quos apud se teneret, atque Christianis
præponeret. Ac verum est, eum ab an-
no 1260 quam plurimos in Italiam vo-
casse.

Manfredus, etsi rem non certo autho-
re aliquo, sed publico rumore comperis-
set, nolebat tamen Papæ de contumacia
se accusandi occasionem dare, misitque,
qui præscripto die ipsius excusationes pro-
ponerent. Papa auditis ejus nunciis ne- *Rayn. n. 67.*
gotium usque in octavam S. Martini diem
seu 18 Novembris distulit. Imminente
die Manfredus per alios ei significavit,
se coram responsurum securitatem, & sta-
tus Ecclesiastici terras cum comitatu di-
gnitatem suam decente intrandi copiam
petere. Papa consensit, ut ille ad sum-
mum octingentos homines, e quibus cen-
tum solummodo armati essent, ac septua-
ginta equos adduceret, octoque dies in
terris Ecclesiæ moraretur. Nequid ultra
fieret, sub anathematis pœna prohibuit;
duosque nuncios, qui Manfredi hac de re
juramentum exciperent, misit, ut liquet
ex ejus epistola 11 Nov. scripta. At *n. 73 75.*
huic negotio effectus defuit, sicut exhor- *Rayn. 1264.*
tationibus & minis, quas Papa Senensi- *n. 1.*

Sæcul. XIII. A.C. 1263.

bus & Pisanis fecit, ut eos a partibus Manfredi sejungeret. Exeunte anno Siciliam interdicto affecit. Sed Manfredum ac sectatores ejus censuras explodere, hasque in damnum religionis vertere videns, initio sequentis anni 1264 interdictum temperavit permittendo, ut sacrum sine cantu fieret, ac in templis Sacramenta obseratis foribus excluſisque proscriptis administrarentur.

Interim Papa cum Carolo Andegaviæ ac Provinciæ Comite de Siciliæ corona agere pergebat, ab Anglorum Rege in proprio se regno tuendi curis nimiis occupato nihil expectans amplius. Quapropter in Galliam misit Bartholomæum Pignatellum Archiepiscopum Consentinum, hominem bellica laude, quam religionis studio clariorem, qui, cum a Manfredo diffidens ad Innocentium IV se recepisset, ab hoc Papa Metropolitanæ sedi Amalphensi an. 1254 impositus, ac post septem menses Consentiam translatus erat. Deinde a Papa Alexandro cum copiis in Calabriam Manfredo arma illatum missus, sed proditus relicta ipsa diœcesi sua redire ad Papam coactus fuerat. Talis erat Archiepiscopus Consentinus, qui an. 1263 Urbani IV nomine Regem S. Ludovicum stimulabat, ut Carolum fratrem suum ad Siciliam bello comparandam adjuvaret. Pignatellus etiam jussus erat

Rayn. 1263. *n.* 78. *Ughel. to.* 9. *p.* 294. *to.* 7. *p.* 296.

er. t Regi Angliæ ſuadere, ut Siciliam pro filio ſuo Edmundo poſtulare deſiſteret. Sæcul.XIII. A. C. 1263.

§. XXIV.

S. Ludovicus Angliæ arbiter.

Papa inſuper peculiarem in Angliam Legatum miſit Cardinalem Guidonem Fulcodium Epiſcopum Sabinenſem, qui pacem inter Regem ac Proceres conciliaret. Ferebat complura diplomata an. 1263. 22 Novembris diebusque ſequentibus data, & habebat poteſtatem non modo cenſuris in rebelles utendi, ſed mandandi etiam, ut ſacrum bellicum contra eosdem caneretur: hoc enim remedium cunctis malis gravibus adhiberi ſolebat. Cum Urbanus ſimul Regi S. Ludovico ſcripſiſſet, ut civili Angliæ bello ſedando navaret operam, hic Princeps tam efficacem dedit, ut Rex Henricus ac Proceres eum cooptarent arbitrum. *Rayn. 1263. n. 83. 84. &c. conc. prov. Narb. app. p. 169. &c.*

Compromiſſum Dominica poſt feſtum S. Luciæ decima ſexta Decembris anno 1263 Vindeſoriam delatum petebat, ut Rex Ludovicus ante Pentecoſten ſententiam ferret ſuam, qui hoc tempus non expectavit. Partes Ambianum accerſiit, quo Rex Henricus ipſe, multique Proceres ſe contulere. Ea, quæ utrimque proponebantur, audiebat & examinabat ſedulo, præſertim præſcriptionem anno 1258 *Spicil. t. 12. p. 588. Matth. Par. p. 850. N. Weſt. in p. 384.*

Sæcul. XIII. A.C. 1264.

Sup. lib. 84. §. 52.

1258 Oxonii factam, in qua vidit multum dignitati ac juri regio derogatum esse, ob eamque pactionem turbatum regnum, depressas Ecclesias, perpetratas direptiones, damna gravia multis indigenis exterisque illata fuisse; paucis: inde grandia fluxisse mala, & majora in posterum timenda esse. Tum Galliæ Proceribus pluribusque aliis viris probis in consilium adhibitis sententiam suam arbitrariam dixit, per quam præscriptum Oxoniense, præcipue cum a summo Pontifice jam fuerit antiquatum, sustulit; Regem ac Barones Angliæ ab omnibus iis, quæ per illas tabulas promisissent, absolutos ac liberos declaravit, & singula in statu pristinum restitui jussit. Ita pronunciavit 23 Jan. an. 1263 scilicet 1264 ante Paschа. Hoc exemplum illustre docet, quanta existimatione justitiæ sapientiæque Rex S. Ludovicus apud exteros floruerit.

Joinville p. 12.

Justitiam populo suo administrari magnopere curabat, & præter jurisdictiones ordinarias exerceri prope se volebat illas, quæ dicebantur Judicia portæ, unde venerunt Cognitiones libellorum supplicum. Tres vel quatuor erant Proceres, qui ejus jussu hanc faciebant functionem, hujusque rationem ei postea reddebant. Æstivo tempore, postquam divino sacrificio interfuerat, sæpe ambulatum ibat ad nemus Vincenianum, ibique ad quercum con-

consîdens hos Proceres sibi assidere jubebat. Tum omnes illi, qui habebant negotium, ei locutum veniebant: nec satellitum quisquam vel alius arcere illos poterat. Rex maxima suæ vocis contentione quærebat, an aliquis causam vellet dicere: & quosdam Proceres, qui rem expedirent, vocabat. Sed siquid in orationibus Advocatorum carpendum censuit, ipse humaniter eos reprehendebat. Interdum eis aures præbebat in horto Regiæ Parisinæ, ubi hodie forum Delphini est. Dominus Jonavillæ, qui hæc omnia refert, inter hos Judices portæ frequenter erat. Sæcul. XIII. A. C. 1264.

§. XXV.

Continuatio rerum Siciliæ.

Eodem anno 1264 Papa Simonem Briensem Cardinalem S. Cæciliæ in Franciam ut Legatum misit, qui a Clero decimam pro bello contra Manfredum peteret, atque cum Carolo Andegaviæ Comite ageret de conditionibus, quibus is Siculum regnum acciperet, a Papa inaugurandus. Mandatum Urbanus dederat 25 Aprilis: & 3 Maji S. Ludovico per litteras ob oculos posuit periculum religionis in Italia propter bellum, quod ibi Manfredus gereret de consiliis cum Andegaviæ Comite agitatis edoctus. Plurium *Rayn.* 1264. *n.* 9. 10. *n.* 13.

Sæcul. XIII. A.C. 1264.

rium Ecclesiarum cathedralium, ait ille Papa, pluriumque cœnobiorum possessionem occupavit, ubi protegit intrusos: alia, prout animo lubet, aliis tanquam beneficia fiduciaria confert, illorum reditus in suam rem vertens. Interea pullulant hæreses per totam fere Italiam; catholica fides deprimitur; minuitur servitium divinum; libertas & jura ecclesiastica calcantur pedibus; Præsules atque Clerici mittuntur in exilium, mutilantur, perimuntur; loca Deo sacra suis spoliata bonis convertuntur ad usus profanos: Sacerdotes aliqui in locis interdicto affectis officia divina peragere, & Sacramenta proscriptis administrare coguntur.

Papeb. con. p. 47.

Huc pertinet illud, quod Matthæus Spinellus refert, qui sequente autumno ad exercitum Manfredi se contulit. Tertio Septembris 1264 venerunt tres viri nobiles a Neapolitanis missi Regi supplicatum, ut pacem cum Papa jungeret, eo quod urbs anathemate perculsa maneret, & Archiepiscopus sacrum fieri nollet. Rex, Bellum, inquiebat, non geritur mea sed Papæ culpa, e regno pellere me cupientis. Mittam Neapolim trecentos Saracenos per vim facturos, ut res divina conficiatur. Sacerdotes ac monachos, qui mandatum abnuerint, in triremi ad me mittite! Ad ea Nuncii: Domine! noli mittere

tere Saracenos! Neapolis eos non recipiet. Tum Manfredus ira excanduit. Sæcul.XIII. A.C.1264.

§. XXVI.

Divinum monitum Julianæ Cornillomontanæ datum.

Interea dum Papa de bello contra Manfredum cogitabat, non omisit SS. Evchariſtiam feſta religione ac ceremonia colendam præcipere, qua illam hoc primum anno 1264 die Jovis poſt octavam Pentecoſtes 19 Junii coluit. Res ab origine cauſisque primis eſt exponenda. Cum ille Leodii Archidiaconus eſſet, ſingulariter noverat ſanctam virginem aliquam nomine Julianam religioſam hoſpitalariam Cornillomontii prope unam portarum urbis. Juliana per omnem vitam ſuam SS. Altaris Sacramentum peculiari pietate venerabatur: & ab anno ætatis ſuæ ſexto decimo, hujus ſeculi octavo, quotiescunque ſe ſacris impendebat precibus, lunam plenam ſed modico nævo affectam cernere ſibi videbatur. Hæc imago ſe illi ſic exhibebat, ut eam impedire non poſſet: id quod longo duravit tempore. Tentationem eſſe rata multas fudit preces, ut ab ea liberaretur. Poſtea, quid illa ſpecies indicaret, quærenti dictum interius eſt: Luna Eccleſiam ſignificat, nævus

Boll. to. 9. p. 437.

p. 459.

Sæcul. XIII. A C. 1264.

vus omissionem festi ad honorandam SS. Evchariſtiæ institutionem singulis annis celebrandi. Hoc tu festum incipere, hoc agendum annunciare prima debes.

Juliana quamvis hoc sibi a JESU ipso dictum crederet, diu tamen renuit, tanti momenti negotium quibusdam Doctoribus in Ecclesia authoritatem habentibus melius convenire causata. Denique post annos viginti cedens, rem primum Joanni Lausannensi Leodii ad S. Martinum Canonico eximiæ virtutis homini aperuit, ut tecto ipsius nomine optimos Theologos hac de re consuleret, orans. Quam ille totam detexit Jacobo Pantaleoni tunc Leodiensi Archidiacono, qui dein Papa Urbanus IV erat, Hugoni a S. Charo, tum Ord. Præd. Magistro Provinciali, qui postea Cardinalis evasit, Guidoni seu Guiardo Laudunensi Episcopo Cameracensi, Cancellario Ecclesiæ Parisinæ, tribus Theologiæ Professoribus id temporis Leodii docentibus, pluribusque aliis doctis probisque viris. Censebant omnes, æquum ac Ecclesiæ salubre fore SS. Evchariſtiæ institutionem solennius quam antea celebrare. Juliana rei secura officium de Sacramento Altaris confici curavit per quendam Religiosum ejusdem domus Joannem nomine, juvenem parumque eruditum, sed purissimæ vitæ hominem.

Divul-

Divulgato hujus festi consilio plures Ecclesiastici opponebant, id esse supervacaneum; Evchariſtiæ institutæ memoriam quotidie in sacro fieri; Julianæ visiones esse deliria. Verum Robertus Torotius Episcopus Leodiensis aliter judicans an. 1246 per litteras universo suæ diœcesis Clero inscriptas SS. Corporis Christi festum quotannis die Jovis post octavam divinæ Triadis agi, & pridie jejunium coli jussit. Hoc decretum in sua synodo edicere statuerat; sed mors eum prævenit eodem anno 16 Octobris. Anno sequente 1247 Canonici ad S. Martinum id festum primi celebrarunt. Hugo a S. Charo, qui Ordinis Prædicatorum Magistrum Provincialem agens hujus festi consilium approbaverat, factus Cardinalis tit. S. Sabinæ ac Pontificius in Germania Legatus, cum Leodii esset, officium de SS. Evchariſtia monstratum sibi ac probe examinatum æqui bonique fecit. Immo ut exemplum præberet, festum novum ad S. Martinum de Monte celebrans ad frequentissimum ibi populum hac de re dixit, & sacrificium solenniſſimo ritu peregit. Tum ad cunctos Præsules omnesque Christianos per spatium legationis suæ litteras dedit, in quibus festum SS. Sacramenti singulis annis die Jovis post octavam Pentecostes agi jubet, Christianosque admonet, ut ad illud

Sæcul. XIII. A.C. 1264.

Chapeav. c. 6.

Boll. p. 442.

Chap. c. 8.

Sæcul. XIII. A.C. 1264.

ita se præparent, ut eo die sacram communionem digne accipiant. Scripsit 29 Decembris an. 1252. Biennio post Cardinalis Petrus Capocius itidem Legatus Leodii commorans simile mandatum edidit.

c. 9.
c. 10.

Henricus Geldrus in Leodiensi Episcopatu Roberti successor belli quam religionis studio magis assueverat: ejusque tempore in diœcesi tanta erat morum licentia, ut multi e Clero contra novum festum & Julianæ visiones declamarent, eamque vexatam Leodium relinquere cogerent. Illa naturæ concessit an. 1258. 5. Aprilis, eaque in regione ut beata colitur. Habuerat amicam singularem Evam nomine Leodii cella clausam prope S. Martini, & Papæ Urbano, cum ibi ageret, pariter notam. Hæc postquam eum ad sanctam Sedem evectum audiit, Canonicorum aliorumque virorum pro novo festo stantium opera sibi utendum censuit, qui Episcopum Henricum orabant, ut Papæ hac super re scriberet: atque hoc est, quod eum permovit, ut hoc festum totam per Ecclesiam celebrari juberet.

Boll. p. 442. 443.

§. XXVII.

Festum SS. Corporis Christi.

Hoc præstitit per diploma cunctos ad Præsules scriptum, in quo primum institu-

institutionem SS. Evchariſtiæ refert, poſtea in conſiderationem hujus myſterii excurrit. Ad rationes indicendi feſtum veniens, easdem adhibet, quas Epiſcopus Leodienſis ac Legatus Hugo in epiſtolis ſuis memoraverant. Earum ſummam habe! Etſi quotidie in ſacro inſtitutionis hujus Sacramenti memoriam renovemus, ſolennius tamen ſaltem ſemel quotannis celebrandam ducimus, præſertim hæreticos in ruborem dandi gratia. Nam die Cœnæ Domini Eccleſia eſt occupata reconciliando pœnitentes, conſecrando chriſma, lavando pedes, aliaque obeundo munia, quæ obſtant, ne venerando huic myſterio ſe totam impendat. Sic tametſi Sanctorum memoriam in litaniis & ſacrificiis ſæpe renovet, haud omittit eos certis anni diebus peculiari cultu proſequi, ac ſocordiam tunc forte admiſſam ſupplendi cauſa inſtituit feſtum Sanctorum Omnium, quo univerſos ſimul honoret.

Sæcul. XIII. A.C. 1264.

To. XI. conc. p. 817.

Et vero, cum quondam minore munere fungeremur, comperimus Deum quibusdam animabus catholicis aperuiſſe, hoc feſtum toti Eccleſiæ generatim eſſe agendum. Quamobrem præcipimus, ut primo die Jovis poſt octavam Pentecoſtes Chriſtiani pie in templa conveniant, ibi divinas cum Clero laudes canturi. Vos exhortabimini populos, ut per rectam confeſſionem, per ſtipem, ac preces cætera-

Sæcul. XIII. A. C. 1264.

que pietatis exercitia ad hoc festum & ad divinum epulum digne accipiendum se præparent. Atque incitamenti gratia transigendos in pœnis dies centum remittimus Christianis, qui matutinis diei psalmis adfuerint, totidem pro sacrificio, totidem pro vespertinis precibus pridie cantatis, totidem pro secundis; pro prima, tertia, sexta, nona & completorio, ut vocamus, quadraginta dies, & pro integro cujusque intra octavam diei officio dies centum deducendos de pœnitentia, quæ illis injuncta fuerit. Nota, hoc in diplomate nec jejunii pridie festum servandi, nec supplicationis publicæ, nec exponendi SS. Sacramenti mentionem fieri.

to. II. conc. p. 817.

Papa hoc diploma singulariter Evæ Leodii cella clausæ mittebat cum epistola 8 Sept. 1264 scripta, in qua dicit: Factum est, quod tantopere desideraveras: institutum est sacrosancti Corporis Christi festum. Id universis cum Præsulibus, qui circa nos fuere, declaravimus, & mittentes tibi codicem hujus festi officium continentem volumus, ut, quotquot cupierint, homines id describere libenter patiaris. Hoc est officium SS. Sacramenti a S. Thoma Aquinate Papæ jussu compositum, quod etiamnum dicimus. Verum, quia Papa Urbanus hoc ipso anno vitam edidit, hujus festi celebratio annis

nis quadraginta & amplius interrupta fuit. Sæcul XIII. A.C.1264.

§. XXVIII.

Concilia Nannetanum & Parisinum.

Vincentius Archiepiscopus Turonensis hoc anno 1264 die Martis post festum S. Petri, nimirum 1 Julii suum concilium provinciale Nanneti habuit. Novem ibi canones promulgabantur. Præsules ac Patroni nemini promittant beneficium nondum vacuum: Vicarii non constituantur præterquam in casibus, in quibus id a jure permittitur. Nemo a Clericis portorium exigat pro rebus, quas non mercimonii causa vehi curant. Qui habet beneficium animarum cura præditum, ibi resideat; &, quod consequitur, si aliud ejusmodi beneficium obtinet, primum amittat. Clerici, præsertim Sacerdotes ac Religiosi venatu se non exerceant. Monachorum numerus in Prioratibus non diminuatur. Præsulibus, cum provinciam lustrant, duo tantum cibi apponantur. *to.11. p.726.* *can. 1.* *4.* *7.* *6.* *3.* *c. 2.* *c. 5.*

Eodem anno postridie festum S. Bartholomæi nempe 26 Augusti Parisiis quoque concilium agebatur, in quo Legatus Simon Brienſis Cardinalis S. Cæciliæ *to.11. p.828*

Sæcul. XIII. A. C. 1264.

præsidebat. Rex S. Ludovicus veteri ac generali juramentorum abusu & blasphemiarum peste regnum suum speciatim occupante graviter commotus, eamque radicitus extirpare serio cogitans cum Legato consilium iniit, cujus & sua authoritate hunc conventum ex Præsulibus Proceribusque collegit. Legatus sermonem nervosum habuit, cui Rex pro suo religionis studio piam exhortationem junxit solidis & clare expositis rationibus fultam. Tum ex universi cœtus sententia decretum edidit severissimum, quod toto in regno promulgatum etiam executioni mandari voluit. Nam cuidam civi Parisino, qui nefarias in Cœlum voces evomuerat, candente ferro labia notari jussit, ut exemplum statueret: ac plures viros sapientes, quales profanis quidem hominibus videbantur, id carpere audiens, Vellem, ajebat, similiter esse signatus, & hanc deformitatem per omnem vitam meam ferre, dummodo istud vitium e regno meo prorsus exterminatum esset. In hoc ipso conventu Legatus a Clero gallico decimam obtinuisse creditur, sine qua Carolus Andegaviæ Comes expeditionem in Siciliam suscipere recusabat, & hoc cum Principe conditiones constituit, quibus is ut Rex Siciliæ inauguraretur.

Guisr. Bellovac. c. 22. Duchesne p. 459.

Joinv. p. 120.

to. 9. Spicil. p. 716.

§. XXIX.

Sæcul.XIII.
A.C.1264.

§. XXIX.

Cypriorum perversitas.

Papa Urbanus comperit in Cypro insula præsertim Nicosiæ regni metropoli Christianos tam Clericos, quam laicos atrocia scelera, blasphemias sæpe ob lusum aleatorium, sortes magicas, adulteria, aliasque impuritates execrabiles committere; & Archiepiscopo canonicas sontibus pœnas irroganti Prætorem seu Administratorem regni obsistere. Is erat Hugo Licinianus, qui, quamdiu Rex cognatus ejus minor annis erat, Cyprum gubernabat. Perhibebat, horum criminum castigationem ad se pertinere, & Archiepiscopum domesticos tantum Clericosque suos corrigendi jus habere. Per hanc controversiam de jurisdictione scelera manebant impunita, abibant in consuetudinem, ac indies multiplicabantur. Demum insuper habito Alexandri IV. præscripto Græci Syrique in Cypro Archiepiscopo Nicosiæ Latino parere nolebant, & seorsum agebant conventicula. Papa Urbanus Liciniano de his omnibus Archiepiscopi querelis cum emphasi scripsit, ni suum ei jus tribueretur, se censuras ab hoc Præsule pronunciatas confirmaturum asserens. *Rayn.66.*

Sæcul. XIII.
A. C. 1264.

§. XXX.

Patriarcha Arsenius accusatur.

Imperator Michaël Palæologus a Patriarcha Arsenio duos abhinc annos proscriptus hanc conditionem suam diutius ferendo non erat. Absolutionis per mansuetudinem obtinendæ viis omnibus tentatis, Præsulem flecti posse desperans, se de illo vindicare statuit. Nolebat tamen potestatem suam, vel apertam vim adhibere, sed judicio saltem in speciem canonico exauthorandum curabat. Convocatis proin Præsulibus, Imperii curæ, ajebat, hominem totum postulant. Ego autem ingenium liberum habere nequeo, quamdiu Patriarcha hac me censura ligatum tenet. Redigit me ad id, quod fieri non potest, cum res in statum pristinum restitui nequeant, & ille malo jam facto mederi nolit. Non modo nulla charitatis officia mihi præstat, quibus ad pœnitentiam me adducat, sed & illa respuit, quæ ego exhibeo me submittens pœnis omnibus, quas vel durissimas mihi irrogabit: ad desperationem adigere me velle videtur. Oblique mihi significat, deponendum mihi esse imperium, agendumque hominem privatum. At non video, cuinam id expediret. Imperio haud prodesset, quia ille, qui ad id destinatus

Pachym. lib. 4. c. 1.

Gregoras lib. 4. c. 4.

natus erat, regnando par non est, nec erit unquam. Et quod ad peculiares meas rationes attinet: quæ mihi fiet sponsio, me post abdicationem meam victurum in pace? quæ securitas pro conjuge ac liberis meis? Qui semel supremam exercuit potestatem, haud facile eam ita exuit, ut se non exponat periculo. Imperator in loco multorum odiis objectus est sibi tantum in speciem fidelium: quid hi facient, dum nullus eos cohibebit metus? Denique Ecclesia certas pœnitentiæ regulas statuit, secundum quas cum hominibus privatis agitis: num illa pro Imperatoribus alias habet? Si leges hac de re vos deficiunt, Ecclesiis aliis non desunt: eo confugiam: ibi remedium, quod quæro, inveniam. Volebat dicere, se Papæ opem imploraturum: quod minandi genus Episcopis Græcis terrificum erat. Sæcul. XIII. A.C. 1264.

Et vero auxilium Imperatori ferre decernebant. Qui rursus alium atque alium deprecatorem, præsertim suum patrem spiritualem Josephum Abbatem Galesinum ad Patriarcham misit. At is tantum magis exacerbatus, inexorabilis perstitit. Quinta jejunii verni hebdomade, die Sabbati quinto Aprilis an. 1264 cum a nocturno officio exiretur, primus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Notarius Imperatori libellum præbuit, per quem Patriarcha multis ex capitibus accusabatur, *Pachy.4. c.2.* *c. 3.* *v. Maur. David.*

Sæcul. XIII. A.C. 1264.

scilicet, quod de precibus antelucanis psalmum pro Imperatore detraxerit; quod Sultano ejusque hominibus faveret usque adeo, ut eos Ecclesiæ balneo uti crebro pateretur, quamvis essent Musulmanni, & illius balnei marmoribus cruces incisæ fuerint. Hic Sultanus erat Azatin, seu potius Azeddin Turca Seljucides Sultanus Conienſis, Tartarorum metu ad Græcos delatus. Tertium incusationis caput fuit, quod Arsenius Sultani liberis SS. Evchariſtiam porrigi curaverit, etsi non constaret, eos sacro fonte lustratos esse. Denique quod Sultanus ipse cum suis Satrapis die Paschatis matutinis psalmis adfuerit, quos Patriarcha choro præiisset. Hæc sunt, quæ libellus continebat una cum aliis hujusmodi accusationibus.

l. 2. c. 24.

Imperator eo avide accepto congregatos, qui Constantinopoli erant, Episcopos in consilium adhibuit. Patriarcha de querimonia edoctus, tametsi juridico ritu nondum accusatus esset, ita respondit: Ego hunc psalmum in templo more monastico cantari jusseram: & ego eundem suppressi reliquas preces sufficere videns. Adhæc Imperator in statu, in quo est, non habet, quod ea de re queratur. Nec scivi nec volui Sultani homines Ecclesiæ balneo uti: eademque ratio haberetur eos a cunctis reliquis balneis excludendi,

eo

eo quod in ſingulis cruces ſanctæque imagines dentur. Sultanum ac liberos ejus ut Chriſtianos tractavi ob teſtimonium Epiſcopi Piſidienſis. Si contrarium demonſtretur, culpa in illo ſolo reſidet. Imperator his ejus reſponſis haud contentus concilium ex omnibus Epiſcopis conflare voluit, cui etiam duo Patriarchæ Nicolaus Alexandrinus, ac Euthymius Antiochenus intereſſent. Sæcul.XIII. A.C.1264.

§. XXXI.

Arſenius in concilio exauthoratus.

Concilium in quadam palatii aula habebatur, ubi Imperator primarium tenebat locum, in dignitate poſitis viris omnibus Senatuque toto ſtipatus. Præter Epiſcopos quorumlibet cœnobiorum Abbates ac monachorum præcipui aderant. Actor libellum exhibuit, qui publice legebatur. Decretum eſt, ut Patriarcha Arſenius in jus vocaretur, miſſique ad eum tres Epiſcopi cum tribus Clericis. At comparere omnino renuit, ſe non judicium, ſed hujus formam, locumque ac homines recuſare aſſerens. Res eo ſpectat, addidit, ut Patriarcha in palatio coram Imperatore proſcripto & vindictæ cupido in præſentia Procerum

ac

Sæcul. XIII. A.C. 1264. ac hominum profanorum judicetur. Hac responsione scripto tradita & ad conventum delata Arsenius post certa temporis intervalla, ut canonici servarentur ritus, iterum ac tertio citatus semper idem reposuit.

c. 5. Interim experturus, an Imperatorem ad saniora posset inducere, eum adiit, a quo comiter exceptus officiosis sermonibus diutissime detinebatur. Erat dies Dominica, & Imperator, utprimum Patriarcha in templi aditu compareret, sacrificium inchoari jusserat, absolutionem tacitam captans. Itaque, cum veniret hora, a palatio simul ad templum ibant, & Imperator Patriarcham trabea tenebat. Dum ad portam aderant, benedictionem ex more Diaconus petiit, & Patriarcha dedit: sed mox cognita Imperatoris fraude trabeam e manibus ejus retrahens eidem, quod fallere ipsum voluerit, exprobravit, celeriterque aufugiens se domum recepit suam. Ille acceptam ab eo ignominiam Episcopis conquestus, ut rei finem imponerent, instabat: seque ad discessum, si proscriptio se a concilio excluderet, offerens, illatæ sibi, ut remaneret, violentiæ credere se simulavit.

p. 177.

c. 6. Igitur Patriarcha postremo accersebatur: tum ob contumaciam credebatur damnari posse ex septuagesimo quarto Canone Apostolorum. Attamen majoris

ris securitatis gratia Concilium fundamenta scrutari cupiens accitum actorem eorum, quæ detulerat, factorum argumenta edicere jussit. Is notitia publica nitebatur. Auditi tamen sunt testes, qui Sultanum in templo precibus interfuisse affirmabant. Supererat sciendum, an is esset Christianus, nec ne. Et Sultanus Patriarcham purgandi gratia Imperatori per nuncium indicavit, se ad honorandas imagines, immo etiam ad pernam comedendam paratum esse. Tum illi, qui Arsenium condemnare volebant, si Sultanus se adjunxisset Christo, idem omnes Turcas ejus comites egisse negabant. Cum ad dicendas sententias ventum est, Episcopi omnes, si septem vel octo excipias, Patriarcham exauthorandum censebant: plerique tamen damnationem ejus sola in contumacia fundabant: ii, qui aliter sentiebant, vellent, nollent, communi judicio accesserunt: per acclamationes Imperatoribus fieri solitas solutum concilium, missique duo Episcopi, qui rem Arsenio nunciarent. Sæcul.XIII. A. C. 1264.

Serus vesper erat, cum id coram Clero universo facientes ipsum ad abeundum parare se jusserunt. Ille mox gratiis Deo actis respondit se iturum, quo vellent. Tum ad Clerum conversus, Filioli mei! ajebat, quid de me factum sit, audiistis. Deus permisit: ejus voluntati parendum, quid-

Sæcul. XIII. A. C. 1264.

quidquid de nobis ſtatuat. Commiſſum mihi ab eo gregem duxi, ut potui. Multis forſitan moleſtus eram, ut multi mihi. Ignoſcamus mutuo errores noſtros! Ite jam, inſpicite theſaurum templi, reliquias, vaſa ſacra, ornamenta & libros, ne ſint, qui etiam furti me arguant. Valete filii! Patriarchali e palatio refero, quæ attuli, meam veſtem, meas tabellas, ac tres nummos, quos lucratus ſum pſalterium deſcribendo ſecundum regulam monaſticam. Sic locutus illis in pace dimiſſis in ſella hærebat ſua, Imperatoris mandatum leniter opperiens. Hæc rei adjuncta refert hiſtoricus Pachymerus, qui præſens, ac inter illos erat, qui templi theſaurum eſſe integrum comprobarunt. Imperator Arſenium ea ipſa nocte corripi, ac poſtridie in Proconeſum inſulam prope littus Anatoliæ abductum ibi parvo cuidam cœnobio includi voluit, appoſitis cuſtodibus, qui eum videndi cupidos arcerent. Ita in exilium actus eſt exeunte Majo anni 1264.

§. XXXII.

Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus.

At ea res ſchiſmatis inter Græcos cauſa fuit, & quam plurimi illum ſemper Patriar-

Patriarcham agnoscebant. Cui malo remedium allaturus Imperator populo ante suum palatium convocato e conclavis sui fenestra per cancellos loquebatur, cur gradu motus esset Arsenius, & quænam incommoda schisma consequerentur, exponens, iisque, qui se hoc implicari paterentur, minitans. Episcopis copiam fecit cooptandi Patriarcham, quam dignissimum censerent. Qui Blaquernano in templo Germanum Archiepiscopum Adrianopolitanum elegerunt. Erat vir finceri animi, ingenuis moribus, in obeundis muniis suis suavissimus, curiosus, nec modo præceptorum virtutis, sed & rerum gerendarum æque gnarus ac quisquam alius. Non valebat facundia, sed eloquentes amabat, audiebatque libenter; in congressu facilem se præbebat & commodum, virtutem non in externa severitate, aliorumque contemptu collocans. Sæcul. XIII. A. C. 1264. *Pachym. l. 4. c. 10. 11.*

Imperator hanc electionem lætus probavit, utpote Germano jam diu favens. Nam cum Imperatoris Theodori gratia excidisset, & ad Iconii Sultanum se conferret, Germanus supra montem Nigrum in confinio Imperii Græci monasticam ducens vitam Michaëli Palæologo obviam profectus magnifice accepto dedit, unde iter suum pergeret. Postea Michaël Imperator factus Germano se adeunti vicissim magnos *Sup.* *Gregoras lib. 4. c. 4.*

Sæcul. XIII. A.C. 1264.

magnos exhibuit honores, dein Adrianopolitanam sedem, ac denique Constantinopolitanam tribuit. Germanus eo translatus est die Pentecostes 8 Junii anno 1264.

§. XXXIII.

Urbani IV. obitus.

Rayn. n. 31. 70.

Papa biennio Urbe Veteri permanserat, ubi plerasque litteras suas dabat. Sed hoc anno, cum Urbevetani contra ipsum consurgentes castrum ad Ecclesiam pertinens occupassent, in lectica Perusiam delatus ibi curriculum vitæ confecit die Jovis 2 Oct. 1264 postquam Sedem Apostolicam tribus annis, uno mense, quatuor diebus tenuerat. In æde cathedrali S. Laurentio dicata terræ mandatus est. In ejus litteris memorandum bonitatis exemplum cernitur. Quo tempore Archidiaconus Leodiensis erat, Papa Innocentius IV. Lugduni commorans eum in Germaniam misit quædam Ecclesiæ Romanæ negotia curaturum. Illic tres Nobiles diœcesis Trevirensis comprehensum aliquamdiu in custodia detinuerant, ademptis ipsi equis, pecuniis, aliisque bonis mobilibus. Deinde cum Romanum conscendisset solium, illi restitutionem ereptorum omnium, & pro injuria satisfactionem obtulerant, id solum orantes, ut

Id. n. 30.

ut ne per se ipsos absolutionem ab anathemate, in quod incurrissent, acceptum ire cogerentur, periculisque itineris & hostibus, quos haberent, se exponere. Papa Confluentiam Priori Fratrum Prædicatorum scripsit, ac per eum fontes absolvit, se omnem injuriam sibi factam liberaliter ipsis coram Deo ignoscere declarans, injungensque tantum, ut ab ejusmodi violentia deinceps abstinerent. Dederat 9 Julii an. 1264. Post Urbani mortem sacra Sedes quatuor menses vacavit. Sæcul. XIII. A.C. 1264.

§. XXXIV.

Clemens IV. Pontifex Maximus.

Interea Guidoni Fulcodio Cardinali Episcopo Sabinensi cum Legati Potestate in Angliam misso hujus aditum intercludebant Barones ac Episcopi contra Regem suum rebelles. Nec enim obsequebantur S. Ludovici sententiæ; atque instauratum bellum civile acrius quam antea flagrabat. Legatus igitur suspenso itinere Bononiæ urbe maritima hærere diu coactus eo quosdam Angliæ Episcopos cis mare agentes convocavit. Tum summi Pontificis authoritate omnes Anglos Regem suum armis persequentes anathemate perculit, urbemque Londinum & quinque portus Angliæ sibi præclusos interdicto affecit. Executione u- *Matth. Westm. p. 397. 384. to. II. conc. p. 830. Mat. Par. p. 834. an. 1265.*

Sæcul. XIII. A. C. 1265.

triusque censuræ Episcopis Angliæ, quos acciverat, commissa, in viam se dedit ad Aulam Romanam reversurus.

Rayn. 1265. *n.* 1. 2. *Papebr. conat. p.* 53.

At vero se in Papam Perusiæ electum esse in itinere edoctus illuc se contulit, Manfredi insidias evitandi causa fratrem mendicantem vestitu præferens. Cum advenisset, omni conatu adhibito, ut pontificatum a se dimoveret, tandem hoc munus 6 Febr. 1265, coronam die Cathedræ S. Petri, 22 ejusdem mensis, prima jejunii verni Dominica accepit. Clemens IV. dici voluit, utpote die S. Clementis in lucem editus, eodemque plures a Deo gratias singulares adeptus. *Rayn. n.* 9. Ita se promotum cunctis Episcopis pro more indicavit per epistolam encyclicam 26 Febr. datam. Ejus sensa de nova dignitate sua docent responsa, quæ Principibus eam sibi gratulantibus reddidit, ac multo clarius litteræ, quas Petro Crasso nepoti suo scripsit in hanc sententiam.

Honoris nostri amplitudo multos gaudio, nos, qui nostri muneris immensam molem soli sentimus, horrore perfundit & lacrymis. Proinde ut intelligas, quomodo te gerere hac in re debeas, scito, tibi ea de causa tanto plus demissionis esse induendam. Nolumus vel te, vel tuum fratrem, vel alium quenquam e nostris, nisi expresse jusserimus, ad nos venire, quippe incisa spe sua cum pudore redi-

rum.

rum. Sorori tuæ honorificentius quoddam conjugium ne quærito: non id boni consuleremus, nec operam tuam nostrum sequeretur subsidium. Attamen, si eam simplicis Equitis filio jungas, trecentos nummos Turonios mittere cogitamus. Conficiebant centum quinquaginta circiter nostræ monetæ libras. Plus si desideres, ne denarium quidem a nobis spera! id ipsum quoque secretissimum esse, ac præter te matremque tuam nemini constare volumus. Absit, ut e cognatis nostris quispiam nostro de gradu superbiat: sed Mabilia Cæciliaque nubant, ut nuberent, si simplex Clericus essemus. Adi Ægidiam, & dic ei, ne mutet locum, sed Segusii maneat, omnem gravitatem, &, quantam possit, in amictu modestiam servans. Neminem commendet nobis! nulli prodesset, atque noceret sibi. Siqua ideo dona ei offerantur, renuat, quando nos sibi favere cupit. Matri fratribusque tuis a nobis multam salutem! Litteris ad te familiamque nostram scriptis non imprimimus sigillum majus, sed annulum piscatoris, quod summi Pontifices ad negotia arcana adhibent. Dabat Perusiæ die SS. Perpetuæ ac Felicitatis, nimirum 7 Martii.

Sæcul. XIII. A.C. 1265.

Teblanc. mon. p. 190.

Sæcul. XIII. A. C. 1265.

§. XXXV.

Regnum Siculum Carolo Andegavenſi tribuitur.

Papa Clemens ad Siciliæ negotium quippe Aulam Romanam ſummopere urgens converſis curis primariis 26 Febr. 1265 duo edidit diplomata. In primo refert hujus regni conceſſionem ab Alexandro IV. factam Edmundo alteri Regis Anglorum filio, & ab Innocentio IV. confirmatam; conatus a Sacra Sede eam perficiendam adhibitos; omiſſam a patre ac filio executionem; denique ab Urbano IV. interrogatos, an illud etiamnum poſtularent. Quibus de cauſis hanc conceſſionem retractat, & abolet, Eccleſiam Romanam de regno Siculo ſtatuendi libertatem plenam habere aſſerens. Per alterum diploma Carolo Andegaviæ ac Provinciæ Comiti hoc regnum tribuit iis conditionibus, quas ibi fuſe exprimit, & quarum major pars ad temporalem ſolummodo ſtatum pertinent. En illas, quæ ad Eccleſiam ſpectant. Omnia bona, ſeu moveri poſſint, ſeu nequeant, Eccleſiis, vel hominibus ſacris ablata eis reſtituentur in cunctis locis, prout horum poſſeſſionem Rex novus occupaverit. Eccleſiarum Cathedralium electiones aliæque

Spic. to. 9. p. 207.

p. 214.

p. 224.

p. 237. n. 21.

n. 22.

liæque, prorſus erunt liberæ, nec ante vel poſt eas conſenſum Regis petere opus erit. Eccleſiaſtica jurisdictio integra conſervabitur ita, ut ad Apoſtolicam Sedem appellare liceat. Rex univerſas Friderici, Conradi, Manfredi leges eccleſiaſticæ libertati contrarias retexet. Nullus Clericus ad Judicem profanum vocabitur, nec ad tributa vel penſiones adigetur. Rex in Eccleſias vacuas nec regium nec aliud jus habebit, nullumque inde fructum percipiet. Viri nobiles, cæterique incolæ regni eadem libertate iisdemque privilegiis fruentur, quibus ſub Guilielmo ſecundo Siculorum Rege gaudebant. Cum Papa ſexdecim Cardinales duobus his diplomatibus ſubſcripſere.

Sæcul. XIII. A.C. 1265.

25.

26.

27.

Poſtquam Legatus Simon Brienſis Cardinalis S. Cæciliæ pro tradita ſibi poteſtate cum Carolo pactionem confecerat, is Princeps hanc exequi minime cunctabatur: ſed celebrato cum Rege fratre ſuo Paſchate, quod hoc anno 1265 in quintum Aprilis incidit, Pariſiis Maſſiliam profectus, hic mille cum equitibus naves adiit, eluſisque cautionibus, quas Manfredus ad præcludendum ipſi tranſitum terra marique adhibuerat, die Mercurii ante Pentecoſten 20 Maji Oſtiam & pridie feſti Romam proſpere advenit. Romani eum anno priore, ut ipſos a Manfredo defenderet, urbis Senatorem, hoc eſt, primarium

p. 224.

Ric. Maleſp. c. 177. *Duchesne p.* 374. *Mon. Pad. p.* 620. *Rayn.* 1265. *n.* 53. *Duchesne p.* 831. *Rayn.* 1264. *n.* 3. 4. *&c. Spicil. p.* 215.

Sæcul. XIII. A. C. 1265.

rium Magiſtratum creaverant conſentientem: ac prope abfuerat, ut pactum de regno Siculo rumperetur. Nam Papa ſe legitimum Romæ Dominum cogitans non permittendum cenſuit, ut tantus Princeps ibi tantam authoritatem præſertim per omnem vitam ſuam, ſicut Romani voluerant, haberet. Adhibita eſt talis moderatio, ut Senator in triennium fieret.

p. 243.

Itaque Romam delatus, ibi ſumma lætitia maximisque honoribus excipiebatur. Sed quod ſuorum aliquos in Lateranenſe palatium induxiſſet, Papa moleſte tulit, metuens, ne ſenatoriam ille authoritatem ſuam nimium extenderet. Cum vero idem haud ægre paruiſſet, Papa continenter Peruſiæ agens quatuor Cardinales Romam miſit, qui ejus juſſu Carolo per vexillum Siciliam poſſidendam tradidere ante aram templi Lateranenſis 29 Maji. Rex novus, per annum reliquum nihil magni præſtitit exercitum expectans ſuum terreſtri venientem itinere, e cruceſignatis compoſitum, Clerique Gallici decimis conductum. Nam Cardinalis S. Cæciliæ ad ſacram militiam contra Manfredum & Nucerianos Saracenos Chriſtianis validos in templis ſtimulos admoveri curans, quotquot eo fine capiebant crucem, a votis pro recuperanda Palæſtina vel Conſtantinopoli ſuſceptis abſolvebat, quoniam Papa negotium Apuliæ judi-

Rayn. n. 12.

n. 13. 20.

n. 26. 27.

judicabat urgentius. Guido Mellotius Epiſcopus Antiſiodorenſis inter hujus expeditionis principes viros primus numeratur: ſed & diſertum conſilii authorem in Papa habuerat. Sæcul. XIII. A C. 1265. *Duchesne p. 834.*

§. XXXVI.

Eccleſia Hiſpanica.

Sacræ ubivis terrarum expeditiones erant, in Hiſpania, in Gallia, in Hungaria, in Anglia. Maurorum Reguli Granatenſis & Murcianus, ut ſe ditioni Caſtellæ Regis, cui tributa pendebant, ſubducerent, Mauros ex Africa vocaverant, qui magna claſſe ſuppetias profecti magnas fecere vaſtationes. Jacobus Arragoniæ Rex obſiſtere illis ſtatuit tam regnum, quam generum ſuum Alphonſum Caſtellæ Regem defenſurus. Idcirco ſuum teſſerariæ crucis induendi propoſitum Papæ Clementi ſignificavit, qui hac ſuper re Archiepiſcopo Tarraconenſi ac Epiſcopo Valentino ſcripſit, mandans, ut in regno Arragonico, Valentinoque, in Balearium Majore inſula, in provincia Tarraconenſi atque in omnibus terris Arragoniæ Regi obnoxiis ſacram commendarent militiam cum indulgentiis privilegiisque Cruce ſignatorum ordinariis. Dabat 23 Maji an. 1265. *Mariana l. 13. c. 25.* *Rayn. n. 32.*

Sæcul XIII. A.C. 1265.

Ad sustinendos hujus belli sumptus Rex Arragoniæ a Papa petebat copiam colligendi pecunias ex Ecclesiis, quæ de vexationibus illius eodem tempore conquerebantur. Papa respondit hunc in modum. Si vellemus ordinem juris observare, Ecclesiæ in terris tuis nullum tibi ferre subsidium deberent, donec ipsis sua tribuisses. Sed generosum animum indulgentia capi considerantes, te ad has Ecclesias amandas arctius adstringi credimus, si tibi auxilio sint eo tempore, quo detrectactionem per causam tam honestam excusare possent. Igitur eas libertate frui patere, quam eis jus dedit, & antecessorum exemplo prius ipse conservasti: alioqui magis spectaremus, quid expediret ad salutem tuam, quam quid genio tuo arrideret. Nam quocunque in statu fuimus, nobis charos semper ita tractavimus, ut eis utilia, quam suavia, & molesta, quam noxia dicere mallemus. Dabat Perusiæ 13 Augusti. n. 31.

Etiam Castellæ Clerus de Rege Alphonso querebatur, quod centesima proventuum sacrorum parte sibi a Pontifice Maximo propter hoc bellum concessa haud contentus, insuper tertiam reparandis templis destinatam caperet. Papa Hispalensi Archiepiscopo injunxit, ut hoc illi exprobrans memoraret, non esse sapientis exponere se belli periculis, & sua n. 36.

cum

cum conscientia bellum gerere. Idem jussus erat Castellæ populos ad arma sacra sumenda cohortari. Sæcul.XIII. A.C.1265.

§. XXXVII.

Sacræ Crucis exercitus in Gallia, Hungaria & Anglia.

In Francia præter expeditionem Apulianam contra Manfredum, etiam pro terra sacra bellum identidem suadebatur, ad quod Papa eo vehementius stimulabat, quia tristes nuncios de Bondocdari Ægyptii Sultani progressibus acceperat. Is anno priore Cæsaream Palæstinæ subactam everterat: & hoc anno ultima Aprilis castrum Arsuvium expugnavit; nonaginta Hospitalarii capti, cæsive, & qui in arce fuerant numero mille circiter in vinculis Babylonem, sive Cairum ducti. Tum Bondocdar ad obsidendam Ptolemaidem se præparabat solum locum munitum, qui restaret Christianis, & hoc fine classem armaverat. Papa hæc damna per epistolas Patriarchæ Hierosolymitani & primorum ejus regionis Christianorum comperit: quibus 25 Augusti respondens solatia & animos addebat per promissum subsidii præsertim e Gallia. Id acceleraturus urgentes scripsit epistolas S. Ludovico, fratri ejus Alphonso Pictavii Comi- *Sanut.p.222* *Rayn.n.37.* *n.41.42.* *n.43.* *Id.1266.73.*

Sæcul. XIII. A.C. 1265.

ti, ac Theobaldo Navarræ Regi, atque hanc expeditionem populis inculcandam Prædicatorum Ordinis per Franciam Magistro Provinciali, & Fratrum Minorum in Gallia Ministris injunxit.

Id. 1265. *n.* 49.

Templarii disciplinæ impatientes etiam rebus Terræ sanctæ nocebant. Sissæus eorum Magister Papæ Urbano a quo exauthoratus erat, in faciem obstiterat, summos Pontifices haud consuevisse ipiorum Ordinis negotiis se immiscere perhibens. Quamobrem sacro fulmine perculsus est: & Papa Clemens Templariis ingratos erga S. Sedem animos, quæ tot privilegia Episcopis ipsis noxia eis contulisset, per litteras graviter exprobravit.

Hungari ad signa sacra contra Tartaros vocabantur. Cum Rex Bela comperisset, eos Christianas regiones regno suo ac Poloniæ finitimas aggredi velle, se obsistendo imparem videns, per nuncium Papam oravit, ut ipsi obtineret auxilium. Clemens Archiepiscopis Strigoniensi & Colocensi scripsit, ut in Hungaria, Bohemia, Polonia, Stiria, Austria, Carinthia, & in provincia Brandeburgica bellum sacrum contra Tartaros e templorum pulpitis suaderi curarent, salvo tamen subsidio Equitibus Teutonicis, cæterisque Livoniæ, Borussiæ atque Curoniæ Christianis ferendo. Dabat 25 Junii an. 1265. Ita his in provinciis tres simul exercitus

n. 42.

sacri

sacri conscribebantur: nam Papa etiam expeditionem pro terra sacra Octocaro Bohemiæ Regi, Ottoni Marchioni Brandeburgico, Saxoniæ, Bavariæ, ac Brunsvici Ducibus commendaverat. Sæcul. XIII. A.C. 1265.

Angliæ milites sacri ibant in rebelles, quos ducebat Simon Montfortius Leceſtriæ Comes, filius Simonis, qui Albigenses tantopere impugnaverat. Barones seditiosi arbitrariæ S. Ludovici sententiæ renuentes obsequi, redintegrato bello prope Lesuam 14 Maji an. 1264. pugnam subibant, habentes candidas cruces humeris annexas, ut se pro justitia dimicare ostenderent. Gualterius Chantelupius Episcopus Vigornensis a noxis absolvit copias in pœnam eis injungens, ut fortiter certarent, iisque pugilibus, qui tam bona pro causa occumberent, paradisum promittens. Barones prælio superiores Regem Angliæ ac Regem Romanorum ejus fratrem captos abduxere. Papa Clemens tum Legatus in Angliam destinatus erat, cujus ingressum Procerum factio impedierat: ea de causa ille in hujus regni negotia se singulariter interponebat. *M. Paris.* 1264. p. 872. *M. Westm.* p. 386.

Idcirco Legatum eo misit Ottobonum Fiescum Papæ Innocentii IV. nepotem, Cardinalem Diaconum tit. S. Adriani reconciliandis cum Rege Proceribus daturum operam: & illi copiam fecit juramenta *Rayn.* 1263. n. 61.

Sæcul. XIII. A. C. 1265.

menta inter eos jurata declarandi nulla, Optimates ad officium erga Regem per censuras adigendi, atque, si opus esset, in Anglia & Germania exhortationes ad bellum sacrum contra obstinatiorem rebellium numerum procurandi. Mandabat 4 Maji an. 1265. Ottobonus in rubro amictu suo delatus in Angliam concilio in templum Westmonasterienſe congregato expositis Papæ jussis vi potestatis suæ in Regis adversarios sententiæ fulmen emisit. Papa jam die cœnæ Domini censuras eis irrogatas confirmaverat.

Matth. Westm. p. 397.

Rayn. n. 70. 72. 73. Matth. West. p. 390. M. Paris. p. 856. M. Westm. p. 397. Trivet. t. 8. Spicil. p. 617. to. II. conc. p. 857.

Sed eodem anno mutata est rerum facies: nam 3 Augusti prope Evesham altero commisso prælio Simon Montfortius cecidit. Privabatur sepultura ecclesiastica, quia proscriptus interiit. Ejus tamen factio perhibebat, ipsum post mortem plura patrasse miracula, solumque Regis metum obstitisse, ne illa divulgarentur. Tum Legatus convocato Northantoniam concilio jussu Papæ anathemate percussit omnes Episcopos Clericosque Simonis Montfortii contra Regem adjutores, fautoresque; nominatim Henricum Episcopum Londinensem, Joannem Vinconiensem, Gualterium Vigornensem, ac Stephanum Ciceſtriensem, rebellium Patronos, quibus ad summam Sedem provocantibus, trimestre spatium dedit,

dedit, ut se Papæ sisterent, quem proin adierunt. Benedictus Episcopus Lincolnienſis, qui etiam partium illarum fuerat, post longum tempus gratiam impetravit: Gualterius Episcopus Vigornenſis in mortis Articulo constitutus, ad Legatum litteras dedit, & agnito errore absolutus 5. Febr. an. 1267. spiritum edidit. Eodem in concilio Northantoniano Anglorum Regi decimæ in septem annos concessæ sunt. Sæcul.XIII. A. C. 1265. *Goduin. p. 519.*

§. XXXVIII.

S. Bonaventura Archiepiscopatum Eboracenſem abnuit.

Ecclesia Eboracensis vacabat ab initio anni 1264. Godefrido Kintonio sub festum Epiphaniæ diem mortuo. Collegium primo elegit Guilielmum Langetonium Decanum suum, qui Romam petiit, ut electio rata haberetur. Sed Papa eam non reputans canonicam infirmavit, illique sedi tum quidem ipse providit, S. Bonaventuræ Ord. Minorum Ministro generali eam destinans. Hanc ad optionem eum impulit tam viri meritum singulare, quam status Angliæ. Spectabat in illo puritatem morum, asperitatem vitæ, præstantiam eruditionis, prudentiam, gravitatem, diuturnum Ordinis regimen magnopere approbatum, denique peritiam *Id. p. 49. Vading. 1265. n. 14. Rayn. n. 74.*

Sæcul. XIII. A.C. 1265.

peritiam demerendi omnium ſtudia, & regularem obſervantiam conſervandi. Ex parte Angliæ conſiderabat pravitates per bellum civile etiam in Eccleſiam introductas, ac hominis extraordinarii neceſſitatem ad inſtaurandam inibi diſciplinam. Igitur implorato Dei auxilio, ac deliberatione cum Cardinalibus inita Bonaventuram Sedi Eboracenſi ſtatuit imponere, eumque ſequi vocantem Deum per ſacram obedientiam juſſit: ita loquitur in litteris 24. Nov. 1265. datis. At vir ſanctus Papam adiit, & tam bellerem ſuam egit, ut conſenſum in hoc munus evitaret. Quo renuente id accepit Gualterius Giffardus Bathonienſis Epiſcopus, antea ſacelli Pontificii Præfectus & Canonicus Velienſis, theſauri Cuſtos, poſtea tabularii ſanctioris Præſes in Anglia. Sedem Bathonienſem biennio tenuerat, cum ad Eboracenſem a Papa translatus eſt.

Goduin. p. 425.

§. XXXIX.

S. Thomas Aquinas recuſat fieri Archiepiſcopus Neapolitanus.

Simili modo S. Thomas Aquinas plures dignitates ſacras pinguesque proventus renuit a Papa Clemente ſibi oblatos: Is enim hunc ſanctum Doctorem ſingulari amore proſequens, ejus parentum ob vexa-

Vita ap. Boll. to. 6. p. 673.

vexationem Imperatoris Friderici exulantium inopumque rationem habebat. Thomas etiam abnuit Archiepiscopatum Neapolitanum, quem ipsi Papa per litteras, quæ non amplius habentur, contulerat, & cui reditus cœnobii S. Petri *Ad aram* junxerat. Hanc, inquam, dignitatem recusavit S. Doctor, Papamque, ut ne alia deinceps ipsi tribueret, oravit, Ordinis sui paupertatem ac demissionem colere desiderans. Sæcul.XIII. A.C.1265. *Tom. Luc. ap. Echard. p. 263. V. Ughell. to.6. p. 171.*

Hoc sub Pontifice Maximo S. Thomas suam Summam Theologiæ scripsit, quam in tres divisit partes. Primam vocavit naturalem, in qua Dei rerumque creatarum naturam tractat. Secundam, quam moralem dixit, in duas partes distribuit. In prima secundæ de generalibus morum principiis agit: in secunda secundæ virtutes ac vitia sigillatim examinat. In tertia totius operis parte de natura divina humanæ junctа, & de Sacramentis differit. Sub Clemente IV. & inter diuturnam Apostolicæ Sedis vacationem, quæ Pontificatum ejus secuta est, Thomas hoc opus composuit, postea in scholis pro perfectissimo Theologiæ corpore habitum tam ob doctrinam solidam, quam ob methodum. *Tolom.*

§. XL.

Sæcul. XIII.
A. C. 1265.

§. XL.

Ecclesia Salisburgensis.

Sup. lib. 84. *§.* 48.

Ecclesiam Salisburgensem per octo annos turbabat seditio Archiepiscopi Philippi, qui quanquam an. 1257. a Papa exauthoratus, armorum vi se tuebatur, successorem suum Udalricum ab adeunda possessione impediens. Post sex annorum bellum Collegium Salisburgense, quia Udalricus ipse se defendere non poterat, per interpositionem Bohemiæ Regis, & Carinthiæ Ducis de pace cum Philippo egit an. 1261. & anno sequente Udalricum ex Italia reducem Episcopus Scyllacensis proscripsit, quem Papa cum eo miserat Ecclesiam Salisburgensem in ordinem redigendi gratia. Anathematis per totam diœcesim denunciati causa fuit, quod Udalricus pecuniam Romanæ curiæ promissam non penderet. Philippus An. 1263. Salisburgo pulsus; & Udalricus anno proximo eam urbem ingressus est. At postquam ibi quatuor menses duxerat, ob impatientem disciplinæ populum se authoritatem suam tuendo imparem videns, præterquam quod provectæ jam ætatis esset, urbe relicta Romanam in Aulam abdicationem suam

Canis. to. 6. *p.* 1267.

suam misit, cujus effectum Papæ Urbani obitus suspendit. Sæcul. XIII. A. C. 1265.

Interea sedem Passaviensem vacuam reddidit 10. Aprilis An. 1265. decedens de vita Episcopus Otto, piissimus Præsul, ac verus Cleri sui pater, minime belli sed pacis amans, & qui Ecclesiæ suæ magna comparavit bona. In ejus successorem Canonici postularunt Uladislaum Poloniæ Ducem, id est, ex horum Principum familia ortum, Ecclesiæ Visegradanæ Præpositum, Papamque, ut postulationem haberet ratam, orarunt. Clemens, qui multum boni de Uladislao dici audierat, quid subesset, experiendi cupidus, eum ad se vocavit: & merita viri agnoscens Sedi Salisburgensi aptiorem censuit, de qua sicut de Passavensi voluerat ipse statuere. Illam proin Uladislao, hanc Petro Uratislaviensi Canonico, qui ejus præceptor fuerat, assignavit. Diploma utrique mense Novembri an. 1265. misit. Salisburgum anno sequente ambo delati honorifice ibi excepti sunt. Sed Archiepiscopus anno demum 1267. die Pentecostes consecratus triennio post morti occubuit.

Stero. 1265. *to* 11. *Conc. p.* 833.

Sæcul. XIII. A.C. 1265.

§. XLI.

Ecclesia Danica.

Per annos decem Ecclesiam Danicam obturbabat dissidium inter Regem ac Episcopos. Jacobus Erlandi filius metropolitanæ Ecclesiæ Lundensis Præpositus a Rege Erico quinto ad concilium Lugdunense an. 1245. cum Petro Archidiacono Arhusino missus ibi Papæ Innocentii IV. favorem sua eruditione morumque suorum suavitate sibi conciliaverat. Posthæc Nicolaus Stigothus Episcopus Roschildianus, cum in Regis offensionem incurrisset, in Norvegiam, & inde in Galliam profectus, Clara Valle se abdidit, ibique de medio excessit an. 1248. Jacobus Erlandus ei Roschildiæ successit: unde post biennium Lundam in locum Archiepiscopi Uffonis an. 125[illegible]. mortui translatus nepotem suum Petrum Bangium Roschildiæ successorem habuit. Itaque postquam in Archiepiscopum an. 1254. electus fuerat, confirmatione Papæ, cujus erga se gratiam foverat, contentus Regis Christophori tum regnantis consensum petere omisit.

Pontan. hist. Dan. l. 7. p. 328.

p. 329. Hist. gent. Dan.

Pont. p. 346.

Hic Princeps ea re novisque sanctionibus, quas Archiepiscopus pro sua Ecclesia ipso rursus inconsulto fecerat, jam offensus, haud paulo molestius ferebat con-

p. 348. Sup. lib. 84. §. 40.

concilium ab eo Præsule absque suo permissu Vedeliæ habitum, in quo decretum de violentiis contra Episcopos exercitis, quarum suo loco memini, promulgatum fuit. Convocatis igitur generalibus nationis comitiis complures de Archiepiscopo querelas proposuit. Nihilominus in gratiam cum illo rediit an 1257. At post sex menses ob nobilem fœminam a Præsule proscriptam denuo excandescens, eum in aulam suam venire jussit. Comparuit Archiepiscopus; at in re spirituali non Regem a se, sed solum Papam agnosci Judicem affirmavit. Exasperatus animo Rex litteras edidit, per quas cuncta privilegia Lundano Archiepiscopo & universo ejus Clero a Regibus Daniæ collata revocabat. Hoc in dissidio plebs Archiepiscopi partibus susceptis clavas ferreas ligneasque pro armis gerens furentium instar huc illuc cursabat. Demum die S. Agathæ 5. Febr. an. 1259. Rex Christophorus Archiepiscopum comprehensum castro inclusit, ubi hic duos circiter annos captivus hæsit. Ille etiam Lundæ Archidiaconum Præpositumque ac Eschilum Ripensem Episcopum capi voluit. At Episcopus Roschildianus in Rugiam insulam perfugit, & Ottoniensis e regno abiit. Hi postremi duo Episcopi mox declararunt totam Daniam incurrisse in interdictum

Sæcul.XIII. A.C.1265.

p. 349.

p. 352. 353.

Sæul. XIII. A. C. 1265.

per sanctionem Vedeliæ factam pronunciatum, quod Papa Alexander IV. ratum habuit, cum Episcopus Roschildianus Archiepiscopi captivitatem ipsi conquestus fuisset. Interdictum Lundæ, Roschildiæ, Ottoniæque observabatur aliquamdiu; sed in Jutia non magni ponderis erat. Rex de promulgatione interdicti Papam appellavit, Episcopos in causa ipsorum propria non esse Judices debere causatus. Sed brevi post e corpore migravit, successorem suum filium Ericum VI. cognomine Glippingium decem solummodo annos natum Reginæ Margaritæ Sambiriæ maternis relinquens curis.

p. 357.

Interim Papa Alexander Episcopi Roschildiani rogatu insulæ Rugiæ Principi Jarmaro scripsit, ut Archiepiscopum Lundanum in libertatem asserere cunctis viribus conaretur. Jarmarus itaque facta in Selandiam insulam exscensione universis Episcoporum partibus auctus præclara victoria, Hafniaque potiebatur quinto post Pascha die 18. Aprilis an. 1259. Episcopus Roschildianus, ne ex Reginæ partibus cæsorum corpora in cœmeterio humarentur, prohibens repetiit interdictum. Initio anni 1260. Regina magnum celebrante conventum, in quo parvulus Rex coronabatur, huic Proceres ex diei opportunitate suadebant, ut

p. 358.

ut Archiepiscopum Lundanum libertati ac diœcesi suæ redderet. At iste, antequam Papa ipsius causam dijudicasset, eo reverti noluit; & liberatus in Sueciam, cujus Primas erat, transiit: Reliqui Episcopi ineunte anno 1261. in diœceses rediere suas, & post eorum liberationem interdicti minor ratio habebatur. Sæcul. XIII. A.C. 1265. *Sup. lib.* 85. §. 4.

Papæ Urbano IV. eodem anno in Apostolicam sedem evecto Rex Ericus legationem misit cum litteris, quibus eum, ut regnum ipsius ab Archiepiscopo Lundano liberaret, vehementer orabat, multas querimonias de isto movens, sicut etiam de duobus Episcopis Roschildiano & Ottonienſi tanquam belli nuper contracti authoribus. *p.* 362. Cum post triennium novas conquerendi causas nactus querelas suas iteraſſet, Papa Urbanus paulo ante mortem suam Archiepiscopo Jacobo Erlando per epistolam suasit, ut sede Lundana ultro cederet plurium accusatus criminum, quæ Papa credere videbatur. Sed postquam huic Clemens IV. anno 1265. succesſerat, eum adiit Archiepiscopus; & probabiliter hujus precibus est adscribendum, quod novus Papa in Daniam Legatum miserit, nempe Guidonem Cardinalem Presbyterum tit. S. Laurentii *in Lucina*, prius Abbatem Cistercienſem. Mandatum seu litteræ *Hist. gent. Dan.* *Rayn.* 1265. *n.* 51.

Sæcul. XIII. A.C. 1266.

Perusiæ 8. Junii an. 1265. ei datæ continent, eundem esse missum inter Regem Daniæ, Reginam hujus matrem & quosdam regni Præsules concitatas discordias extinguendi gratia. Legatio in Sueciam & in provincias Bremensem, Magdeburgensem, Salisburgensem atque Gnesnanam extenditur. Legatus sequente tandem anno 1266. delatus in Daniam honorifice pro dignitate sua ibi exceptus est. Audiendis partibus, nimirum Regi & adversariis ejus certum diem locumque, scilicet Schlesvicum assignavit. At Rex ibi securum se non fore perhibens provocavit ad Papam. Tum Legatus Lubecam profectus tres Episcopos, Petrum Roschildianum, Esquilium Ripensem, Bunonemque Schlesvicensem & Archiepiscopum Jacobum Erlandum illic præsentes habuit, qui credibiliter cum Legato revenerat. Hoc in concilio Lubecensi Cardinalis Regem, Reginam ejus matrem, eorumque assecias, & in his duos Episcopos Tychonem Arhusinum & Joannem Burglavianum anathemate perculit, voluitque, ut id Episcopus Lubecensis in diœcesi sua solenniter denunciari curaret. Eodem anno 1266. Legatus Sueciam petiit.

Hist. gent. Dan.

Pont. p. 363.

Magn. XIX. hist. c. 20.

§. XLII.

Sæcul. XIII.
A.C. 1266.

§. XLII.

Manfredi mors.

Papa Clemens Perusiæ semper commorans quinque Cardinalibus injunxit, ut Carolo Andegavienſi Regi Siciliæ ac Reginæ Beatrici Provinciæ Principi ejus conjugi Romæ ſolenni ritu coronas imponerent. Hoc in mandato, quod 4. Jan. 1266. dedit, vult ſalva manere jura Eccleſiæ Panormitanæ, ubi hæc ceremonia fieri conſueviſſet. Cardinales biduo poſt, nimirum die Epiphaniæ in templo S. Petri, cum ex Caroli ore adſtrictioris fidei ac obſequii clientelaris profeſſionem Papæ nomine excepiſſent, inunctum coronarunt magnopere plaudentibus Romanis. Primus horum quinque Cardinalium erat Radulphus (*) Caprerius Epiſcopus Albanenſis, quem Papa Legatum miſit in Siciliam, ut edicta expeditione ſacra populos ad arma contra Manfredum capienda impelleret. *Inſtr. ap. Rayn.* 1266. *n.* 2.

(*) de Chevrieres.

Anon. Sicul. p. 869. *Rayn. n.* 7.

Rex Carolus vix ulla mora interpoſita cum copiis ingreſſus regnum, Manfredianas prope Beneventum offendit. Ibi pugna magna die Veneris 26. Febr. commiſſa Gallis victoria plena cum ceſſiſſet, Manfredus in acie cæſus Eccleſiaſticæ ſepulturæ honore tanquam proſcriptus caruit: & juſſu Caroli ſub acervo

n. 11. 12. 13. *Anon. p.* 878 *Ducheſne p.* 377. 847.

Sæc. XIII. A.C. 1266. lapidum juxta viam regiam humatus est. Galli Beneventum pontificiæ ditionis urbem expilarunt, quod Papa Regi Carolo exprobravit. Hæc victoria fractis Gibelinorum animis maximam Italiæ partem ad præstandam summo Pontifici obedientiam reduxit.

§. XLIII.

Synodus Colonienſis.

In Germania, quæ jam per annos quindecim nullum habebat Imperatorem, grandis erat licentia, & in bona personasque Ecclesiasticas impune manus injiciebantur. Hoc liquet e synodo diœcesana, quam Engelbertus Archiepiscopus Colonienſis 10. Maji an. 1266. celebravit, & in qua decretum quadraginta quinque puncta continens consentiente Collegio suo & totius diœcesis Clero edidit. Ejus summam vide! Si constet Clericum percussum esse, author violentiæ nominatim denunciabitur ab Ecclesiæ communione seclusus, sicut ipso facto est; ac præterea, si sit Dominus loci, ubi crimen commissum est, hic locus interdicto afficietur. Si fontes sex mensibus proscripti manserint, eorum terræ, siquas habent, divinis erunt interdictæ: si nullas habeant, locorum, in quibus habitant, Domini monebuntur, ut eos ad

to. II. Conc. p. 835.

c. 1.

ad efflagitandam absolutionem ipsorum bona occupando vel alia ratione adigant. Si Domini hoc negligant, ipsi proscribentur, & post anni spatium nulla in eorum terris divina fient. Eædem pœnæ ex proportionis norma decernuntur in eos, qui templa, cœnobia, vel ædificia eis obnoxia incendunt, aut effringunt; in illos, qui Ecclesiarum immunitates libertatesque violant; qui earum bona, speciatim decimas diripiunt, aut per nefas usurpant; qui bellum gerentes in earum prædiis terrisque habitant; qui de bonis Ecclesiasticorum seu viventium seu mortuorum statuere audent; qui eos iter terra vel navigio facientes tributa pendere cogunt; qui eos ad Judices profanos trahunt; qui synodos diœcesanas, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ executionem impediunt. In his cunctis casibus anathemata & interdicta pronunciantur. Difficultas sita erat in modis urgendi eorum observationem. Idcirco postea statuitur, ut ii, qui anni spatio in anathemate hæserint, coram Synodis tanquam contemptores clavium Ecclesiæ, &, quod consequitur, de hæresi suspecti accusentur, atque si opus fuerit, contra eos Magistratus civilis præsidium imploretur. Quod ad illos spectat, qui Clericos capiunt, & in carcere detinent, præter censuras decernitur, ut eorum liberi, fratres, so-

Sæcul.XIII. A.C.1266.

c. 2.

c. 3.

c. 4. 5.

6. 7.

9. 10. 11. 14.

18.

38.

24. 25.

Sæcul. XIII. A.C. 1266

rores, nepotes, neptesque usque ad tertium gradum ab ordinibus sacris, beneficiis, & ingressu Ordinum Religiosorum arceantur, ac prædia beneficiaria, quæ ab Ecclesia habent, ad eam redeant. Hujusmodi pœnas, ut legimus, Concilium Quintinopolitanum an. 1239. sanxit. Hæc Synodus pœnam in cognatos illorum, qui Clericos occiderint, vel mutilaverint, usque ad gradum quartum extendit.

Sup. lib. 81. §. 30. *to.* 11. *Conc. p.* 570. *c.* 28. 29.

c. 31. Quidam Clerici Clericis aliis similes inferebant violentias: id quod augebat offensionem profanorum hominum, Cleroque odium conflabat. Post anathema anni spatio toleratum Synodus præcipit, ut Clericus reus cunctis beneficiis suis ipso facto privetur, eaque aliis intra mensem conferantur. Siquis Clericus alium ob litem carceri tradat, præter eandem pœnam mox causa cadet. Qui Optimatibus ob causas memoratas proscriptis a sacello sunt, intra mensis spatium suas abibunt domos, nisi persuadere illis possint, ut Ecclesiæ satisfaciant. Hujus Synodi & illius temporis conciliorum decreta vitiorum tunc regnantium tristia potius testimonia erant quam remedia. Satius fuisset Cleri authoritatem ac reverentiam instaurare per informationem, boni exempli vitam & patientiam.

32.

36.

§. XLIV.

Sæcul. XIII.
A. C. 1266.

§. XLIV.

Joannes Curtiniacenſis Remorum Archiepiſcopus.

Poſtquam Archiepiſcopus Remenſis Thomas (*) Bellomeſius 17. Febr. an. 1262. e vita diſceſſerat, illa ſedes quadriennio vacua competitores habebat duos de ſe litigantes, Joannem Curtiniacenſem, ac Guilielmum Brajacenſem Cardinalem Presbyterum tit. S. Marci. Joannes quartus Roberti Curtiniaco-Conchani filius, Regis Ludovici Craſſi nepos quinque Eccleſiarum Cathedralium, Remenſis, Laudunenſis, Pariſinæ, Carnutanæ, & Aurelianenſis Canonicus erat: ſicut fieri ſolebant minimi natu in familiis illuſtribus, ut alicubi poſſent in Epiſcopum eligi. Robertus Curtiniacenſis natu major Joannis frater Sedem Aurelianenſem ab anno 1259. tenebat. Joannes in Archiepiſcopum Remenſem electus eſt tempore Papæ Urbani IV. cui Alphonſus Pictavii Comes illum tanquam cognatum ſuum commendavit, inſtititque, ut litem inter duos electos brevi dirimeret, ne tam celſa Remorum ſedes vacaret diutius.

(*) de Beaumez. *Marlot. to. 2. p. 553. 561.*

Guilielmus illius æmulus Brajaci ad Sequanam in diœceſi Senonenſi natus Lauduni Decanum, ac Remis Archidiaconum *Sup.* §. 12.

Sæcul. XIII. A. C. 1266.

conum agebat, cum eum Papa Urbanus IV. Cardinalem Presbyterum tit. S. Marci creavit menſe Majo anno 1262. Clemens IV. Joannis Curtiniacenſis electione menſe Octobri an. 1266. confirmata, Cardinali de S. Marco viva voce injunxit, ut annonam ſacram, quam Archiepiſcopus Joannes in Eccleſia Remenſi haberet, tanquam vacantem *in curia* cuidam tribueret. Cum eam Cardinalis Joanni (*) Villario-Siccano contuliſſet, Papa id ratum habente, S. Ludovicus regio juri ſuo in vacua ſacerdotia majora hoc fraudi eſſe querebatur. Ergo Papa offenſionis tollendæ cauſa Dionyſio ejusdem Eccleſiæ Canonico præcepit, ut accepta Joannis Villario-Siccani abdicatione, novam ei collationem authoritate Pontificia faceret, eumque in poſſeſſionem mitteret. At ſimul Regi ſignificavit, ſe nolle per eam rem ipſius juri aliquid derogare. Scribebat 13. Sept. 1267.

Gall. Chr. to. I. p. 527. Duboulai p. 372. Prov. lib. Gall. p. 368.

(*) de Villierle-ſec.

§. XLV.

Rex Arragoniæ reprehenſus.

Rayn. n. 27.

Jacobus Maurorum domitor Arragoniæ Rex a Papa Clemente ſui cum Regina Thereſia matrimonii diſſolutionem petebat, eam lepra infectam perhibens, volebatque nuptiis jungi Berengariæ, quam

quam diu jam fovebat. Papa reſpondit hunc in modum: Qua ratione Chriſti Vicarius ſeparabit, quos conjunxit Deus? Abſit, ut ejus leges violemus hominibus placendi cauſa! Etiamſi Regina non nupſiſſet tibi, credere tamen non debuiſſes, nos tibi gratiam legis facturos eſſe, ut uxorem duceres hanc concubinam, quam ſpuriam fateris. Si quæras, quid tibi agendum ſit, cum ſine corporis tui periculo habitare cum Regina nequeas: reſponſio in promptu eſt: ſuſtine, quam tibi Deus immiſit, moleſtiam: nec illi, quæ maxime patitur, malum adſcribe! Si cunctas orbis Reginas corriperet lepra, Regesque alteras ad nuptias procedendi copiam a nobis poſcerent, omnes ac ſinguli repulſam ferrent, tametſi univerſæ familiæ regiæ interirent. A Gallorum Rege, cujus amicitiam tibi paraſti, exemplum cape! provectam ætatem tuam reſpice! nec continentiæ imparem te dicas! Deus haud præcipit, quod fieri non poteſt: ſed ſontes dictitant ſe non poſſe, quod reapſe nolunt. Dabat 17. Febr. an. 1266. Sæcul.XIII. A.C.1266.

Papa dein certior factus, Regem Aragoniæ Mauris Murciam urbem ademiſſe, hanc ei victoriam gratulabatur. Sed proh dolor! addebat, tantorum victor hoſtium libidini ſuccumbens ſuæ peſſimo exemplo in comitatu ſuo fœminam circum- *Id. n. 25.*

Sæcul. XIII. A.C. 1266.

cumducit, & adulterium inceſtu cumulare pergit. Conſidera, inevitabilem tibi vitæ finem imminere; ac niſi antea ſordes tuas elueris, te non admiſſum iri in regnum nulli maculæ patens. Scribebat 5. Julii. Jacobus annos regiminis quinquaginta tres, ætatis ſexaginta duos numerabat. Per aliam epiſtolam Papa eum ad Saracenos e terris ſibi ſubditis pellendos ſtimulabat, quam periculoſa ibi eorum commoratio ſecundum temporalia æque ac ſpiritualia eſſet, edocens. Quamvis mala conſilia ſua, inquit, ad tempus ob metum taceant, ardenter tamen ea detegendi occaſionem quærunt. Serpentem in ſinu fovet, qui tales inimicos circa ſe retinet. Ob modicum emolumentum inde tibi proveniens minime ferendum eſt dedecus, ſine quo nequires medios inter Chriſtianos audire voces quotidie certis horis nomen Mahometis extollentium. Certe locum das ſuſpicioni, te a juventute tua cum illis belligerantem magis tuum commodum peculiare, quam Religionis gloriam conſectatum eſſe.

Rayn. n. 29. *Indic. Arrag. p.* 101.

Rayn. 1267. *n.* 33.

Aliquamdiu poſt Rex Arragoniæ Papæ indicavit, ſe Terræ ſanctæ ſuppetias iturum. Papa repoſuit: Chriſto non placet ſervitium hominis, a quo per inceſtum denuo cruci affigitur. Itaque Berengariam prorſus a te remove! Alioquin

per

per censuras Ecclesiasticas eo te adige- Sæcul.XIII.
mus. Dabat 16. Jan. 1267. Rex quan- A.C. 1266.
quam his monitis offensus sacrum tamen postea bellum iniit; sed sine effectu. *Chr. Barc. to. 10. Spicil. p. 623.*

§. XLVI.

Germanus Patriarchatum Constantinopolitanum abdicat.

Constantinopolitanus Patriarcha Germanus a principio Pontificatus sui hominibus virtute aut doctrina claris dignitates, dona, & omnia existimationis favorisque specimina dedit, opum contemptor tantus, ut crumena carens allatas sibi pecunias omnes in storea, qua pro lecto utebatur, poni juberet, quo magis ad manum essent elargituro. Qui *Pachym. IV. c. 53.* eum non amabant, has bonas qualitates in partem malam accipiebant. Ingenuitatem ejus negligentiam, observantiam, indulgentiamque erga Imperatorem adulationem ac imbecillitatem vocabant; & illi, qui per ejus interpositionem non obtinebant ea, quorum spem ipsis fecerat, sibi verba dari clamabant. Inimicos autem habebat plurimos, tanquam si perperam occupasset sedem Patriarchæ Arsenii, & filiam cum matre, seu Adrianopolitanam Ecclesiam cum Constantinopolitana commutasset.

Inter

Sæcul. XIII. A.C. 1266. Inter eos, quos ob ipsorum merita Patriarcha Germanus ad munera promovit, memoratur Manuel Holobolus ætate florens, elegantis ingenii ac egregiæ litteraturæ homo; sed qui in Imperatoris Palæologi offensionem incurrerat significando magnum dolorem suum, eo quod juvenis Imperator Joannes Lascaris usu oculorum privatus esset. Palæologus ita ei succensuit, ut inventis aliis sub obtentibus nasum Holobolo & labra resecari juberet. Qui protinus in coenobio Præcursoris se abdidit monastica indutus veste. Patriarcha proin Germanus præclaras hominis dotes Ecclesiæ redditurus utiles Imperatorem ita est allocutus.

lib. 3. c. 11.

lib. 4. c. 14.

Cum Georgius Acropolita magnus logotheta, qui tuo jussu litteras jam diu docet, huic labori par non sit amplius, successorem habeat oportet, qui potissimum Clericos erudiat. Itaque necessitati Ecclesiæ ac precibus hoc da meis, ut omissa contra Holobolum ira in locum Georgii eum sufficias! Mox annuit Imperator, Constantinopolim pristinum in splendorem restituere cupiens. Et hoc fine Scholarcham congruente instructum stipendio ad templum Apostolorum, & alium ad Blaquernanum misit. Præterea ad veterem S. Pauli domum hospitalem pupillis destinatam grammaticæ scholam

lam instituit cum pensionibus annuis pro Magistro ac pueris. Eo ipso interdum ibat illos cognoscendi gratia, & quos progressus facerent, visurus, eisque præmia, quibus animarentur, aut missionem dabat. Sic Holobolus e monasterio egressus accepto per Patriarcham Germanum Rhetoris officio nemini non scholam aperuit suam. Sæcul. XIII. A. C. 1266.

Interea Imperator conspirationem in vitam suam comperit: & Patriarcha Arsenius illius particeps fuisse dicebatur. Imperator præfervidus delato ad concilium Arsenii nomine, justitiam ab illo vehementer petiit. Concilium quatuor viros, qui causæ cognitionem caperent, ad Arsenium misit, duos Episcopos, Neocæsarienscm ac Proconesanum, duosque Clericos, Galienum (qui concilio a secretis erat) & Georgium Pachymerum, historiæ illius temporis scriptorem. Postquam 25 Julii Constantinopoli discesserant in Proconesum insulam delati Arsenio suum negotium exposuere. Ad prima verba dolore ac ira percitus, Quid mali, ajebat, Imperatori feci? Privatum inveni & ad imperatoriam dignitatem extuli: ille me Patriarcham invenit, & immerentem ignominia affecit: atque modo hac in solitudine infelix exul indies Christianorum charitatem expectare cogor. Nihilominus forte mea contentus c. 15. c. 16.

Sæcul. XIII. A. C. 1266.

vivo: atque Deus Patriarcham ſuum adjuvet!

Cum vero charta, ut legi poſſet, evolveretur, Arſenius, quid contineret, aliunde gnarus, illud impedire modis omnibus conabatur: & incepta lectione celerius æquo fugiebat. Tum a quatuorviris per vim detentus, pileum in aures occludendas depreſſit. Demum exclamabat cœlum terramque appellans teſtes injuriæ ſibi factæ illosque minime auditos ſine reſponſo remiſiſſet, niſi divinam ipſi poenam intentaſſent. Ergo agendi rationem, ajebat, Patriarcha dignam tenui, Imperatori necem machinans, ego, qui hoc in exilio Deum, ut ejus animæ parcat, oro, dum ille me fame ſitique perimit. Addidit plures exprobrationes miſtas maledictis in Imperatorem ac Patriarcham Germanum conjectis; atque illos dimiſit.

Decimo ſexto Auguſti Conſtantinopolim delati mox Patriarcham Germanum, quomodo res evenerit, edoctum enixe orabant, ut, quidquid in ea moleſtum auditu foret, in relatione Imperatori a ſe facienda ſupprimeret. Germanus negotium tam bene geſſit, ut Imperator Arſenii purgationem acciperet, Siquid, inquiens, de conſpiratione comperit, conjuratos inde avertere, tacereque illam potius, quam detegere nobis voluiſſe videtur.

detur. Insuper Arsenii ærumnis commotus Imperator ei protinus trecentos solidos aureos in pensionem annuam assignavit, se hanc antea imperasse, sed Arsenium eam admittere noluisse jurans: atque ne illam a proscripto recipere recusaret, Imperatricis nomine ipsi eandem misit; non tam virum sublevandi gratia, quam sibi absolutionem paraturus quocunque demum labore obtinendam. Sæcul.XIII. A.C.1266. *Du Cang. numism.*

Cupiisset equidem a Patriarcha Germano, universoque concilio absolvi: sed timebat, ne Germani absolutio haud legitima videretur populo hunc Præsulem contemnenti tanquam a sede sua contra regulas translatum. Hanc diffidentiam Palæologo inspirabat Josephus Abbas cœnobii Galesiani, qui a Germano propter ipsius translationem legibus contrariam se disjunxerat. Imperator Abbatis hujus authoritate abreptus Germanum gradu movere statuit. Sed Patriarcha dignitatem suam sponte abdicaturus esse non videbatur, utpote de fama sua parum anxius. Igitur Imperator ei rem proponi voluit, ita tamen, ut nulla collusionis suspicio in se caderet: ac Josephus hanc suscepit provinciam. Qui ad Germanum velut amice, Non vides turbas, inquiebat, adversus te concitatas, quibus obsistere haud posses, etiamsi te Imperator defenderet? At destituet te, cum schismatis

n. 17.

p. 173.

c. 18.

c. 19.

Sæcul. XIII A. C. 1266.

magnitudinem intellexerit. Non cernis potentes horum illorumque partes? Nominabat simul multas magnæ authoritatis personas pro Arsenio stantes; inter alias Martham religiosam Imperatoris sororem. Hanc dignitatem belle deponere propera! nec expecta, dum invitus & cum dedecore id facias! Sed Germanus non probavit consilium de Imperatoris gratia securum se putans. Qui, quo magis eum falleret, nova favoris indicia illi dabat usque adeo, ut Dominica Palmarum magnam monetarum ex argento ac ære Cyprio copiam inter supplicationem publicam de more in vulgus spargendam eidem mitteret.

Pachym. l. 4. c. 20.

Occultiore dein utens artificio curavit, ut Germano Chalazas scriberet Sardensis Archiepiscopus Arsenio palam infensus, cujus consecrationem quasi non legitimam rejecerat. Ille proin Germano, ut sede Patriarchali cederet, per litteras suasit, quas alter ad Imperatorem misit, huic diffidere incipiens. Reposuit iste: Satis occupor negotiis status me obruentibus. Chalazam in manibus habes, ut secundum canones eum punias. Age hac in re, quod faciendum censebis cum Episcopis! ego me haud interpono. Tum vero aperuit oculos Germanus, malamque illius voluntatem videns, munus exuere statuit mense Septembri an. 1266. &

& festo sanctæ Crucis Exaltatæ die so- Sæcul. XIII.
lenni ritu sacris operatus procedente no- A. C. 1266.
cte domum, quam armamentario vicinam c. 2. Grego-
Constantinopoli habebat, se recepit. Po- ras l. 4. c. 8.
stero mane Imperator re comperta cum Senatu, Episcopis, omnique Clero illuc delatus, & afflictum se simulans Præsulem, ut redeat, orat, per vim reductum iri asserit, nihilque omittit, ut indutam personam belle agat. Germanus & ipse animi sensa dissimulans Imperatori maximas persolvit gratias; se confectum senio ac infirmum muneris abdicationem libenter scripto daturum dicit; illum ac præsentes Episcopos, ut eam accipiant, rogat; & simul eandem tradit, affirmans, se, quidquid accidat, Patriarchæ partes nunquam denuo suscepturum etiamsi Imperator ipsum eo vellet adigere.

Imperator, quod cupierat, manu tenens, eum urgere destitit, & hoc ipsum amissæ consensus spei tribuit, omne, quod posset, honoris genus illi exhibere statuens. Et primum quidem, ut de eligendo successore suam diceret sententiam, orabat: dein eum viva voce, scriptoque patrem appellabat suum: sicut Germanus ipsi primus novi Constantini nomen dederat; quod omnes postea Imperatores Constantinopolitani gesserunt. Germanus repositi: Deus digno de pastore providebit Ecclesiæ suæ, atque in ministerio

Sæcul. XIII. A. C. 1266.

eum adjuvabit. Ille a Deo electus pastor Imperatoris pater, quod nomen est sane magnificum, melius dicetur. Advictum meum quod attinet, ejus curam committo illi, qui pullos corvorum alit: adhæc Ecclesia mea satis est dives, ut me cum Episcopo sustentet suo. Intelligebat Ecclesiam Adrianopolitanam, cui suo in abitu præfici curaverat nepotem suum nomine Barlaamum vel Basilium, hominem spiritualibus muniis suis parum intentum, sed ornatus, equorumque & armorum amantem, qui post cognati sui obitum a Concilio exauthoratus fuit.

§. XLVII.

Josephus Patriarcha Constantinopolitanus.

Pachym. l. 4. c. 33. Gregor. l. 4. to. 8.

Post Germani discessum Imperator Michaël Palæologus de cooptando novo Patriarcha cum Episcopis deliberabat, ut si non jam aliquem destinasset animo. Idcirco, qui rerum statum ignorabant, varios proponebant viros: sed qui mentem Principis perspiciebant, haud nominabant alium, quam Josephum Abbatem Galesianum. Erat vir canitie sua venerabilis, virtuti deditus, & vitæ spiritualis gnarus, cujus exercitationibus longo tempore sese in quiete monastica excoluerat.

luerat. Quanquam litteraturæ profanæ prorsus expers, naturaque simplex & facilis, urbana tamen morum ac sermonis elegantia non carebat. Nam olim matrimonio junctus in aula versatus fuerat munere lectoris fungens inter Clericos Principis Irenes, qua juvenis Imperator Joannes Lascaris sorore gaudebat. Liberalis, candidus & quamvis monasticæ vitæ severitatem jam diu coleret, hilaris suavisque in congressu convivas amabat egentes præcipue, quin etiam delicata mensa excipiebat. Electus est 28 Dec. anno secundum Græcos 6775, quem una cum indictione decima mense Septembri inchoaverant; secundum nos anno 1266: fuitque inauguratus prima die sequentis Januarii an. 1267; secundum Græcos eodem anno 6775. Debebat initiari per Panacam Archiepiscopum Heracleensem in Thracia pro veteri hujus Ecclesiæ prærogativa: sed quia is Præsul a Germano consecratus fuerat, Josephus non ab illo, sed a Gregorio Archiepiscopo Mitylenensi, cujus consecratio nævo vacabat, initiari voluit.

Sæcul XIII. A. C. 1267.

Ducange famil. p. 223.

Pach. c. 24.

Imperator Michaël, cui nihil magis quam sui absolutio ab anathemate in votis erat, novo Patriarchæ mensem integrum, per quem de illa cum Episcopis consultaret, dedit, cunctis ejus petitionibus annuens, usque adeo, ut totum per

Sæcul. XIII. A. C. 1267.

Imperium ejusdem mandata, ut sua, confici juberet. Recluſit carceres, multis sontibus pepercit, revocavit exules, invisos recepit in gratiam: eaque omnia Patriarchæ precibus permotus egit.

c. 15.

Secundo Februarii an. 1267 festo Hypapantes secundum Græcos (nos diem Purificationis dicimus) Patriarcha Josephus, postquam cunctis cum Episcopis totam noctem pervigilans in templo magnifice illustrato solenni ritu Psalmos cantaverat, divinum fecit sacrificium. Quo peracto Imperator Michaël cohorte prætoria, Senatu & Magistratibus stipatus ad portas sanctuarii, ubi Episcopi erant, se stitit; deductoque pileo imperatorio ad Patriarchæ pedes aperto capite prostratus veniam, quam poterat, ardentissime flagitavit, suum scelus clarissima voce confitens. Interea dum sic in pavimento jacebat, Patriarcha absolutionis formulam, in qua crimen contra juvenem Imperatorem commissum nominatim expressum erat, prehensam manibus ipse primum, dein singuli Episcopi distincte legebant, suam quisque absolutionem supplici, prout a quoque petebat, conferentes. Qui aderant, solvebantur in lacrymas, maxime Senatus. Tandem surrexit Imperator, & cœlesti dape refectus, actis gratiis, cœtuque salutato in palatium rediit. Juveni posthæc Principi, quidquid ei ad victum solatium-

latiumque opus esset, in ipsius carcere largiter præberi jussit. Sæcul.XIII. A. C. 1267.

§. XLVIII.

Bondocdari progressus bellici.

Palæstinæ status indies fiebat deterior. Bondocdarus 1 Junii anno 1266 positis ad urbem Ptolemaidem castris, octo dies ibi moratus in otio, obsessam deinde arcem Saphetam 24 ejusdem mensis in deditionem accepit. Sed vesperi Ducem (Emirum vocabant) misit dicturum incolis, ut se Mahometanæ religioni addicerent: alioquin omnes necatum iri. Duo Fratres Minores Jacobus Poniensis ac Jeremias per totam noctem eos tanta efficacitate animabant, ut statuerent pro Christo mori. Itaque contra pactionis fidem plures sexcentis jugulabantur, cruoris rivo per montem decurrente. Octo tantum a recta fide desciverant. Duo Fratres Minores, ac Prior Templariorum spoliati cute, dein verberati, postremo capite plexi sunt eodem loco, quo cæteri. Papa per epistolas Christianorum illam regionem incolentium rem edoctus responso suo duodecima Augusti dato solatia eis animosque per spem celeris auxilii attulit. Siciliæ negotio, inquit, feliciter absoluto erecti ad fiduciam Galli terræ sanctæ suppetias ire properant. In

Sanut. p. 222

Siffrid. an. 1266.

ap. Rayn.. 1266. n. 45.

Sæcul. XIII. A.C. 1267.

Germania Comites Juliacensis & Luxenburgicus, Episcopus Leodiensis atque complures Proceres sacræ Crucis militiam inierunt. Hæc commendatur Anglis, magnumque ex iis subsidium speratur. Quid non facient, postquam hos tristes nuncios, quos illis misimus, acceperint?

n. 43.

Tum Papa Richardum Cardinalem de S. Angelo suum in Sicilia Legatum per litteras interrogavit, quid hac in re agere cogitaret Rex Carolus, quippe qui proximus esset, atque Palæstinæ velocius quam quisquam alius orbis Princeps posset succurrere? Dabat 19 Octobris: & vigesimo quinto ejusdem mensis suo in Anglia Legato Ottobono præcepit, ut ejus populis ad arma eodem fine capienda stimulos admoveri curaret.

n. 42. 44.

§. XLIX.

Altera S. Ludovici expeditio sacra.

Goffr. Bellot. c. 37. Duchesne. p. 461. p. 383.

Præ cunctis Principibus S. Ludovicus rem serio aggrediebatur. Ante aliquot annos statuerat sub vitæ suæ finem ad Dei gloriam moliri magnum aliquid arduumque, ac terræ sanctæ iterum subvenire. Tum cœpit familiæ sumptus, quantum poterat, minuere magna omnium

mnium admiratione: nam propositum celabat suum, nec exequi properabat. Sibi tamen ipsi ne crederet, per hominem fidum Papam Clementem clam consuluit; qui primum consentire non ausus, post longam denique deliberationem illud approbavit. Sæcul.XIII. A.C.1267.

Ergo Rex ad conventum Parisiis medio jejunii verni tempore an. 1267 celebrandum cunctos regni Præsules Proceresque convocavit, nemine rei causam sciente. Dies Jovis medio in jejunio erat vigesimus quartus Martii: ac postero die festo SS. Virginis ab Angelo salutatæ congregato cœtu ac præsente Legato Rex de ineundo bello sacro nervose simul ac suaviter differebat. Cum Legatus idem suasisset, Rex crucem tenero cum affectu, dein tres filii ejus, Philippus, Joannes Tristanus, ac Petrus accipiebant: quartus, Robertus nomine, vix decem annorum erat. Proceres tum illi, quos Rex occulte jam animaverat, tum alii, quorum animos Deus hac occasione tetigerat, eodem die, sed postea plures crucem induerunt. Præcipui fuere Alphonsus Regis frater Pictavii ac Tolosæ Comes, Theobaldus Navarræ Rex & Campaniæ Comes, Regis gener, Robertus Artesiæ, Guido Flandriæ Comites, Joannes Brittanniæ Comitis filius. *Chr. Roton. to. 1. bibl. Lab. p. 378. Joinville p. 125.*

§. L.

Sæcul. XIII. A.C. 1267.

§. L.

Odo Rigaldus Archiepiscopus Rothomagensis.

Inter Præsules cum S. Ludovico tesseram Crucem amplexos memoratur Odo Rigaldus Archiepiscopus Rothomagensis. Nobili ortus genere, cum Ordini Minorum nomen dedisset, Parisiis Alexandrum Alensem Magistrum habuit, ac verbi divini præconio optimo successu operam dedit. Postquam Archiepiscopus Odo Clemens 5 Maji an. 1247 e vita discesserat, Canonici Rothomagenses fratrem Odonem Rigaldum ob ipsius merita cooptarunt: & Papa Innocentius IV electionem probavit. Odo Lugdunum, ubi Papa erat, profectus, ibique consecratus pallium pastorale accepit mense Martio an. 1248. Inde redux Rothomagum intravit Dominica prima post Pascha 26 Aprilis. Hanc amplam diœcesim per viginti septem annos gubernans exempla tam bona præbuit, ut vivendi regula vocaretur: recognoscendæ præsertim provinciæ se applicabat; neque tamen negligebat sua temporalia. Anno 1249 in Angliam delatus certos proventus suæ subtractos Ecclesiæ possidendos recepit. An. 1255. Rex S. Ludovicus ei Pontæsia-

Pomer. p. 474. Gall. Chr. to. 1. p. 587.

Pomp. p. 438. Gall. Chr. to. 1. p. 588.

ni

ni Archidiaconatus collationem liberam, & an. 1262 arcem Gaillioniam per commutationem cessit. Sæcul.XIII. A.C.1267.

Postquam cum Rege symbolicam crucem Ponte Audomari diœcesis Lexoviensis urbe eodem anno 1267, induerat, postridie festum obitus S. Joannis Baptistæ, nempe 30 Augusti concilium provinciale habuit: in quo fuit præceptum, ut Clerici, etiam conjugati, ab omni negotiatione abstinerent: ut tonsi & Clericorum more vestiti incederent, alioquin Cleri privilegiis non fruituri; ut ne Clerici & cruce signati Papæ vel Legatorum litteris in suum commodum abuterentur. Archiepiscopus, postquam cum S. Ludovico Tunetum petierat, secundo concilio Lugdunensi sub Gregorio X interfuit, & anno sequente 1275. 2 Julii e medio abiit. *Pom. p. 480. Spicil. t. 9. p. 78. to. XI. conc. Pom. p. 2530* *Joinville p. 125.*

§. LI.

Decimæ in Gallia.

Qui Regi S. Ludovico, ut copias in expeditionem sacram educeret, authores fuerant, illos multi carpebant, eo quod tam infirmo esset corpore, ut nec arma gestare, nec in equo diu sedere posset. Verum Papa Clemens eum præferre crucem edoctus, per litteras ei susceptum consilium gratulabatur, magnis hoc laudibus efferens: simulque scripsit Cardi- *Rayn. 1267. n. 49. 51. Joinv.*

Sæcul. XIII. A. C. 1267.

Cardinali de S. Cæcilia Simoni Brienſi, cujus tanquam in Francia Legati ſui poteſtatem confirmabat, ei legationem ad crucis exercitum, atque decimas in triennium Regi conceſſas pro hoc bello ſacro e cunctis Galliæ proventibus eccleſiaſticis colligendi curam injungens. Immunes tamen volebat trium Ordinum militarium Equites, Hoſpitalarios ſcilicet, Templariosque ac Teutonicos cum viris eccleſiaſticis cruce ſignatis, qui primo tranſitu proficiſcerentur. Has epiſtolas dabat 5 Maji an. 1267. Clerus Gallicus his decimis fortiter repugnabat, habemusque Remenſis & cæterorum ejusdem provinciæ cathedralium collegiorum literas, in quibus fere iisdem utebantur rationibus, quas Petrus Bleſenſis contra decimam Saladiniam octoginta abhinc annis adduxerat. Clerus itaque noſter conquerebatur de collectis variis, per quas Eccleſia Gallicana in ſervitutem redigeretur. Hieroſolymæ jacturam maledictioni in decimas conjectæ, ac Græcorum ſchiſma exactionibus Aulæ Romanæ tribuebat: improbabat denique cenſuras eccleſiaſticas ad extorquendam hanc novam penſionem tam ſevere adhibitas. Oratores viva voce addebant, Clerum Gallicum anathemata ſufferre, quam huic Papæ mandato obedire malle, optime gnarum

Marlot. t. 2. p. 559.
Sup. lib. 74. §. 15.
Petr. Bl. ep. 112.

gnarum, exactiones non ceſſaturas eſſe, niſi eis ſubmittere ſe deſineret. Sæcul.XIII. A.C.1267.

Papa 24 Sept. 1267 reſpondit hunc in modum. Grandis temeritas eſt Chriſtianorum contra ethnicos armorum eventus infauſtos decimarum collectioni adſcribere; cum Deus ſæpe permittat, ut res adverſæ hominibus probis & immerentibus hac in vita accidant, tantum virtutem ut exerceant ſuam. Et negotii Siculi magna ex parte per decimarum ſummam promoti ſucceſſum videtis proſperum. Schiſma Græcorum Papa in Photium confert, qui revera ejus author primus habetur, cujus tempore nondum querimoniæ de Aulæ Romanæ exactionibus audiebantur. Sed vidimus ſub medium ſeculum duodecimum Nechiten Archiepiſcopum Nicomedienſem inter ſchismatis cauſas Romanorum faſtum ac dominandi libidinem retuliſſe. Et Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua ad Papam Gregorium IX epiſtola expreſſe ait: Multi potentes vobis morem gererent, niſi penſionum indebitarum exactiones timerent.

Rayn.n.55.

Spicil.to.13. p. 211.

Sup. Lib.69. §. 42.

to. XI.conc. p. 318.

Sup. lib. 80. §. 20.

Papa Clemens pergit: Singularis cultus divini gratia per plenam apoſtolicæ Sedis poteſtatem ad tempus imperato ſubſidio non eſt dandum ſervitutis tributique nomen: neque nobis adſcribendæ veniunt cenſuræ, quas ſibi accerſunt illi, qui

Sæcul. XIII. A.C. 1267.

qui, quod debent, pertinaciter recusant solvere. Sed nec credite, nobis deesse facultatem puniendæ illorum contumaciæ, qui censuras insolenter spernunt. Beneficiis eos suis privare, obtinendis aliis inhabiles reddere, de dignitatum gradibus dejicere, ac exaugurare possumus, & mandata nostra Magistratibus profanis exequenda committere. Deberetis pudore emori, quod terræ sacræ ad summas angustias redactæ ferendum auxilium, cum ad hoc Rex vester ac tot Galliæ Proceres tam generosis animis se præparent, per oppositionem vestram retardetis, vos, quos illis præire ac exemplum præbere oportuisset. Finit imperando decimam, nullius eorum oppositionis ratione habita.

§. LII.

S. Ludovici pietas multiplex.

Launoi de Magd. p. 67. &c. Tilm. t. 2. p. 15. Sup. lib. 83. §. 48.

Interea Rex S. Ludovicus Viceliacensem diœceseos Augustodunensis abbatiam adiit, ubi S. Mariæ Magdalenæ reliquiarum translationi interfuit, quæ ibi haberi plura per secula credebantur: id quod indicat, illi haud penitus fuisse persuasum, eas Provinciæ antro Magdalenæ lacrymis consecrato inesse, quamvis ante tredecim annos illud inviserit. Translatio reliquiarum 20 Aprilis an. 1267 fiebat,

bat, ut in argentea capsa ponerentur. Cum Rex ac itineris comes Legatus Simon Brienſis illi actui adeſſent, uterque reliquiarum partes aliquas ſibi retinuit, & translationis teſtimonium cum authoritate dedit. Sæcul. XIII. A.C. 1267.

Rex ſanctus ad expeditionem ſacram ſe præparabat continuando ordinaria ſuæ pietatis exercitia, quæ hic cenſeo memoranda ſecundum relationem Godefridi Bellolocenſis, & Guilielmi Carnutenſis fratrum Prædicatorum, quorum hic Regi a ſacello, ille a confeſſionibus erat. Quotidie cunctis horariis precibus divinis & Marianis, cum canerentur, aſſiſtebat, quoties iter equo faciebat, eas cum ſacelli præfecto recitare contentus. Singulis item diebus officium novem lectionum pro vita functis etiam feriis ſolenniſſimis dicebat. Fere quolibet die duobus ſacris, ſæpe tribus aut quatuor intererat. Perlibenter in templis auſcultabat conciones, & quæ ipſi placebant, eas memoria complexus aliis repetere optime ſciebat. Quosdam Proceres murmurare audiens, quod tot ſacrificiis & concionibus adeſſet, repoſuit: Si alterum tantum temporis ludo teſſerario, vel aucupio & venationi tribuerem, nemo me carperet. *Duchesne to. 5. p. 456.* *p. 457.*

Per aliquod tempus media nocte ſurgere conſuevit, ut antelucanis pſalmis in

Sæcul. XIII A.C. 1267.

sacello suo cantari solitis assisteret, atque post reditum ante lectum suum in quiete precandi spatium haberet. Nam si tunc quendam pietatis sensum, inquiebat, mihi donat Deus, haud metuo, nequis me interpellet. Huic precationi tantundem temporis impendebat, quantum in sacrario Psalmis matutinis dederat. Sed quoniam sua eum negotia mature lectum relinquere cogebant, hæque vigiliæ magnopere corpus ejus, præsertim caput debilitare poterant, prudentium virorum consiliis precibusque cedens matutinas cæterasque precationes suas in mane distulit. Interea dum officium canebatur, neminem se alloqui volebat nisi ob rem urgentem paucisque verbis. Quotdiebus post cœnam suam ecclesiastici pensi partem ultimam, quam Completorium vocant, & in fine peculiarem antiphonam SS. Virginis solenniter cantari curabat: tum in cubiculum redibat suum, quo veniens Sacerdos partes omnes, præcipue lectum aqua lustrali aspergebat. Cum apud quosdam Religiosos sub sacrificio ad illa Symboli apostolici verba: *Et homo factus est*, chorum demississimum inclinationem vidisset, hic ei mos adeo placuit, ut in suum sacellum, multaque templa loco simplicis inclinationis genua flectendi consuetudinem induceret. Item quia quibusdam in monasteriis, cum per hebdo-

p. 488.

p. 460.

hebdomadem ſacram Chriſti noſtræ ſalutis cauſa cruciatus ac mortem paſſi hiſtoria ex quatuor Evangeliſtis legeretur, ad vocem: *Expiravit*, mos erat procumbere, & aliquamdiu precibus immorari, hoc ipſum imitatus eſt Ludovicus, & ab eo nobis ritus tam pii veniunt. Reduxit etiam conſuetudinem ſacrandi prius Sanctorum imagines, quam venerationi publicæ exponerentur. Sæcul.XIII. A.C.1267.

Vini ciborumque abſtinentia in eo magna fuit. Totum per annum die Veneris colebat jejunium; die Mercurii nullis carnibus veſcebatur: etiam die Lunæ per aliquod tempus ſibi eas interdixerat: ſed ob ſui corporis imbecillitatem id diſſuadentibus paruit. Per jejunium vernum ac per hebdomades Dominico adventui ſacras diebus Veneris nec fructum, nec piſcem comedebat ullum. Multa vinum aqua temperabat. Die redempti orbis memoria ſacro, in pervigiliis præcipuorum quatuor SS. Virginis feſtorum, & quibusdam aliis anni diebus pane ac frigida contentus erat. Quolibet die Veneris pro tribunali ſacro animi maculas eluebat loco ſecretiſſimo in ſingulis domibus ſuis ad id negotium præparato. Cum pro more temporis hoc fine conſediſſet, ſi portam aut feneſtram aliquam volebat clauſam, propere ſurgens, ut Sacerdotis labori parceret, eam occlu- p. 451. p. 450. p. 447.

Sæcul. XIII. A.C. 1267.

debat, inquiens: Tu es Pater: ego sum filius. Post sacram confessionem semper ab arcano Judice cædebatur quinque catenulis ferreis eburneæ capsulæ fundo annexis, quam in loculis e cingulo suo pendentibus portabat, similesque capsulas interdum suis liberis, & amicis singularibus tradebat. Duos habebat conscientiæ suæ arbitros, Fratrem Minorem, ac Dominicanum, ut alteruter nunquam non ipsi præsto esset. Præter hos pœnitentiæ administros selectis quibusdam viris, ut, quidquid in ipso reprehensione dignum viderent, vel dici audirent, depositio metu fideliter indicarent, instabat, mira patientia & mansuetudine, quæ significabant, accipiens. Diebus Veneris per hebdomades adventu Dominico nobis religiosas, atque per vernum jejunium & in pervigiliis Matris Virgineæ cilicium gerebat: sed hoc sibi grave incommodum creare fassus de consilio sui patris spiritualis denique omisit.

p. 467.

Vide, quomodo Parasceven quotannis transegerit! Postquam psalmis antelucanis media nocte inceptis astiterat, in conclave suum reversus cum Præfecto facelli totum recitabat psalterium. Nec dein cubitum concessit, sed somno neutiquam capto sub ortum solis in humili vestitu nudis pedibus per vicos urbis, in qua morabatur, super silices ac lutum

incedens sequente viro, qui stipem largiter cunctis erogabat pauperibus, adibat templa, ibique calidas fundebat preces. Vix domum fractis viribus redierat, cum sermonem de Christi cruciatibus auscultavit. Tum aderat officio, quod solenniter fieri curabat. Ad crucis adorationem ut ventum erat, in vili amictu aperto capite nudisque pedibus surgens de loco suo non plantis, sed eminus jam positis humi genibus, se promovebat, succedentibus sibi liberis suis, inter signa tantæ demissionis, ut spectantes usque ad lacrymas commoverentur. Absoluta re divina accedebat ad mensulam, panemque & aquam sumebat suam. His modis hunc sanctum diem traducebat. Sæcul XIII. A.C. 1267.

Die Cœnæ Domini pauperibus lavabat pedes, aliosque, ut idem facerent, admonebat, sicut Jonavillæ Dominus de se ipso testatur. Præterea sanctus Rex quovis sabbato trium inopum senum pedes abluebat: quibus deinde dabat pecuniam, & ad mensam ipse ministrabat. Quando ei per incommodam valetudinem suam hoc non licebat, per spiritualem Patrem suum præsente stipis erogandæ curatore id fieri curabat. Illius eleemosynæ erant immensæ: singulis diebus, ubicunque agebat, plures quam centum viginti egentes apud se pane, *Joinv. p. 6.* *Duc. p. 4. 7.* *p. 454.* *Joinv. p. 124.*

Sæcul XIII. A.C 1267.

vino, & carnibus alebat. Augebatur eorum numerus in jejunio verno, Dominici adventus memoriæ dicato tempore, cæterisque diebus majore religione celebrari solitis. Rex suis sæpe manibus illis hospitibus, & quidem in quibusdam pervigiliis solennibus servire ducentis solebat, antequam cibum caperet. Quotidie ad prandium cœnamque tres egenos senes adhibebat, eisque dapes de mensa mittebat sua. Utriusque sexus cœnobiis inopia pressis, domibusque hospitalibus abunde largiebatur. Quotannis ineunte vere Dominicanis Franciscanisque Parisiensibus ex ærario suo certam deferri summam jubebat, O quam bene, inquiens, stips hæc impenditur tot Fratribus, qui hæc in monasteria avidissime veniunt sacras docendi litteras, ac perceptas totum per orbem ad Dei gloriam & animarum salutem sparsuri.

Multa cœnobia, ut Regiomontanum Ordinis Cisterciensis, multas Fratrum Prædicatorum Minorumque domos in variis regni locis condidit. Nosocomii Parisiensis reditus majores fecit, Pontæsianum, Compendiense, ac Vernonianum proventibus annuis instruxit, sicut etiam illas ædes Parisinas, in quas homines cæcos trecentos & quinquaginta, immo plures congregavit. Apud Virgi-

Duch. p. 473.

nes

gines Deo sacras quam plurimas mulieres perditas, vel pudicitiæ periculo expositas abdidit. Gnarus autem suorum quosdam de profusis in pauperes largitionibus suis murmurare, ad eos, Quia opus est, inquiebat, nonnunquam immoderatas impensas facere, Dei causa quam terrenæ vanitatis gratia id agere malo, atque ita compensare sumptus nimios, qui pro rebus temporalibus evitari nequeunt. Haud omittebat tamen magnificentiam in ordinario familiæ suæ ornatu & in extraordinariis occasionibus curiarum regalium, summorum senatuum, cæterorumque conventuum, ita, ut digniore pompa, quam ullus antecessorum, honoraretur. Sæcul.XIII. A.C.1267. p.455.

§. LIII.

Continuatio causæ Mediolanensis.

Mediolanum ob detrectationem recipiendi suum Archiepiscopum Ottonem Pro-Comitem per quatuor jam annos divinis interdictum erat. Hic tristis status magnam creabat molestiam Napo Turrio, qui in urbe præcipua pollebat authoritate. Quocirca mense Majo an. 1267. Romam Legatos misit supplicatum, ut illa censura tolleretur. Sed Papa non solum eis aures non præbuit, verum etiam, ne urbem intrarent, pro- *Sup.* §. 6. *Corio p.*283. *Sigon. R. Ital. p.* 103.

Sæcul XIII. A.C. 1267.

hiberi jussit. Ergo Regem Siciliæ Carolum adiere. Is benigne acceptos comperta itineris causa Romam remisit, auxitque comitibus Legatis suis, qui publicum Papæ alloquium pro se ac Mediolanensibus impetrarunt, In consessu sanctiore, cui Archiepiscopus Otto intererat, Legationis Siculæ Princeps præ omnibus loquebatur, Papam & Cardinales orans, ut benevole audirent Mediolanenses, qui summo Pontifici & Imperatoris hostibus semper addicti, Regi Carolo Ecclesiæ obsequendi causa Italiam ingresso & copiis ejus necessaria subsidia cuncta subministrassent.

Cor. p. 287.

Tum Legatus Mediolanensis hujusmodi verba fecit: Nisi statuissemus tuis, Sanctissime Pater, imperiis morem gerere, atque Apostolicæ Sedis dignitatem summa reverentia suspiceremus, rediissemus in patriam, quando nos remiseras, bellique capessendi gratia cum inimicis tuis fœdera pangere studuissemus In materiam postea intrans sic pergebat: Archiepiscopus Leo per tempus Pontificatus sui tantum rixas serere, ac Nobilium ordinem armare contra populum conabatur. Illo mortuo populus fiducia in Turriorum præsidio posita, Raymundum ex horum familia eligi Archiepiscopum curavit, hac ratione civium discordiam sublatum iri sperans. Sed ortis

tis litibus per partes debiles Franciſcus Settalla cooptatus eſt Archiepiſcopus. Tum Papa Urbanus anteceſſor tuus neutrius electionem approbans tertium ob crimina ſua exulem delegit ex illorum numero, qui a longo tempore in patriæ ruinam conſpirabant. Eundem in modum plura Legatus Mediolanenſis magno impetu proferebat contra Ordinem Nobilium, ac præcipue adverſus Ottonem, quem inſuper de hæreſi ſuſpectum reddere volebat, concluſitque alium a Papa poſcendo Archiepiſcopum. Sæcul.XIII. A.C.1267.

Otto Pro-Comes viciſſim ſed moderatius dicebat. Extollebat Nobilium ordinis prærogativas & ingratos populi Mediolanenſis animos, qui eum commota ſeditione vexatum e provincia exegiſſet. Præſertim Martinum Turrium his de malis reum arguebat, Tyrannum vocabat, & obitus Archiepiſcopi Leonis cauſam fuiſſe perhibebat. Amplificabat indignitatem rei, ac inſolentem Mediolanenſium contumaciam, qua creatum a Papa ipſo Archiepiſcopum ſuum (de ſe loquebatur) armatis manibus repuliſſent. Denique illorum crudelitates tam vivis depingebat coloribus, ut aſſidentes ipſum interpellarent, earum horrorem ferendo impares; ac Turrios reddebat tam odioſos, ut Papa horum Legatos a ſacro conventu protinus amandaret. Inita poſt- p. 288. p. 292.

Sæcul XIII. A. C. 1267.

posthæc deliberatione statutum est, ut Mediolanum divinis interdictum maneret, donec Papæ se submittens Ottonem in ipsius sedem reciperet. Tum Legati ad Pontificium revocati consilium, cum Papam & Cardinales graviter offensos cernerent, ne indignationem eorum augerent, se paratos exequi, quidquid Papa præcepisset, asseruere: atque ita dimissi sunt. Verum Archiepiscopus Otto Legatos non nisi ob metum irati Papæ sic locutos esse, populum de iis conquesturum, & Turrios ad solvendum hoc promissum ægre permotum iri videns obtinuit, ut Cardinalium quidam ipsum ad sedem Mediolanensem reducere juberetur. At mors Papam Clementem sequente anno occupans hanc legationem fecit inutilem.

p. 296. *Sigon. p.* 105.

§. LIV.

Schisma inter Græcos.

Schisma inter Græcos adeo ingravescebat, ut filius a patre, mater a filia, nurus a socru se disjungeret. Vagantium monachorum Hyacintho adhærentium numerus ingens Patriarchæ exulis partes suscipiebat: alii virtute sua celebres Gelesiano aliisque cœnobiis relictis vivebant privatim, nec ullam cum Patriarcha Josepho communionem sibi esse volebant.

Pachym. IV. c. 28.

lebant. Accusabant eum, quod, post- Sæcul.XIII.
quam Arsenio fervide studere visus esset, A.C.1267.
hunc circumvenerit. Sed vituperium maximum erat, quod in anathema incurrerit ab Arsenio contortum in illum, qui Imperatorem ad confessionem recipere-ret: unde inferebant, illum tanquam intrusum & ab Ecclesiæ corpore segregatum non habuisse jus Imperatorem absolvendi.

Josephus desperans, eos per lenitatem ad officium posse redigi, authoritatem Principis contra eos adhibere statuit: qui puniri eos voluit a Georgio Acropolita magno logotheta, homine gerendis rebus idoneo, sed æqui ac recti non admodum amante. Hic quibusdam per domos missis, qui monachos seditiosos caperent, istos ex equuleis suspendi, flagellis accipi, plagis lacerari curabat. Qui per virtutem suam existimationem summam collegerant, illos per forum publicum cum ignominia raptari jubebat, & falsis sub obtentibus acerbe habitos mittebat in exilium. Hæc agendi ratio magnam in Josephum indignationem commovebat, & qui eum cum anteceſſore Germano comparabant huic id laudis tribuebant, quod nemini unquam malefeciſſet, quidquid in eum dictum esset. Imperator ipse Germanum c. 29.
denuo venerari, patrem suum dicere, in con-

Sæcul. XIII. A. C. 1267

consilium & ad magni ponderis negotia adhibere cœpit, atque pro aliis orantem benignis auribus eodem mense ac interdum eadem hebdomade sæpius excipiebat.

lib. 5. c. 2.

Interim Arsenitarum numerus crescebat, etiam inter illos, qui Arsenium nunquam viderant. Rumor de Josepho a piorum consuetudine secluso dissipatus multorum animos adeo agitabat, ut mitigari nequirent, quamvis ille, quæ ab Imperatoris largitate acceperat, abunde spargeret. Idcirco, quæ Constantinopoli de se dicebantur, spernere decrevit. Sed in Anatolia quosdam eximiæ probitatis homines suo agendi modo esse offensos audiens, illis se ipsum spectandum offerendo meliora persuadere voluit. Itaque communicato cum Imperatore consilio in Anatoliam cum comitatu apparatuque magnifico profectus illos præstantes viros invisebat, quos inter virtute ac doctrina eminebat Nicephorus Blemmidas.

His dicebat, se ipsum ab Arsenio stare, eum pro Patriarcha habere, & quæ per conspirationem contra eum facta essent, nihili pendere: fuisse tamen opus, ut aliquis locum ejus teneret, Ecclesiamque gubernaret. Quisnam vero, addebat, hoc munus salubriter obiret, inda-

indagando præ reliquis par eram ob Prin- Sæcul.XIII.
cipis erga me favorem, ita, ut non mo- A.C.1267.
do moleſtias, quæ Arſenii partibus acci-
diſſent, avertere, ſed etiam multis aliis
gratias impetrare poſſem bona Imperatoris voluntate utens. Huic ſermoni Joſephus adjungebat dona, quæ aliquos ex his bonis eremitis, non autem Blemmidam movebant. Erat enim verus philoſophus rebus terrenis omnino extricatus, quarum eventus omnes imperturbatus ſpectabat, ut ſi ejus anima a corpore ſeparata jam eſſet. Igitur res in ſe ipſis ſine hominum reſpectu conſiderans, Arſenium læſum, Joſephum poſſeſſorem iniquum, ſed utrimque nihil novi eſſe videbat, attenta rerum humanarum ſolenni viciſſitudine. Et vero tantum aberat, ut Joſepho blandiretur, ut ſe adeunti nunquam obviam iret e cellula, aut intranti aſſurgeret. Non tamen illum ſpernebat; contra orabat, ut ipſius teſtamentum confirmaret ſubſcriptione ſui nominis, & ab Imperatore ratum haberi curaret, ſicut fecit etiam, ſed poſt Blemmidæ mortem executioni datum non eſt.

§. LV.

Sæcul. XIII. A.C. 1267.

§. LV.

Papæ ad Palæologum epistolæ.

Imperator Michael Palæologus quædam puncta cum Simone Arvernienſi tribusque aliis Fratribus Ordinis Minorum an. 1263. a Papa Urbano IV. ad ſe miſſis ob reconciliandas Eccleſias confecta, ſimulque profeſſionem fidei ad Papam Clementem deferri curaverat, qui eam ob quædam ibi omiſſa, & ob errata aliqua non probabat. Quamobrem illi profeſſionem fidei Eccleſiæ Latinæ miſit contentam litteris, in quibus aſſerit, Papam Urbanum merito fidem pro fundamento reconciliationis poſuiſſe, atque his in materiis agendum candide, clareque loquendum eſſe. Profeſſionem fidei orditur a myſteriis SS. Triadis naturæque divinæ cum humana conjunctæ. Poſtquam de unitate baptismatis, ac de piacularibus flammis meminit, ſubjungit: Animæ a noxis omnino puræ mox admittuntur in cælum. Sed animæ illorum, qui peccato mortifero vel ſola labe nativa infecti moriuntur, protinus deſcendunt ad inferos, diſſimiles tamen pœnas daturæ. De loco infantium nullam hic mentionem facit.

Sup. §. 15. *Rayn.* 1267. *n.* 72. *Vading. c. de n.* 1.

Tum ſeptem Sacramenta recenſet, de Evchariſtia dogma panis & vini in Chri-

Christi corpus & sanguinem conversi, ac de matrimonio ad alteras, tertiasque ac ulteriores nuptias procedendi libertatem expresse memorans. Extollit primatum Papæ cum plenitudine potestatis, & copiam appellandi ad Sedem Apostolicam ex omni parte in causis Ecclesiasticis; agnoscens privilegia reliquarum Ecclesiarum sed tanquam a summa Sede emanantia. Deinde addit: Hanc fidem novo examini subjicere non cogitamus. Idcirco eam simpliciter ac sine argumentis exponere contenti sumus. Sed statuimus ad te Nuncios mittere, quibus ad nos redeuntibus aliquos e doctissimis inter tuos adjungere poteris. Postremo spondet convocationem concilii, si ad confirmandam reconciliationem opus esse censeatur. Dabat 4. Martii an. 1267. eodemque die ac eundem in finem Constantinopolitano Patriarchæ Græco scripsit. Hoc ad negotium, quos promiserat, Nuncios ex Ordine Prædicatorum delegit: ut apparet ex litteris ad Hubertum quintum Ordinis Magistrum generalem 9. Jun. datis.

Sæcul.XIII. A.C.1267.

Rayn. n.81.

Interea Imperator Palæologus Papæ scripsit, tanquam Palæstinæ periculo, ac Regis Armeniæ damnis commotus; sed significabat se metuere, ne, si contra ethnicos iret, Latini terras ipsius invaderent, quæ tunc præsidio carerent.

n.66.

Papa

Sæcul. XIII. A.C. 1267.

Papa repoſuit: Tuo te metu facile liberabis redeundo ad Eccleſiæ Romanæ finum. Nec dicas, obedientiæ nobis debitæ detrectationem non tibi vel populo tuo, ſed Præſulibus atque Clero adſcribendam eſſe! Scimus enim, te poteſtatem in eos nimiam uſurpare. Dabat 17. Maji an. 1267.

Ducange hiſt. C. P. lib. 5. n. 49.

Latinorum timor, qui Palæologum inceſſerat, non fuit abs re. Nam eodem tempore Imperator Balduinus Viterbium, ubi Papa tunc erat, delatus eo præſente cum Carolo Siciliæ Rege pactionem conflavit, per quam hic Princeps ſpondebat, fore, ut illi ad recipiendum Imperium Conſtantinopolitanum intra ſex annos bis mille equites ſuis ſubminiſtret ſumptibus, & unius anni ſpatio ſuſtentet. Viciſſim Balduinus dominium directum Achajæ ac Moreæ ad Guilielmum Villarduinum pertinentium Carolo cedebat, ita, ut ambæ in poſterum a ſolo regno Siculo nexu beneficiario penderent. Inſuper Regi concedebat terras, quas Michael Epiri Deſpota filiæ ſuæ Helenæ Manfredi ſponſæ in dotem dederat, & tertiam partem eorum, quæ memorati bis mille equites armis ſubigerent. Convenit etiam inter illos, ut Philippus Balduini filius, cui ad hæreditatem jus proximum eſſet, Beatricem Caroli filiam connubio ſibi jungeret, atque, ſi ſine liberis

beris decederent, jura ad Imperium Constantinopolitanum transirent ad Carolum & successores ejus Reges Siciliæ. Hæc pacta in conclavi pontificio 27 Maji an. 1267. confecta sunt. Ab eo tempore Rex Carolus Caninam in Epiro ad os sinus Adriatici, insulam Corcyram, & Principis Helenæ terras possidebat: sicque ad Imperium Romaniæ liberum habebat aditum. Sæcul.XIII. A. C. 1267.

§. LVI.

Concilium Viennæ in Austria habitum.

Jam duobus abhinc annis Papa Clemens in regiones Septentrionales Legatum miserat Guidonem ex Abbate Cistercienſi Cardinalem Presbyterum de S. Laurentio. Ejus potestas in Daniam, Sueciam, magnam Germaniæ, Poloniæque partem, nimirum in provincias ecclesiasticas Bremensem, Magdeburgensem, Salisburgensem, ac Gnesnanam porrecta erat: ut patet ex litteris pontificiis 8 Junii anno 1265. ei traditis. Hic Legatus Viennæ Austriæ 10 Maji an. 1267. concilium celebravit, cui sex Episcopi, nempe Joannes Pragensis, Petrus Passaviensis, Conradus Frisingensis, Leo Ratisbonensis, Bruno Brixinionensis, Amalaricus Lavandomundanus in Carniola *Rayn.* 1265. *n.* 50. *t.* 11. *Conc. p.* 858. *ex Sterone.*

Sæcul. XIII. A.C. 1267

cum plurimis Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis ac Decanis intererant. Ibi constitutio edebatur decem ac novem puncta continens decretis Synodi Colonienſis priore anno habitæ multum ſimilia. Sunt autem ista. Clerici, qui publice concubinas detinent, intra ſpatium menſis ab earum conſuetudine ſe disjungant, alioquin beneficiis privandi ſuis. Nullus beneficia plura habeat ſine legis gratia ſibi facta. Solvantur decimæ quippe jure divino debitæ. Clerici ſeculares ac Religioſi Antiſtitum ſuorum correctioni ſe ſubtrahendi gratia ad hominum profanorum præſidium precesque armatas non confugiant, alioquin beneficiis ſuis exuendi. Cum Abbates & monachi Ordinis S. Benedicti pluribus in locis a monaſtica diſciplina receſſerint, ita, ut mali exempli vitam ducant: omnes illius provinciæ Epiſcopi cum duobus quisque Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis intra dimidium annum omnia nigrorum monachorum cœnobia ſuæ diœceſis obeant, & inſtaurent, exceptis illis, quæ Pontifici Maximo proxime ſubjecta Legatus per ſe ipſum vel per alios luſtranda ſuſcipit. Judæi, ut ſe diſtinguant a Chriſtianis, pileos cornutos gerant. Parocho pendant decimas, & omnia, quæ darent Chriſtiani, qui eorum domos incolerent. Plures adhibentur cau-

Sup. §. 43.

c. 3.

c. 6.

c. 7.

c. 9.

c. 13.

c. 15. 16. *&c.*

cautiones, ne illi Christianos depravent. Sæcul XIII. A. C. 1267.

Legatus deinde profectus in Poloniam 28. Junii eodem anno 1267. Cracoviam advenit, ubi Rex Boleslaus Castus, & Paulus Episcopus instructo cum agmine ei obviam procedebant. Inde Uratislaviam delatus, ibi anniversario Purificatæ Virginis die 2 Febr. an. 1268. Concilium nationis habuit, in quo comparebant octo Episcopi, Januſſa Archiepiscopus Posnanienſis, seu potius Gnesnanus, Paulus Cracoviæ, Thomas Uratislaviæ, Volimirus Uladislaviæ, Nicolaus Posnaniæ, Thomas Ploci, Guilielmus Lusucii, ac Henricus Culmæ Episcopi. Legatus illic populum ad suppetias terræ sacræ ferendas animavit: quo fine præcipuis in templis stipis cogendæ tigilla sunt posita. *to.* 11. *Conc. p.* 858. *ex Michor.*

§. LVII.

Errores de Eucharistia.

Ut ad Papam Clementem relatum est, Doctor Theodoricus Bavarus Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus reliquis doctior videri cupiens palam & sacro e suggestu asserverat, in Sacramento altaris corpus Christi non vere ac proprie, sed tantum per significationem esse; nec corporeo, sed spirituali modo accipi: denique *Rayn.* 1267. *n.* 39.

Sæcul. XIII. A.C. 1267.

nique cælum aperiri, descendere Angelos, panem vinumque deferri in cælum, ibique in Christi corpus & sanguinem converti. Sic exponebat illa in divino sacrificio canonis verba: *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum!* Theodoricus hac de causa in plena Synodo Hildeboldo Archiepiscopo Bremensi denunciatus est, a quo respondere ad accusationem jussus renuit, se, si opus foret, ad sui purgationem in curia Romana faciendam paratum esse causatus. Hic substitit Archiepiscopus, tantumque abfuit, ut eum insectaretur, ut dein eundem Ecclesiæ suæ Canonicum facere cogitaret. Historia nos docet, Hildeboldum, sicut reliquos Germaniæ Præsules non tam doctrina quam bello se occupasse temporalia sua conservandi augendique gratia.

Hist. Arch. Brem. p. 113.

Papa re comperta per litteras ei tantam in causa tam gravi negligentiam exprobrans præcepit, ut hunc Doctorem errores illos retractare publice, ac ejurare, contrariasque veritates docere per censuras Ecclesiasticas cogeret. Si recuset, aut in illos recidat, inquit Papa, comprehensum, ut pro meritis suis tractetur, cum valida custodia ad nos mittes, ac celeriter omnia, quæ hac in re feceris, nobis perscribes.

Mau-

Maurinus Canonicus Narbonenſis Papæ Urbano ſucceſſerat in regimine metropolitanæ illius Eccleſiæ, ac inprimis charus manſerat. En epiſtolam, quam Papa 28. Oct. an. 1267. ad illum dedit! Familiariter ac ſolo præſentium ſcriptore conſcio tibi ſignificamus, quid nuper audierimus; ſcilicet te in noſtra verſantem curia viro magno de Sacramento altaris tecum colloquenti dixiſſe, Chriſti corpus ibi non adeſſe re ipſa, ſed ſolummodo ſicut denotatum ſub ſigno; teque addidiſſe, hanc opinionem Pariſiis eſſe celebrem. Serpſit occulte hic ſermo, & ad noſtras denique aures perveniens nos graviter offendit, ægerrime credentes, te hæreſim tam manifeſtam locutum eſſe. Hortatur, ne hunc errorem ſcholæ Pariſinæ tribuat, & ad Eccleſiæ fidem ſe conformet. Archiepiſcopus Narbonenſis reſpondit ſcripto, quo errorem execrans, ſe unquam eum protuliſſe pernegat, & contrariam aſſerit doctrinam ſacri codicis Doctorumque catholicorum authoritate ſtabiliens.

Sæcul. XIII. A.C. 1267.

Gall. Chr. t. 1. p. 386. Rayn. n. 35.

Duboulai tom. 3. p. 33.

§. LVIII.

Petrus Charnius Archiepiſcopus Senonenſis.

Guilielmo Delabroſſio Senonenſi Archiepiſcopo ſuum ob ſenium & in-

Sæcul XIII. A. C. 1267.

firmitatem se munere suo abdicanti per electionem successit Petrus Charnius ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus. Obscuris ortum parentibus Archiepiscopi Henrici Cornuti, qui Guilielmum antecesserat, fratres præceptorem habuerant. Henricus illum Ecclesiæ Senonensis Canonicum & sacro in foro Judicem, Papa Urbanus IV. suum cubicularium fecit; & Clemens IV. in officio perbene gesto confirmatum, ac postea consecratum ut Archiepiscopum Regi S. Ludovico commendavit per epistolam 11. Martii 1267. datam. Petrus in Senonensem Ecclesiam suam die Pentecostes 5. Junii eodem anno receptus est. Ita vacantem ejus Archidiaconatum Rex pro jure suo in Girardum Rampillonium Archidiaconum Melodunensem contulit ea conditione, ut is priorem deponeret; nam Rex duo beneficia conjungi constanter nolebat. Sed Papa Clemens morem Innocentii III. tempore introductum confirmans per constitutionem edixerat, beneficia in curia Romana vacantia a solo Papa conferri posse: & Archidiaconatum Senonensem per majorem Petri Charnii dignitatem sic vacasse perhibuit. Vetabat igitur, ne Girardus Rampillonius muneris hujus possessionem adiret, antequam ipsi se sisteret. Conquestus etiam Regi Papa, quod ipsi debitam observan-

Gall. Chr. tom. 1. p. 641. 642.

Lib. Gall. p. 3701.

Duboulai p. 390.

vantiam hoc in casu non exhibuisset, Archiepiscopum Petrum cum remitteret, Archidiaconatum cuidam alii post auditas tamen Regis rationes tribuere jussit. Res non composita fuit Ludovico aut Clemente vivo: sed per eventum Rex causam obtinuit, & Girardus in possessione Archidiaconatus Senonensis mansit. Quantumvis alienus a suis suorumque commodis spectandis Papa Clemens cæteroquin fuerit, hoc in negotio sicut in Remensi cernimus, eum tueri jura vel minima, quæ dignitati suæ conjuncta credebat, mirifice studuisse. Sæcul. XIII. A.C. 1268.

Anno sequente 1268, sexto Junii naturæ cessit Reginaldus Corbolinus Episcopus Parisiensis, postquam decem & octo annis sederat. Ad S. Victorem sepultus successorem habuit Stephanum Temperium Aurelianensem, Ecclesiæ Parisinæ Cancellarium, qui Dominica ante festum S. Dionysii septima Octobris eodem anno captam sedem illam undecim annis tenuit.

§. LIX.

Conradinus a Papa proscriptus.

Post Manfredi cladem quindecim annorum Princeps Conradus Imperatoris Friderici nepos sub nomine Conradini notior ad Romanum aspirans Imperium *Mon. Pad. p. 623.* *Anon. Sicul. p. 880.*

Sæcul. XIII. A. C. 1268.

Rayn. 1268. n. 4.

stimulantibus Germaniæ Principibus suis cognatis vel familiæ suæ amicis interim Siciliæ Regis titulum sibi asseruit a factione Gibellinorum in Italiam vocatus. Quo comperto Papa Clemens in primario Viterbii templo die dedicatæ S. Petri Basilicæ Romanæ 18. Nov. an. 1266 prohibuit, ne Conradinus porro procederet; ac nequis cujuscunque dignitatis eum agnosceret Regem Siciliæ, aut molitionem ejus ullo modo promoveret, vetuit, pœna anathematis in homines, interdicti in urbes sancita. Conradinus haud omisit suos in Hetruria vicarios, in Sicilia administros constituere, ibique gratias & privilegia dispertiri: ut docebant epistolæ, quæ in Papæ manus inciderant. Quapropter is die Cœnæ Domini 14 Aprilis an. 1267 easdem inhibitiones, ac minas contra illum & fautores ejus repetiit, eos in censuras in priore sententia memoratas incurrisse declarans: Conradinus simul jubebatur coram Papa intra festum SS. Petri & Pauli per se aut per Procuratorem idoneum comparere, ut eorum, quæ insolenter ausus esset, rationem reddens Ecclesiæ arbitrio se submitteret. Eodem anno die Ascensionis Domini 26 Maji Papa Conradino severe interdixit ne Italiam intraret præterquam eo fine, ut ad summam Sedem vocatus adesset. Attamen hic Princeps cum suo avunculo

Duce

Duce Bavariæ, & cum Comite Tirolis vitrico suo, Veronam, quo accersitus erat, profectus tres ibi menses manebat. Sæcul XIII. A.C.1268.

Tum Papa eum infectari pergens die anniversario dedicatæ S. Petri Basilicæ declaravit eum in anathema incurrisse, ipsumque ac universas ejus partes intra mensis spatium Veronam & totam Italiam relinquere, nec ullo modo se Imperii aut Siciliæ rebus immiscere jussit: alioquin illum omni ad regnum Hierosolymitanum jure privatum, & singulos ei subditos fidelitatis juramento solutos voluit. Censuræ secundum proportionem in Ducem Bavariæ cunctosque viros illustres Conradini comites, & in civitates, quæ illum reciperent, extendebantur. Nec tamen magis, quam priores, eum cohibebant: sed an. 1268 Verona Ticinum cum delectis copiis delatus aliquot ibi mensibus hærebat. Papa itidem suo agendi modo insistens, eodem anno die Cœnæ Domini 5 Aprilis rursus illum a piorum cœtu secluſum, prædiis ac provinciis forsan ab Ecclesia beneficiaria lege acceptis regnoque Hierosolymitano exutum, aliud tenendo inhabilem, populos a fide illi jurata liberos, ac ejus terras divinis interdictas pronunciavit. Hæc sunt, quæ continent litteræ eodem die datæ, postquam omnem priorem agendi rationem proposuerant. *Mon. Pad.* *Rayn. n. 14.*

Sæcul. XIII. A. C. 1268.

§. LX.

Henricus Castellæ Princeps Romæ agit.

n. 21. Illo ipso die Papa contra Romanos litteras edidit, in quibus eis ingrati erga matrem suam Ecclesiam se beneficiis cumulantem animi exprobrantur, additurque: Postquam Conradinum damnatæ stirpis surculum, & apertum Ecclesiæ hostem, cunctosque fautores ejus proscripsimus: Galvanum Lanceam maledictionis filium cum explicatis Conradini vexillis Romam ingressum cives magnifica pompa excipere, usque ad Lateranense palatium ducere, ac inter majora etiam humanitatis officia ad suos ludos publicos admittere; tum Nuncios alios Conradini litteris instructos congregato in Capitolium consilio solenniter audire non dubitarunt. Itaque Papa Henricum Castellæ Principem Romæ Senatorem, Guidonem Monfelitranum ejus vicarium, administros reliquos, & omnes illos, qui Galvanum cæterosque Conradini Nuncios sponte receperant, ab Ecclesia sejunctos declarat. Has litteras, sicut priores, dabat Viterbii memorato die.

Mariana l. 11. c. 11. Duchesne p. 387. Henricus Castellæ Princeps erat S. Ferdinandi Filius, Regis Alphonsi Astrologi frater. Cum ab hoc dissideret, ex

ex Hiſpania ad Regem Tunetanum pro- Sæcul XIII.
fectus quatuor annos apud eum traduxit. A.C.1268.
Ibi multum religionis ſuæ perdidit, mul- *Anon. Sicul.*
tum de moribus Muſulmannorum induit *p.* 881.
ſceleſtiſſimus homo factus. Ut Carolum
Siciliæ Regem arcta ſanguinis commu-
nione contingebat, eum poſt Manfredi
cladem hujus regni ſolium conſcendiſſe
audiens an. 1266, eundem adiit cum mul-
tis præclaris Hiſpaniæ Equitibus. Sua- *p.* 882.
viter a Carolo acceptus, ut in ejus locum
Romæ Senator eligeretur, callide cura-
vit. Tum quibusdam in Carolum rebel-
libus ducem ſe præbens, partes Conra-
dini ſuſcepit. Igitur Romæ dominans
theſauros in templis abditos diripuit. Ve- *p.* 884.
tus enim non Romanis modo, ſed & ex-
teris mos erat, ut metu prædonum & in-
curſus hoſtium in cœnobiis ac templis
pecunias & magni res pretii deponerent,
quippe nusquam melius quam in locis
ſacris ſervandas. Henricus nulla reli-
gione tactus effringi portas, proſanari ſa-
craria, recludi ciſtas jubet. Hinc nume-
rata pecunia, illinc vaſa aurea & argen-
tea, aliunde ornamenta, denique pretioſa
omnia aſportantur. Sic baſilica Latera-
nenſis, ſic templa S.Pauli, S.Sabbæ, S.Ba-
ſilii in monte Aventino, S. Sabinæ alia-
que expilantur: luctuoſis Cleri clamori-
bus urbs tota perſonat.

§. LXI.

Sæcul. XIII. A.C. 1268.

§. LXI.

Concilium Londinense.

M. Westm. p. 386. Interim Legatus Ottobonus Londini ad S. Paulum 23 Aprilis an. 1268 e cunctis Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Præsulibus collectum habuit concilium, in quo decretum edixit quinquaginta quatuor puncta continens idonea tollendis belli civilis effectibus, rebus in ordinem redigendis, ac reducendæ executioni canonum, qui fere non observabantur amplius, multo minus sanctiones per Ottonem Cardinalem Diaconum tit. S. Nicolai Pontificium apud Anglos Legatum in concilio Londinensi an. 1237 factæ. Nam Ottobonus pæne solum repetit hujus concilii constitutiones, & additamenta jungit ad efficiendam earum executionem pertinentia, ac quædam alia. En illa, quæ memorabiliora mihi visa sunt.

To. XI. conc. p. 866.

Sup. lib. 81. §. 7.

to. II. p. 525.

c. 2. Confitendi libertas nemini denegetur, ut carcerum custodes interdum captivis facere audimus. Qui porro id egerit, ecclesiastica sepultura privabitur.

c. 4. Clerici etiam sub obtentu justitiæ non portent arma; nedum eo fine, ut se socient cum prædonibus, ipsaque templa diripiant.

c. 5. Illorum togæ quod audebant aliqui. non sint ita curtæ, ut eos reddant ridiculos,

los, sed media saltem crura contingant. Religiosi facti Episcopi suam vestem regularem gerant. Clericorum concubinæ ab ingressu templorum & communione Paschali arceantur. Templis, cœmeteriis, cœnobiis, locisque sacris sua conservetur immunitas: & quisquis eo profugum inde per vim abstraxerit, vel rem ibi depositam abstulerit, in anathema ipso facto incurret, ac ejus terræ locaque, quo persugerit, erunt divinis interdicta. Idem dictum sit de illis, qui e domibus ad Clericos spectantibus invitis Dominis quidquam asportaverint. Matrimonii celebrationem in facie Ecclesiæ nemo impediat.

Præsules fructus Ecclesiarum vacantium non sibi vendicent sive ad annum sive ad aliud tempus, nisi privilegio vel consuetudine nitantur. Hic videmus inceptum jus annui fructus caduci ex vacante beneficio ecclesiastico: & in Oxonienſi concilio anni 1222 jam vidimus, quosdam Episcopos beneficiorum collationem distuliſſe, ut eorum proventus perciperent. Beneficiarii omnes ædificia sedulo reparent, nisi Episcopus id curet fieri sumptibus illius, qui beneficii possessionem ac titulum habet. Nequis plura beneficia animarum cura prædita simul possideat, vetatur iterum, semper tamen cum hac exceptione: Sine solutione a legibus

Sæcul. XIII. A.C. 1268.

c. 8.

c. 13.

c. 14.

c. 16.

Thomass. disc. par. 4. lib. 4. c. 32. Sup. lib. 78. §. 56.

Conc. Ox. c. 4.

c. 18.

Conc. Lond. c. 30. 32. 33.

Sæcul. XIII. A. C. 1268.

gibus per apoſtolicam Sedem facta. Hæc autem exceptio enervabat legem ob facilitatem impetrandi gratiam legis. Prohibetur etiam, nequis beneficia plura teneat perhibendo, ſe nomine proprio alterum, alterum jure fiduciario poſſidere: id quod eſt, ait Concilium, non legis ſenſui ſed verbis adhærere, & applicare cupiditati, quod pro neceſſitate vel emolumento Eccleſiarum eſt introductum. Tum Legatus per totam legationis ſuæ amplitudinem quotannis poſtridie octavam Pentecoſtes ſolennem ſupplicationem publicam fieri jubet, ut a Deo conſervatio pacis, terræque ſanctæ recuperatio impetretur. Reliqua decreti puncta ad inſtaurandam monachorum & regularium diſciplinam attinent, ultimumque præcipit, ut quotmenſibus ſaltem ſemel ſacram confeſſionem faciant.

c. 31.

c. 36.

c. 38. 39. *&c.*

M. Weſtm. p. 400.

Mat. Par. p. 857.

Poſt id concilium Cardinalis Ottobonus Northantoniam profectus, ibi duobus Regis Henrici filiis Eduardo ac Edmundo, Comiti Gloceſtrienſi & compluribus aliis nobilibus Anglis ſacræ in Palæſtinam peregrinationis crucem tradidit. Principem Eduardum ad militiam ſacram ſanctus Rex Ludovicus induxerat, qui in Franciam vocatum, ut itineris tranſmarini comitem ſe ipſi jungeret, orarat, pro ſumptibus ei tricies mille argenti ſelibras præbens mutuas. Cardinalis Ottobonus ex

ex Anglia magnas secum opes auferens in Hispaniam transiit, ubi Regem Castellæ ad suppetias terræ sacræ mittendas stimulare per Papæ litteras 22 Junii datas jubebatur. Rex Arragoniæ, ut vidimus, ac Rex Lusitaniæ crucem jam induerant, qui a Papa pro impensis itineris regni sui decimas postulandi copiam obtinuit, etsi graves de illo querimoniæ jactarentur, ut liquet ex epistola, quam ei Papa hac de re postremo Julii scripsit. Sæcul. XIII. A. C. 1268. *Rayn. n. 51.* *Id. n. 38.*

§. LXII.

Res Imperii.

Sed Regem Castellæ jus ad Imperium magis tangebat, quam expeditio sacra. Papa Urbanus e vita recesserat ante tempus conficiendo huic negotio a se præstitutum, nempe diem S. Andreæ an. 1265. Papa Clemens distulerat usque in diem Veneris post Epiphaniam, octavum Januarii anni 1266. Hoc die Richardi Angliæ Principis Procuratores, quos ducebat Henricus ejus filius natu major, se Papæ sistebant, ad stabiliendum Richardi jus plura causæ instrumenta producentes: ex parte Regis Alphonsi Rudolphus Poggio-Bonitianus comparuit sed sine instrumentis, jus Domini sui satis esse demonstratum perhibens. Attamen *Sup. §. 20.* *Rayn.* 1266. *n.* 36. *Id.* 1267. *n.* 23.

Sæcul. XIII. A.C. 1268.

men in Germania, Gallia, Hiſpania, & Italia rem teſtimoniis probandi facultatem petiit. Annuens Papa producendis teſtibus urbes Francofurtum, Pariſios, Burgos, Bononiam, & curiam Romanam, inquiſitioni vigiliam feſti Sanctorum Omnium, judicio SS. Virginis ab Angelo ſalutatæ feſto ſucceſſurum diem, vigeſimum ſextum Martii anni 1268 tanquam peremptorium, ut vocant, deſtinavit, monuitque Regem Alphonſum, ne ſibi Romæ coronam imperatoriam imponi cuperet, antequam in Romanorum Regem Aquisgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſſet.

Rayn. 1268. *n.* 42.

Cum præfinitus dies nempe vigeſimus ſextus Martii effluxiſſet, Guilielmus Archidiaconus Roffenſis Richardi Angli Procurator ad Papam & Cardinales venit, poſtulans, ut cauſa de duplici electione ad Imperium absque dilatione alia definite decideretur. Verum Regis Alphonſi Procuratores exponebant, Epiſcopum Silvenſem, qui hoc negotium antea ſuſcepiſſet, a Gibellinis in Hetruria necatum, cauſæ inſtrumenta, quæ portaſſet, cum eo perdita eſſe, ac Rudolphum Poggio-Bonitianum graviter ægrotantem obſeſſo caſtro incluſum manſiſſe. Hæc conſiderans Papa Regi Alphonſo iterum dilationem dedit usque ad Calendas Junias anni

anni proximi. Hanc in sententiam Papa Regi Alphonso 18 Maji scripsit. Sæcul. XIII. A.C 1268.

Sed Electores his dilationibus fatigati, & incommodis, quæ diuturna vacatio Imperio accersebat, commoti Richardum, Alphonsum Papamque ipsum illudere sibi querebantur, ac tertium eligere statuerunt. Dicta est dies, ac singuli Electores ad ineunda rursum suffragia convocati sunt. Rex Bohemiæ, qui jam tum ex illorum numero erat, Papam id edocuit, quid sibi hac in re agendum esset, interrogans. Papa ei respondit fusam per epistolam, in qua omnia sub duobus antecessoribus suis Alexandro & Urbano, suoque sub pontificatu hoc in negotio facta commemorat: dein addit: Quid igitur culpæ in Ecclesia residet? Forsitan, quod Germaniæ Principes in diversa abierint suffragia? An, quod duo electi jure, quod se obtinuisse credunt, cedere renuant? Vel, quod Ecclesia pro moderatione sua illorum jura per iniquam vel præcipitatam sententiam violare noluerit? Aut, quod non occurrerit casibus fortuitis, quos avertere nulla prudentia potest? Hæc si expenderent Electores, erubescerent electionem tertiam cogitare interea, dum judicium de duabus prioribus, quas ipsi fecerunt, suspenditur. Finit prohibendo, ne denuo in suffragia eant,

n. 43.

n. 46.

Sæcul. XIII. A. C. 1268. quæ in anteceſſum declarat irrita. Dabat 7 Novembris an. 1268.

§. LXIII.

Conradini mors.

Mon. Patav. p. 623. *Stero annal. 1268.* *Ptol. Luc.* *Duchesne p. 893.* *Ric. Maleſp. c. 82. 83.* *Rayn n. 32.* *Duchesne p. 893.* *Id. p. 382.*

Interea Conradinum proſperos inter ſucceſſus rerum per Lombardiam ac Heſtruriam Romam usque progreſſum Senator Henricus Caſtellæ Princeps ac populus quaſi Imperatorem ſummo gaudio exceperat. Inde in Apuliam profecto Rex Carolus ſeſe oppoſuit, ac exercitus prope Taleacotium adverſis concurrentes ſignis cruentum commiſere prælium, quo Conradinus ingentem accepit cladem die Jovis 23 Auguſti an. 1268. Hoc ipſo die Rex Carolus victoriæ ſuæ nuncium ad Papam miſit, quid Conradino ac Henrico Senatore factum eſſet, nondum gnarus. Fugerant autem ambo: ſed cum pluribus aliis captos Carolus Neapolim & in carcerem duci voluit. In pugnæ loco tanquam grati pro ſecundo rei exitu animi monumentum condidit monaſterium Ordinis Ciſtercienſis ſub nomine S. Mariæ de Victoria, poſt annos quadraginta terræ motu everſum.

Viri legum peritiſſimi de captivis ſententias Neapoli dicere juſſi eos ad mortem condemnarunt tanquam læſæ Majeſtatis reos ac Eccleſiæ inimicos. Carolus

lus Henrico Caſtellæ Principi vitæ gratiam fecit tam cognationis cauſa, quam quod Montis Caſſini Abbas, qui eum comprehenderat, non niſi hac conditione tradidiſſet, ne ad ſacra munia inhabilis fieret, timens. Conradinus ejusque cognatus Dux Auſtriæ & quidam alii extremo ſupplicio ſunt affecti: prius tamen in ſacello quodam eis ſacro funebri pro animabus ſuis facto intereſſe licuit, ſpatiumque noxas confitendi datum. Poſthæc in forum Neapolitanum ducti ſecuri omnes percuſſi ſunt 26 Octobris. Conradini cædes a plurimis improbata Regem Carolum reddidit odioſum, quem propterea Papa & Cardinales acriter objurgarunt: & in hoc Principe adoleſcentulo domus Suevica extincta eſt. Sæcul XIII. A.C. 1268. *Malaſp.*

§. LXIV.

Clemens IV. obit.

Papa Clemens IV Viterbii ſemper agebat, ubi pridie feſtum S. Andreæ 29 Nov. an. 1268 naturæ ſatisfecit, poſtquam tres annos, novem menſes, ac viginti quatuor dies ſederat. Erat magnæ vir prudentiæ, excellens jurisconſultus, ac egregius verbi divini præco: Viterbii ſæpe, cum eſſet ſummus Pontifex, conciones habebat populum in catholica fide confirmandi gratia: cantabat etiam *Rayn. n. 54. Papebr. conat. p. 53.*

Sæcul. XIII. A. C. 1268.

belliſſime. Longum per tempus abſtinebat a carnibus; in lecto cubabat duriſſimo, nullum linteum induebat, vitamque agebat integerrimam. Terræ mandatus eſt Viterbii in templo Prædicatorum, ubi ſepulchrum ejus etiamnum cernitur, imagine S. Hedwigis Polonicæ, quam inter cœlites annumeraverat, ornatum. Poſt ejus obitum apoſtolica ſedes duobus annis, decem menſibus, ac viginti ſeptem diebus vacavit.

Sup. lib. 81. §. 49.

Rayn. 1267. n. 83.

Ejus tempore Sodales de Vexillo Romæ in honorem SS. Virginis conſociati ſuam adſtrinxere fidem, ut quotannis ter ſacra confeſſionis communionisque myſteria obirent: & Papa Clemens hoc pietatis genus per diploma ratum habuit, centum dierum indulgentiam, quoties Sacramenta ſuſciperent, illis concedens: id quod indicat, ea tunc parum frequentata fuiſſe. Hæc ſodalitas omnium prima & reliquarum norma fuiſſe dicitur; traxitque ſuum nomen a vexillo, quod in ſupplicationibus publicis portabat.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER LXXXVI.

GREGORIUS X. DEINDE INNOCENTIUS V. TUM ADRIANUS V. SUMMI PONTIFICES.

RUDOLPHUS I. OCCID. MICHAEL VIII. ORIENT. IMPP.

§. I.

S. Ludovici Sanctio Pragmatica.

Rex S. Ludovicus ad ſuum ſe iter præparans, ut Eccleſiæ Gallicæ tranquillitati per abſentiæ ſuæ tempus conſervandæ proſpiceret, Deique præſi- Sæcul. XIII. A. C. 1269. *to. II. conc. p. 907.*

Sæcul. XIII. A. C. 1269.

Duboulai p. 89.

dium illi accerſeret, celebrem conſtitutionem edidit ſub nomine Sanctionis Pragmaticæ notam diviſamque in ſex puncta ſequentia. I. Tam Eccleſiæ quam Præſules, beneficiorumque Patroni & collatores ordinarii pleno jure ſuo fruantur, & ſua cuique jurisdictio permaneat integra. II. Eccleſiæ cathedrales & aliæ libertate electionum gaudeant, quæ prorſus effectæ dentur. III. Sacrorum nundinationem, crimen Eccleſiæ tam perniciosum e noſtro regno penitus exterminari volumus. IV. Dignitates & alia beneficia officiaque eccleſiaſtica ſic conferantur, ut jus commune, concilia, & inſtitutiones veterum Patrum poſtulant. V. Renovamus probamusque libertates, prærogativas, immunitates, ac privilegia tum Eccleſiis, monaſteriis, aliisque locis piis, tum perſonis eccleſiaſticis a Regibus noſtris anteceſſoribus & a nobis conceſſa. VI. Neutiquam volumus exigi colligive penſiones pecuniarias, & tributa graviſſima, quæ Aula Romana Eccleſiæ regni noſtri his collectis miſere exhauſti impoſuit, aut imponet, niſi hoc faciat ob cauſam juſtam, & urgentiſſimam, vel ob neceſſitatem inevitabilem, atque de noſtro ac Eccleſiæ conſenſu libero & expreſſo. Dabat Pariſiis an. 1268 menſe Martio, nimirum an. 1269 ante Paſcha.

Quæ-

Quædam exemplaria punctum sextum contra exactiones Aulæ Romanæ non continent: sed subtractum merito creditur. Quamvis enim Aula Romana in reliquis hujus decreti punctis haud nominetur, satis tamen apparet, id tendere potissimum ad reprimendas summorum Pontificum molitiones contra propriorum Præsulum jura eligendi, collationes beneficiorum & jurisdictionem litigiosam: etsi sanctus Rex fortassis etiam Procerum Judicumque profanorum molimina spectaverit. Ab aliquot annis molestas cum Papa Clemente quanquam cæteroquin amico suo controversias habuerat de regio jure in vacantia beneficia Ecclesiarum Remensis ac Senonensis: similibusque disceptationibus prævertere, ad Regis prudentiam pertinebat. Sæcul. XIII. A. C. 1269.

Sup. lib. 85. § 44. 58.

§. II.

S. Bonaventura pauperum causam scripto tuetur.

Quidam Doctor Parisiensis nomine Girardus Abbavillanus Guilielmum de Sancto Amore defendens denuo Fratres Mendicantes scripto impugnaverat, cui sanctus Bonaventura pro responsione oppposuit opus inscriptum Patrocinium Pauperum, hoc anno 1269, ut putatur,

Sæcul. XIII. A.C. 1269.

editum. Ibi authorem confutatum haud nominat, seu non cognoverit, seu hominis famæ pepercerit. Ut vidimus, quando Religiosis Mendicantibus objectum fuerat, Christum in loculis aliquid pecuniæ reservasse, reposuerunt, hoc eum per indulgentiam erga debiles feciſſe. Girardus Abbavillanus hanc propositionem appellabat errorem noxium, illam indulgentiam cum summa Christi perfectione non cohærere afferens. S. Bonaventura respondet per verba S. Augustini: Christus habebat crumenam, & sanctarum mulierum obsequia admittebat. Tum venit S. Paulus, qui ejusmodi subsidium recusabat. Num igitur perfectius agebat quam Christus? Contra Christi ratio agendi sublimior erat, quia charitati plus dabat. Sciebat Paulum talibus auxiliis non usurum: ac ne damnaret illos, qui ea quærerent, debilibus eadem accipiendi exemplum præbere ipse voluit.

Vading. 263. n. 6. Bonav. opusc. to. p. 395. edit. Paris. 1647.

Aug. serm. 3. in p. 103. n. 11.

p. 400.

Girardus etiam dicebat: Blasphemia est negare, Christum esse in qualibet re imitandum præsertim tendentibus ad perfectionem. S. Bonaventura reponit: Ergo imperfectus nuncupabitur S. Paulus, quod sequi se fœminas passus non sit, quæ victum ipsi subministrarent; imperfectus S. Joannes Baptista, quod vitam duxerit in solitudine, vinumque nunquam biberit: imperfectio vocabitur esse arbi-

arbitrum inter fratres de hæreditate di- Sæcul. XIII.
sceptantes; imperfectio non relinquere A.C. 1269.
loculos suos in manibus infidi œconomi. Nempe quamvis Christus omnis perfectionis norma sit, non quivis tamen Christianus ad omnes ejus actiones singulares se conformare debet. In nostris viribus non est potentiam illius sapientiamque imitari patrando miracula, & arcana mentium detegendo. Non omnium est imitari ejus facta, quæ summam authoritatem postulabant; ut venditores e templo ejicere; Pontifices vehementibus verbis perstringere; remittendo peccata & Sacramenta impertiendo functiones sacerdotii exercere. Quidam imitari debent, quæ per indulgentiam erga infirmitatem nostram fecit, abscondens se, cum peteretur insidiis, & suum Patrem, ut cruciatus ab ipso averteret, orans. Aliis demum sequenda sunt perfectionis exempla, quæ per inopiam & virginitatem suam, transigendo noctes precibus, & in mortem pro inimicis suis se tradendo præbuit.

Girardus perhibebat, perfectionem, & imperfectionem, sibi opponi sicut virtutem ac vitium, sanitatem & morbum. S. Bonaventura id negans, Imperfectio, de qua hic agitur, inquit, non est malum, sed minus duntaxat bonum, veluti matrimonium cum perfecta continentia col-

Sæcul. XIII. A.C. 1269.

latum: Et perfectio consistit in exercitatione non modo virtutum præceptarum, verum etiam operum gratuitorum, & in patientia tam magna, ut ærumnas amet etiam. Hæc autem perfectio major est in illo, qui se voto, ut ad eam per omnem vitam suam aspiret, consulto astringit, sic Deo non fructus tantum sed arborem ipsam, scilicet voluntatis fundum, tribuens. Dantur in perfectione gradus: virginitas eminet præ viduitate: & perfectio diversa est pro ratione statuum: alia Præsuli, alia privato convenit. Antistes non suam solius, sed & gregis sui salutem procurare, jamque ut privatus, antequam illius curam suscipiat, esse perfectus debet, atque hoc oneris ob pericula ei annexa non nisi invitus accipere. E contrario quia Religiosus privatæ saluti suæ invigilat, vitiosi & imperfecti cupere hunc statum & amplecti possunt, ut in eo se purgent ac perficiant: cum tamen privatus homo etiam perfectissimus munus Præsulis cum decentia & sine arrogantia captare nequeat.

p. 402.

p. 404.

Tum S. Bonaventura Girardo Abbavillano respondet de insectationis mortisque fuga, quam hic Doctor maximopere laudabat tanquam actionem viris sanctissimis perfectissimisque dignam. Hujus vero disputationis occasio fuisse videtur

p. 396.

agendi

agendi ratio S. Franciſci ac primorum ejus diſcipulorum, qui nimis ardenter apud ethnicos necem quæſierant, ut Martyres Marocenſes Septanique & ipſe Sanctus in obſidione Peluſii anno 1219. Quapropter S. Bonaventura bene probat, Chriſtianæ perfectionis eſſe per mortem Deo conjungi cupere; atque Chriſtum ſe occulentem non timuiſſe illam ſed vitaſſe, ut imbecilles indulgentia exemploque ſuo purgaret, ac ſolaretur. At S. Doctor quantum mihi quidem videtur, nimium dicit, dum contra regulas bonæ antiquitatis aſſerit, perfectionis eſſe ultro ſe morti exponere: & quæ de quibusdam Apoſtolis atque Martyribus affert, exempla indicant, eum falſis deceptum actis fuiſſe.

Girardus abſtinentiam & jejunium imperfectis tantummodo convenire dicebat temperare gulæ neſcientibus. Abutebatur etiam quodam Pauli loco de deceptoribus, qui noviſſimis venturi temporibus, & conjugium ciborumque a Deo productorum uſum interdicturi eſſent. At S. Bonaventura hanc vaticinationem ad Manichæos attinere, abſtinentiamque ac jejunium exercitia perfectionis eſſe generatim ac perbene oſtendit.

Dein ad paupertatem progreſſus affirmat perfectiſſimam conſiſtere in abdicatione omnis dominii bonorum temporalium

Sæcul. XIII. A.C. 1269.

Sup. lib. 78. §. 25. 44. 27.

p. 405.

Sup. lib. 7. §. 36. 40.

p. 411.

p. 410.

1. *Tim.* 4.

p. 417.

Sæcul. XIII. A. C. 1269.

lium tam communium quam privatorum, nec nisi simplicem eorum usum ad vitam plane necessarium admittere. Hoc erat systema Religiosorum Mendicantium. Quod ut stabiliat, prius paupertatis genus primitivam Christianorum Ecclesiam Hierosolymis omnia bona sua communiter possidentium, alterum Apostolos esse amplexos perhibet, pro certo sumens, sed non demonstrans, eos non ut reliquos ex his bonis communibus victitasse.

p. 422 B. p. 418. Servatorem ipsum mendicasse ut probet, S. Bernardum citat, quem dixisse refert, Christum duodecim annos natum insciis parentibus Hierosolymæ manentem triduo victum ostiatim quæsivisse. Hic autem locus non est S. Bernardi, sed Eredi Abbatis Rievallensis, qui solum per conjecturam inquit: Quid dicam, Domine? An, ut omnes humanæ naturæ miserias susciperes, ostiatim stipem petebas?

to. 2. oper. S. Bern. p. 579. n. 6. edit. 1690.

p. 425. 437. Girardus asseverabat majoris esse perfectionis patrimonio carentem vivere de bonis Ecclesiasticis, quam omnino nihil possidere. S. Bonaventura concedit, ea posse teneri salva perfectione, & administrantibus tuenda esse: at semper contendit esse tutius perfectiusque possidere nihil. Extollit paupertatis integræ utilitates præsertim ad exponendum Evangelium, cujus doctrina credibilior sit & acce-

p. 427.

432.

acceptior ſuos præcones omnia bona temporalia prorſus aſpernari cernentibus. Sæcul. XIII. A.C. 1269.

438. Præterea Girardus ad Fratres Minores, Aſſeritis, ajebat, vos uſum quidem rerum complurium, nullius tamen dominium habere. Sed, ut nemo non videt, hæc opinio ridicula eſt in rebus uſu pereuntibus, qui quod conſequitur, ab earum dominio ſeparari nequit. Cujusnam igitur eſt pecunia, quam poſtulatis, & ex omni parte congeritis, ſi nihil communiter habetis? S. Bonaventura reponit: Ad Papam & Romanam Eccleſiam pertinent, quæcunque nobis dantur: nos duntaxat ſimplicem eorum uſum habemus. Sumus reſpectu Papæ, quod de jure Romano filii familias ſunt, qui nullam rem poſſunt accipere, cujus dominium non protinus ipſorum pater obtineat. Traditum nobis donum eſt inſtar illius, quod monacho privato affertur: qualiscunque ſit donantis intentio, muneris dominium ad cœnobium & Abbatis arbitrium tranſit. Præterea ſecundum regulas juris nemo quidquam acquirere poteſt, niſi velit: Fratres autem Minores nullam acquirendi intentionem habent: eorum voluntas prorſus contraria eſt: ita licet tangant, quod accipiunt, nec dominium ejus nec poſſeſſionem obtinent: id quod Papæ cunctis humanis legi-

Sæcul. XIII. A.C. 1269.

legibus ſuperioris authoritate confirmatur. Jurisconſultis relinquo judicandum, an ille, qui ambabus manibus, quod ſibi offertur, capit, acquirendi animum, quidquid dicatur, non habeat.

p. 439.

S. Bonaventura pergit: Pecuniam Fratribus noſtris victus cauſa donatam ad familiam vel Ordinem non pertinere certum eſt: quia regula vetat, nequis eorum aliquam aut per ſe aut per alium interpoſitum accipiat. Quapropter, qui hanc pecuniam illorum bono adhibet, non id facit ipſorum nomine, ſed tanquam procurator donantis, cui ſemper eſt propria, donec ſic impendatur, id quod etiam juris civilis authoritate fulcit. Porro S. Franciſcus, ſubjicit S. Doctor, ſingulariter prohibuit, ne pecuniam poſſideremus, quippe quæ præ bonis reliquis tentare, occupare, irretire etiam perfectos queat. Prope finem hujus opuſculi dicit, Fratres Minores annos ſexaginta & amplius de magna ſtipis copia vivere: quod indicat hunc annum 1269. aut ſequentem: nam prima regulæ approbatio facta eſt an. 1210. Denique fatetur, majoris perfectionis fore exemplo S. Pauli inter ſacras conciones laborare manibus, alendi ſe ac inſuper ſtipem dandi gratia. Sed debilitatem corporum & tarditatem ingeniorum noſtri ſeculi id non admittere dicit.

p. 443. E. Sup. lib. 76. §. 54.

p. 446. F.

§. III.

Sæcul. XIII.
A.C 1269.

§. III.

S. Bonaventuræ opera.

Sanctus Bonaventura plura alia ſcripta compoſuit, ut defenderet Ordinem ſuum, regulamque S. Franciſci exponeret: ac generatim ut loquar, operum ingentem numerum, tractatus Philoſophiæ atque Theologiæ, commentarios in ſacras litteras, conciones, & libros de pietate reliquit. Hi ultimi ſunt illi, in quibus potiſſimum excelluit, habeturque inter ſui temporis Doctores ſpiritualis vitæ Magiſter ſummus, maxime movens animos, & unctione pleniſſimus. Inter ejus opera de pietate meditationes vitæ Chriſti ſingularem merentur attentionem. Inſcripſit eas cuidam Religioſæ ſecundi Ordinis S. Franciſci, nempe Virginum S. Claræ, ac exemplo utriusque illam hortatur ad meditandam aſſidue Chriſti vitam. Dein adjunxit: Ne crede, nos omnia ejus facta dictave meditari poſſe, aut ſcripta eſſe omnia! Sed quo magis actiones ejus te afficiant, has referam, quaſi eſſent ita factæ, ut earum ſpecies animo repræſentari poſſint: ſic enim ipſum codicem ſacrum meditari poſſumus, dummodo nihil addamus veritati, vel fidei, aut bonis moribus contrarium.

Vading. ſcript. Ord. Min. p. 62. 66.

Proam.

Supra

Sæul. XIII. Ac. C. 1269.

Supra hoc fundamentum quasi pictas totius Christi vitæ tabulas erexit, divini codicis narrationibus addens circumstantias: quas idoneas putabat, & interdum desumpserat e scriptis incerti authoris ac dubiæ fidei, quæ tum pro veris habebantur, aut ex oraculis parum certis. Exempli gratia Christi ortum ita

c. 7. describsit. Cum veniisset hora, nempe diei Dominicæ seu potius mediæ noctis, Virgo surgens ad proximam columnam adnititur: sed S. Josephus sedet, dolens forsitan, quod convenientia præparare nequeat. Dein se allevat, fœnum e præsepi depromptum sternit ad pedes Virginis, & alio se vertit. Mox Dei filius relicto matris dolorem nullum patientis utero, in fœno ejus pedibus astrato jacet. Quæ se inclinans petitum tenero amplexu filium genibus imponit suis, suo lacte affatim manante lavat, & sui capitis velo involutum in præsepi collocat. Bos & asinus genibus humi, rictibus supra præsepe positis infantem, quasi noscerent, suo afflatu fovent. Genitrix Deo gratias agens cum Josepho supplex adorat filium. S. Bonaventura dicit, ista sibi articulatim sanctum quendam Ordinis sui Religiosum, huic SS. Virginem ipsam significasse.

Totum opus reliquum eodem modo scriptum est: atque similibus picturis au-

tho

thor addidit dialogos ac sermones rebus accommodatos. Quam methodum secuti postea sunt Ascetæ reliqui, dum meditandi materias subministrabant: timendumque, ne illa imbecillibus ingeniis præbuerit occasionem pro arcanis divinitus cognitis habendi ea, quæ magnopere sibi persuaserant. Fortassis etiam hoc exemplum gesta Sanctorum scribentibus authoritatem dedit ad excogitanda audacius facta vel saltem circumstantias, quas nutriendæ pietati habiles censebant. Sæcul. XIII. A.C. 1269.

§. IV.

Palæologi ratio agendi de Ecclesia Græca Latinæ reconciliandæ.

Post Conradini cladem Rex Carolus Andegavienſis nec in Sicilia, nec in Italia hostes, quos impugnaret, habuit. Submisere se omnes usque ad Saracenos Nuceriæ, qui diuturnam passi obsidionem tandem annonæ penuria victoris arbitrio se permittere cogebantur 27. Julii an. 1269. Venerunt collis laqueo circumdatis, & in genua provoluti ejus mancipia se fatebantur solam vitæ gratiam flagitantes: qua obtenta in loca varia dispergebantur, ne in posterum moliri quidpiam possent. Aliqui sanam amplexi fidem salutis fonte aspersi sunt. At *G. de Pod. Laur. c. 49. Mon. Pad. p. 625.*

Sæcul. XIII. A.C. 1269.

Christiani rebelles inter illos inventi jubente Carolo necabantur.

Ita firmato sibi solio Rex consilia sua longius porrigens, Constantinopolim capere, vel saltem jura sibi an. 1267. ab Imperatore Balduino tradita persequi cogitabat. Utramque rem vehementer timebat Imperator Michael Palæologus, se Caroli viribus terra marique inferiorem, ac Brundusio Dyrrachium transeundi facilitatem videns. Igitur sæpe ad Papam tabellarios misit, sed clanculum, eo quod aditus custodirentur: & nonnunquam Fratrum Mendicantium operâ utebatur. Blandis in epistolis suis Papam obsecrabat, ut ne Carolum pateretur bellum inferre Græcis, qui Latinorum instar & Christiani essent, & Papam agnoscerent Patrem spiritualem ac primum Episcoporum. Promittebat sese facturum, ut cesset schisma, vetus Ecclesiæ unitas redeat, eaque in unicum coalescat gregem: addebatque, ab eo tempore, quo Græci Constantinopolim rursus intrassent, huic consilio nihil obstare amplius. Simul Cardinalibus pecunias mittebat, ut eos cæterosque, qui Papam ipsi benevolum reddere possent, suis partibus adjungeret.

Ducange hist. C. P. lib. 5. n. 40.

Pachym. lib. 5. c. 8.

ap. Rayn. 1270. n. 3.

Etiam Regi S. Ludovico per Oratores ac epistolas significavit, se suumque Clerum ac populum ad Ecclesiæ Romanæ

næ ſinum revertendi cupidos ſæpe ad ſacram Sedem nuncios miſiſſe; ſed hac in re ſibi non eſſe ſatisfactum. Idcirco Regem, ut hujus arbitrum ageret, per tribunal Chriſti, extremumque judicium obteſtabatur, ſe, quod ille ſtatueret, ſanctiſſime obſervaturum ſpondens. Rex ſchiſmaticorum reconciliationem ardenter deſiderans, ſed optime gnarus ſuum non eſſe, de hac mere ſpirituali materia pronunciare, Palæologo reſpondit, ſe hujus arbitrium haud poſſe ſuſcipere, ſed eam libentiſſime ſummo Pontifici commendaturum, ad quem pertineret ſententiam dicere. Hoc fine ad Romanam curiam duos Fratres Minores Euſtachium Atrebatenſem, & Lambertum Culturanum miſit cum epiſtolis ad Cardinales Eccleſiam Romanam vacante ſede adminiſtrantes, quibus illi propoſitionem Imperatoris Græci, ac Regis reſponſum expoſuere. Sæcul. XIII. A.C.1269.

S. Ludovicus ab aliquod annis commercium cum Rege Tunetano habebat, ſæpiusque Nuncios alter alteri miſerant. Nam plures homines fide digni edocebant Regem, hunc Principem Muſulmannum ad Chriſtianam religionem magna voluntatis inclinatione propenſum, ſi nanciſceretur honeſtam occaſionem, quæ a ſubditis tutum redderet, ad illam libentiſſime tranſiturum eſſe. Id ferven- *Ducheſne to. 5. p. 461.*

Sæcul. XIII. A.C. 1270.

ter cupiens Ludovicus dicebat interdum: O si talem filium de sacro fonte susciperem! Hæc spe Occitaniam inferiorem tanquam suas terras recogniturus adire voluit, ut illic, si Deus Regem Tunetanum ad accipiendum baptisma permoveret, bono huic operi promovendo esset propior. Die S. Dionysii 9 Octobris an. 1269. in ipso Sancti templo solenniter aqua vitali ablui curabat Judæum notissimum, cujus patrem lustricum agebat. Rex Tunetanus ad eum rursus Legatos miserat: quibus huic ritui adesse jussis studio religionis flagrans, Meo nomine, ajebat, Regi Domino vestro dicite, me adeo ipsi salutem animæ precari, ut apud Saracenos in carcere ac tenebris reliquos dies meos transigere vellem, dummodo ipse cum gente sua Christo bona se fide adjungeret.

Cardinales, quorum supra memini, duobus Fratribus, quos S. Ludovicus Græcorum causa miserat, auditis ei per epistolam Viterbii 15 Maji an. 1270. data tam responderunt, se rem Cardinali Episcopo Albanensi, Romano in Francia Legato commisisse, monueruntque Regem, ne fideret Græcorum artibus, similia sæpe solummodo temporis ducendi causa proponentium. Eodem die Cardinales scripsere Legato facientes copiam cum Palæologo negotium per postremos duos Pon-

Rayn. 1270. n. 2.

Pontifices Maximos cœptum ita resumendi, ut a conditionibus, quas hi Græcis imposuissent, non recederet. Is Legatus erat Radulphus Caprerius antea Episcopus Ebroicensis, cui Papa Clemens præter crucem manu sua traditam, legationem ad militiæ sacræ copias detulerat. Sed ne injunctum sibi munus Papæ obitu antiquatum esse diceret, Cardinales hoc ei confirmarunt: ac reapse S. Ludovicum in itinere comitatus est. Sæcul.XIII. A.C.1270. *Rayn.* 1266. *n.* 7.

§. V.

Beata Isabella Galliæ Princeps.

Sanctus Rex ante suum abitum aderat exequiis Isabellæ unicæ sororis suæ, tali fratre dignissimæ. Cum ab ineunte ætate statuisset se consecrare Deo, oblatum sibi cum Conrado Imperatoris Friderici filio connubium renuit quamvis a Rege fratre suo ipsoque Papa Innocentio IV. sibi suasum. Maximam temporis sui partem precibus & codici sacro latine legendo dabat, hujus linguæ adeo perita, ut sæpe litteras a sacelli sui Præfectis pro more seculi nomine suo scriptas corrigeret. Crebro colebat jejunium generatim tam modico contenta cibo, ut mirum esset eam posse illo vivere. Quotidie sacra confessione perpurgabat animum, frequenter in se flagris *Vie par Agnes p.* 160. *v. Castelain not. martyr. IV. p.* 172. *p.* 171.

Sæcul. XIII. A. C. 1270.

fæviebat, & altum tenebat ſilentium. Pauperum multitudini, quam alebat, ſuis ſerviebat manibus: ſtipem immenſam erogabat.

p. 172.

p. 173.

Piam inſtitutionem aliquam cum decreviſſet, hærebat dubia, domumne hoſpitalem, an cœnobium Ordinis S. Claræ conſtrueret ac dotaret. Itaque Henricum Varium Eccleſiæ Pariſinæ Cancellarium, tunc conſcientiæ ſuæ arbitrum clam conſuluit, quo ſuaſore prope Pariſios ad occidentem monaſterium Longo-Campanum condidit, cujus clauſtra Virgines Deo ſacræ in vigilia S. Joannis 23 Junii an. 1261. intrarunt: & regulam eis traditam inter alios Ordinis Doctores S. Bonaventura examinaverat. Huic Iſabella domui nomen *Humilitatis Dominæ Noſtræ* dedit: huic ipſa ſe incluſit, ſed absque voto, ac veſte religioſa: ibique ſanctam mortem oppetiit 22. Febr. an. Chriſti 1269. ſcilicet 1270. ante Paſcha, ætatis ſuæ 45. Intra cœnobium humari voluerat: & Rex Ludovicus frater ejus ad portam ipſe aſtitit, nequis intro iret præter perſonas neceſſarias. Brevem ſermonem unctione plenum habuit, ut dolentes jacturam Virgines ſolaretur. Iſabellæ vitam Agnes Harcurtina tertia monaſterii Antiſtita ſcripſit rogante Siciliæ Rege Carolo ſanctæ Principis fratre, apud quam illa annos non pau-

Homer. Acad. p. 125.

Dubreuil Antiq. p. 1256.

Lacheſe lib. 9. n. 6.

Gall. Chr. to. 4. p. 575.

paucos egerat. Quadraginta miracula post Deum ejus precibus adscripta refert. Anno 1521 Papa Leo X permisit, ut eam Longo-Campenses tanquam Beatam colerent. Sæcul.XIII. A.C.1270.

§. VI.

S. Ludovici profectio.

Eodem mense Februario an. 1270 Rex Ludovicus testamentum suum composuit potissimum ex piis legatis. Ibi libros suos donat Parisiensibus Dominicanis Fratribusque Minoribus, Abbatiæ Regiomontanæ ac Dominicanis Compendiensibus. Certas pecuniæ summas tribuit ingenti cœnobiorum domuumque hospitalium numero: & inter monachos Parisinos nominat Carmelitas, Guilielminos Montis Rubri, ac Eremitas S. Augustini. Largitur etiam pauperibus scholasticis ad S. Thomam, in Lupara, ad S. Honorium, & apud Juvenes Bonos, sic per antiphrasim dictos, revera prodigos. In egena possessionum suarum templa distribuit, unde ornamenta & calices emant. Jubet pensiones porro exsolvi hominibus sacro baptismate tinctis, quos e transmarinis advexissent locis; nimirum ethnicis, quos Christo adjungi curaverat. Testamenti hujus executionem demandat Stephano Episcopo Parisino, Philippo electo Episcopo Ebroicensi, Abbatibus ad S. Dionysium & Regiomontano ac duo-

Joinv. observ. p. 401. Duchesne p. 438. Duboulai p. 392.

Sæcul. XIII. A.C. 1270.

bus e ſuis Clericis. Actum menſe Februario an. 1269 nempe 1270 ante Paſcha. Menſe Martio ſequente Rex cuncta beneficia regiæ poſſeſſorum nominationi obnoxia, quæ per abſentiæ ſuæ tempus intra juris regii dies, aut alio modo vacarent, conferendi copiam Epiſcopo Pariſino fecit ea lege, ut hic Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarium, Priorem Dominicanorum, & Franciſcanorum Guardianum, ut vocant, in conſilium adhiberet. Regni denique adminiſtratores Rex Matthæum Abbatem ad S. Dionyſium, & Simonem Claromontanum Neellæ Dominum deſignavit.

Gall. Chr. to. 1. p. 448.

Labbe Meslan. p. 662.

Duchesne p. 384.

Die Veneris 14 Martii ad S. Dionyſii templum delatus, ibi crumenam Zonariam & baculum viatorium longiorem e manu Legati Radulphi Epiſcopi Albanenſis, & flammeum Galliæ vexillum de altari accepit. Tum monaſterii ſenaculum ingreſſus in ultimo ſex graduum ad ſellam Abbatis conſidebat, ſeque ac liberos ſuos in monachorum preces commendavit. Poſtero die ſabbati e palatio ſuo ad Pariſinum Dominæ Noſtræ templum nudis ibat pedibus, eam illic ultimo ſalutatum. Comites habebat filium ſuum Petrum Alenconii Comitem pariter nudatis incedentem pedibus, filium natu maximum Philippum, Robertum Arteſiæ Comitem nepotem ſuum, pluresque alios.

Iter

Iter ingreſſus, cum Paſcha hoc anno 1270 in decimum tertium Aprilis incidens Cluniaci egiſſet, Lugduno, Vienna, & Belicadro ad portum Aquimortanum, qui locus ad conveniendum edictus fuerat, pervenit. Pentecoſtes die, qui primus Junii erat, Fani, S. Ægydii celebrato, Genuenſium naves ſe cum ſuis transvecturas usque ad menſis exitum expectavit. Sæcul. XIII. A.C. 1270.

Priusquam diſcederet, Abbati ad S. Dionyſium ac Neellæ Domino ſcripſit, ut impia in Deum cælitesque verba cæteraque mali exempli crimina & lupanaria tollerent. Dabat 25 Junii. Die Martis 1 Julii, cum adfuiſſet ſacro, prima luce Aquis-mortuis navem conſcendit. Poſtridie vela dabantur: eratque proſpera primum navigatio: ſed nocte Dominicam inter ac lunæ diem horribilis orta tempeſtas eſt. Igitur mane quatuor liturgiæ canebantur, prima de B. Virgine, altera de Angelis, tertia de Spiritu Sancto, quarta pro vita functis. Die Martis 8 Julii venerunt in conſpectum Calaris Sardiniæ urbis primariæ, ubi aquam dulcem, quæ deerat, & cibaria, ſed ægerrime maximoque pretio ſibi comparabant, quia urbs ad Piſanos Genuenſium inimicos pertinebat. Galli ſtimulabant Regem, ut diruendo locum pœnas de illis ſumeret. At ipſe negabat ſe veniſſe arma Chriſtianis illatum. *Spicil. to. 2. p. 548.* *Duchesne p. 385.* *Spic. p. 550.* *Duc. p. 386.*

Sæcul XIII. A.C. 1270.

§. VII.

Molitio contra Tunetum.

In Calaris portum convenit classis sacrorum pugilum, quorum præcipui post Regem S. Ludovicum erant gener ejus Rex Navarræ, Comes Pictavienſis frater illius, Comes Flandriæ, ac Joannes Britanniæ Comitis filius natu major. Die ſabbati 12 Julii Legatus & Barones congregabantur ad Regem, ut inirent conſilium, audirentque, ubi ethnicos impugnarent. Plurimi cenſebant recta Palæſtinam vel Ægyptum petendam eſſe. At p. 461. Rex ſe cogitare primum ire Tunetum dixit: quod inopinatum fuit aſſidentibus. Regis rationes erant, prima quidem Regem Tunetanum Chriſto adjungendi ſpes in facta, ut vidimus, invitatione nitens; altera deſiderium Chriſtianæ fidei revocandæ in illam Africæ oram, in qua olim hæc adeo floruiſſet. Itaque S. Ludovicus reputabat, ſi numeroſus iſte, quem duceret, exercitus Tunetanam ſubito in oram exſcenderet, hanc optimam, quam ejus Rex nanciſci poſſet, occaſionem fore accipiendi baptiſmum ſub obtentu ſervandæ vitæ ſuæ ac illorum, qui Chriſtiani cum ipſo fieri, ac regnum ipſius ſalvum præſtare vellent. Erant præterea, qui Ludovico exponerent, ſi Rex Tunetanus

tanus Christianam fidem amplecti nollet, urbem totamque adeo regionem facillime in potestatem redigi posse. Addebant: Urbs auro, argento, & opibus immensis affluit, quippe a longo tempore non capta: &, quod consequitur, Christianus exercitus magnas inde capiet utilitates ad recuperandam Palæstinam. Hanc ut infestam Sultanus reddat, ex illa homines, equos, arma trahit: exsiccandus est fons. Sed quod hanc molitionem forsitan maxime omnium rerum persuasit, erat emolumentum Regis Siciliæ Caroli, qui in dies expectabatur: nam Rex Tunetanus tributum ei debitum pendere omittebat. Sæcul. XIII. A. C. 1270.

Guiart. p. 165. Duchesne p. 388.

Statuto molimine Christianus exercitus e Calaris portu die Martis 15 Julii provectus die Jovis sequente attigit portum Tunetanum prope ruinas antiquæ Carthaginis. Exscensione repugnante nemine facta Regis copiæ castra metatæ plures cum Saracenis velitationes conserebant, cum advecti duo Catalauni Equites Regi significarunt, Regem Tunetanum omnes Christianos milites mercede conductos jussisse comprehendi, dixisseque, se singulos plexurum capite, si Christianus exercitus Tunetum usque procederet. Sic affectus ad sanam religionem hic Princeps erat. Interim morbi, qui copias Gallicas jam ante exscensionem

Spicil. p. 550. 552.

Duchesne p. 389.

Sæcul. XIII. A.C. 1270.

sionem invaserant, quotidie augebantur. Erant potissimum febres acutæ, & dysenteria, quas victus noxius, aquæ dulcis penuria, intemperies aëris, climatis calor, & anni tempus creaverant. Joannes Tristanus regiis e filiis Niverini Comes 3 Aug. obiit, eumque Ludovicus Regiomontii humari volebat, non in S. Dionysii æde, in qua Reges soli sepelirentur.

p. 391.

Spicil. p. 559 Legatus Radulphus Caprerius die Jovis septimo ejusdem mensis animam efflavit. Quendam Fratrem Ordinis Prædicatorum suum in locum substituerat: sed plures Jurisconsulti castrenses dubitabant, an id faciendi potestatem habuerit. Philippus Regis filius natu maximus quartana, Rex ipse alvi profluvio, deinde febri continua laborabat.

Pachym. l. 5. c. 9. Jam pessime se habebat, cum Michaëlis Palæologi Legatis aures præbuit. Erant duo viri ecclesiastici, suis dignitatibus, meritisque propriis spectabiles, Joannes Veccus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylax, & Constantinus Meliteniota imperatorii Cleri Archidiaconus. Conscensa Valonæ navi ad Siciliæ promontorium Pachynum advecti Regem Franciæ ante Tunetum versari audierant. Eo delatos Rex quantumvis æger ad alloquium admisit, traditasque Imperatoris litteras legit, quibus hic orabat, ut ille Regem Siciliæ fratrem suum mitigaret,

ret, & ab inferendo Græcis bello abduceret. Ludovicus ſuum pacis amorem teſtificatus, ſe, ſi viveret, pro viribus id acturum ſpondebat, rogans, ut interea quieti expectarent. At poſtridie ad Deum exceſſit: & Legati re infecta abierunt. Sæcul.XIII. A.C.1270.

§. VIII.

S. Ludovicus filio ſuo ſalutaria dat monita.

Rex S. Ludovicus ſe morti proximum videns Philippo filio ſuo natu maximo monita præbuit ſua manu ſcripta his verbis: Dilecte fili! Ante omnia tibi commendo, ut Deum toto pectore ames: quod ad ſalutem eſt neceſſarium. Cave, nequid agas, quod ei diſpliceat: cave noxam mortiferam! potius omne tormenti genus tibi eſſet ſufferendum. Siquid adverſi tibi Deus immittit, æquo fer animo, & gratias age: cogita te id meritum, ac tibi bene ceſſurum eſſe! Si rem proſperam tibi evenire jubet, gratias ei palam dicito, ne pejor ex illa per arrogantiam vel alio modo fias: nec enim Dei dona contra ipſum vertenda ſunt. Confitere crebro, ac delige conſcientiæ arbitros probos doctosque, qui te, quid agendum tibi aut vitandum ſit, edocere ſciant: eisque & amicis tuis te libere carpendi

Joinville p. 126. Obſerv. p. 398. Duchesne. p. 391.

Sæcul. XIII. A.C. 1270.

pendi monendique copiam fac! Divinis pius adesto, nec nugare, vel oculos huc illuc conjice: sed ore ac mente precare Deum, præsertim sub sacrificio post consecrationem!

Animum mitem & ad commiserationem propensum habe, ac pauperes pro viribus juva! Siquid grave tibi accidit, mox Patri spirituali vel viro probato indica! & facilius perferes. Ad societatem tuam solos frugi homines seu Religiosos, seu profanos admitte, ac sæpe cum illis loquere! Audi libenter sermones sacros tam privatos quam publicos: precibus & indulgentiis stude! Ama omne bonum, & omne malum in omnibus oderis! Nemo ausit te præsente verbum, quod ad peccatum incitet, loqui, vel alienam famam lædere: nec coram te impias in Deum ac Superos voces mitti patere, quin statim punias! Frequenter Deo pro bonis omnibus in te collatis gratias habe, ita ut accipere plura merearis! In jure dicundo rigidus, ac sinceræ in subditos fidei esto: nec ad dextram vel sinistram deflecte partem! Egentioris causam fove! & siquam habet tuis contrariam commodis, tibi potius quam illi deesto, donec veritatem scias: ita facies, ut qui a consiliis tibi erunt, æquitatem observent fidentius. Siquid alienum per te aut per tuos administros retines, idque constet, sine

ne mora reſtitue: ſi dubium eſt, prompte ac ſedulo declarandum cura! Sæcul.XIII. A.C.1270.

Omnes intende nervos, ut ſubditi, præſertim Religioſi & Clerus vivant in pace & juſtitia. Ut ferunt, Regi Philippo avo meo quidam e conſiliariis ſuis aliquando dixit, Eccleſiam ipſius jura & jurisdictionem ſæpius minuere. Reſpondit ille, ſe id credere; cæterum factas ſibi a Deo gratias reputantem malle jus ſuum negligere, quam cum Eccleſia diſceptare. Ama igitur Clerum, fili mi, & pacem cum eo, quoad poteris, cole! Ama Religioſos, ac beneficiis pro viribus cumula, maxime illos, qui Deum plus honorant, fidemque ſanam exponunt, ac celebrant. Patri matrique tuæ amorem, reverentiamque debes ac obedientiam. De conſilio frugi hominum beneficia eccleſiaſtica viris idoneis dignisque & nullum habentibus confer! Bellum, præſertim contra Chriſtianos ſine magna deliberatione ne ſuſcipe: atque ſi capeſſendum eſt, Clerum & innocentes ab omni damno tuere! Bella & diſſidia, cumprimum poteris, ſeda, ut S. Martinus faciebat. Cura, ut bonos Magiſtratus ac Prætores habeas, & inquire crebro, quomodo illi & domeſtici tui ſeſe gerant! Peccata præcipue turpia indignaque juramenta & hæreſes tollere pro viribus conare! Vide, ut ſumptus familiæ tuæ cum ratio-

Sæcul. XIII. A.C. 1270.

ratione congruat, & intra modum maneat! Oro te, chare fili, ut, prior te si moriar, animæ meæ per preces ac sacrificia totius Galliæ suppetias ferri cures, tuorumque omnium bonorum operum partem mihi singularem tribuas. Denique fausti ad Deum precationibus, quascunque pater pro filio facere potest, te prosequor. Ille te ab omni malo servet incolumem, faciatque, ut suam semper voluntatem sequaris, & post hanc vitam perpetuo se simul laudemus! Amen.

Obs. Joinv. p. 400.

Similibus documentis Rex filiam suam Isabellam Navarræ Reginam imbuit. Repetiit eadem præcepta, insistens amori Dei usque adeo, ut diceret: Si scires, nullam te boni, quod faceres, mercedem, nullamque mali, quod committeres, pœnam manere, nihil tamen, quod nostro displiceret Domino, sed ea tantum, quæ huic placerent, deberes agere & solo quidem ejus amore. Commendabat illi obedientiam erga maritum; ut ne plures simul vestes aut gemmas quam pro dignitate sua haberet, sed saltem ex supervacaneis stipem spargeret; non nimium tempus aut curam sibi ornandæ impenderet; nec cultus modum excederet, sed potius illum in dies minueret.

§. IX.

Sæcul. XIII.
A.C. 1270.

§. IX.

S. Ludovicus moritur.

Ingraveſcente morbo Ludovicus Sacramenta ſummo pietatis ardore ſuſcepit etiamnum adeo ſibi præſens, ut, cum ſupremum inungeretur, pſalmorum verſiculos & Sanctorum nomina in litaniis recitaret. Imminente morte divinis tantum rebus ac propagandæ fidei ſtudio occupabatur, ita, ut nonniſi tenuiſſima voce ac ægerrime loquens aurem ad ſuum os admoventibus diceret: Per Deum, quæramus, quomodo Tuneto fides exponi queat! O! quis eo mitti poſſet? Et nominabat quendam Dominicanum ibi alias verſatum Regique Tunetano cognitum. Nocte mortem ſuam antecedente, Hieroſolymam, ajebat, ibimus. Quamvis eum vires paulatim deficerent, non ceſſabat compellare, quantum poterat, Sanctos illos, quibus erat addictiſſimus, præcipue SS. Dionyſium & Genovefam. Se proximum morti ſentiens in lectulo cineribus ſtrato collocari voluit, in quo decuſſatis ſupra pectus brachiis, oculis ad cœlum verſis ſpiritum Deo reddidit ſub horam tertiam pomeridianam die lunæ 25 Aug. anno Chriſti 1270, ætatis ſuæ 56, regiminis 44.

Duchesne p. 393. 463. Joinv. p. 128.

Duchesne p. 474.

Spicil. p. 559.

Sæcul. XIII. A C. 1270.

§. X.

Sacræ crucis exercitus redit.

Vix expiraverat, cum adveniens in castra Siciliæ Rex Carolus afflictas copias præsentia constantiaque sua erexit. S. Regis corpus in membra sectum, hæc in aquis cocta, separatæ carnes, ossa conservata sunt ex more illius seculi. Rex Carolus cor, viscera, & carnes petiit, ac postea in Abbatia Montis Regalis prope Panormum humari jussit. Ossa cistæ immissa sunt, in Galliam deferenda. Proceres omnes jurisjurandi religione fidelitatem suam novo Franciæ Regi Philippo obstrinxere, cui dein cognomen Audacis est additum: habebat annos viginti quinque, ac quindecim regnavit.

p. 464. 516.

Commissæ sunt denuo aliquot pugnæ, in quibus victores Galli Tunetum capere potuissent: sed satius esse putabant decem annorum inducias pangere, quæ 30 Octobris fiebant his conditionibus. Franciæ Regi ac Baronibus compensabuntur omnes sumptus itineris. Tuneti portus gratis patebit commercio, cum antea negotiatores decimam eorum, quæ advexerant, partem dependissent. Rex Tunetanus Regi Siciliæ tributum annuum, quod antecessores ejus tulerant, dabit. Cunctos Christianos e carcere ac servitu-

Duchesne p. 521.

522.

te

te dimittet, eisque liberum religionis exercitium concedet. Nempe Tuneti dabatur cœnobium Ord. S. Dominici, & magna Christianorum multitudo, qui Saracenorum mancipia erant, & in templa quotidie se congregabant. Rex autem omnes in vincula conjici jusserat comperto exercitus Gallici suas in terras adventu. Porro ita transactum est, ut Christianis deinceps in præcipuis regni Tunetani urbibus habitare, omnis generis bona etiam immobilia possidere, tributis excepto illo, quod Christiani libertate præditi solvere consuevissent, esse immunes, ibi templa, in quibus Evangelium palam explicaretur, condere, & baptismum accipere liceret iis, qui vellent.

Sæcul. XIII. A. C. 1270.

Spicil. to. 2. p. 562. to. 11. p. 560.

Eduardus Angliæ Regis filius natu major cum Edmundo fratre suo, numeroque nobilium pro terra sacra pugilum advenit, cum illa pacta vix jam confecta essent. Quæ gravissime ferens, ad Gallos, Num crucem induimus, ajebat, & huc convenimus, ut cum ethnicis pacisceremur? Absit longissime! Iter Hierosolymam apertum & facile nobis est. Illi reponebant: Haud possumus a pactione recedere: redeamus in Siciliam! & traducta hyeme Ptolemaidem ire poterimus. Displicuit Eduardo hæc sententia: nec particeps esse voluit pactionis aut ethnicorum pecuniæ, quam detestabilem reputabat:

Knyght. 1456.

Sæcul. XIII. A.C. 1270.

putabat : sed Gallis Principibus magno acceptis convivio, in suo se tentorio continebat. Sequi tamen eos in Siciliam, & hyemem ibi agere cogebatur.

Duchesne p. 522. Spicil. t. 2. p. 565.

Classis Gallica die Veneris 21 Novembris Drepanum attigit, ubi tempestate horribili concussa naves plurimas, ac vectores quater mille circiter amisit. Sic puniisse Deus neglectum in Palæstinam iter visus est Anglis. Porro novus Rex Philippus in Franciam reverti statuerat, quia morbi copias attenuaverant nimis, quam ut eas in novam expeditionem educeret; ac Legatus, qui easdem in terram sacram comitaretur, deerat: maxime vero illum, ut id consilium caperet, impulerant litterae amborum regni Administratorum Matthæi Abbatis ad S. Dionysium & Simonis Neellæ Domini reditum urgentium. Die Martis 25 Novembris D. Catharinæ sacro Reges ac Proceres, qui Drepani erant, congregati jurejurando se adstringebant, ut post triennium die S. Mariæ Magdalenæ, scilicet 22 Julii an. 1274 ad petendam terram sacram parati eodem in portu comparerent, exceptis illis, qui haberent excusationem a Rege Franciæ approbatam. Hunc Principem quindecim porro dies hærere Drepani cogebat morbus Theobaldi Navarræ Regis affinis sui, qui die lunæ 4 Decembris vitam ibi posuit. Philippus suum iter ter-

ra

ra prosequens transmisso Messanæ freto Italiam peragrabat. Sæcul.XIII. A.C.1270.

§. XI.

Errores Parisiis condemnati.

Parisiis multos errores, quos aliqui Philosophiæ ac Theologiæ Professores in suis docebant scholis, damnavit Episcopus Stephanus Temperius. Illi sic sonabant. Intelligentia est eadem cunctis in hominibus. Voluntas humana agit ex necessitate. Quæcunque hic inferius fiunt, cælestibus e corporibus necessario pendent. Mundus semper, primus homo nunquam fuit. Anima, cum sit forma hominis, una cum corpore corrumpitur. Anima a corpore disjuncta ignis corporei vim non sentit. Liberum arbitrium est animi proprietas, quæ non agit, sed patitur, & ab objecta sibi re desiderabili non potest non moveri. Deus haud cognoscit singularia, immo nihil præterquam seipsum. Actiones humanas non regit divina providentia. Deus a morte & corruptione tueri nequit, quod huic aut illi est obnoxium. Episcopus, cum Doctores multos convocasset, de eorum consilio cunctos errores illos condemnavit die Mercurii ante festum S. Nicolai nempe tertio Decembris anno 1270. Hic cernimus, qua de causa S. Thomas cæ-

Duboulai to.3.p.93.7. Bibl. pp. Paris. to.4. p.1143.

Sæcul. XIII. A.C. 1271.

terique illius temporis Doctores multas quæstiones agitaverint, quæ hodie non viderentur dignæ, ut afferrentur in medium.

§. XII.

Regis Philippi reditus.

Duch. p. 524. Rex Franciæ Philippus in suo per Italiam itinere Romam delatus ad Apostolorum sepulchra pietatem explevit suam. Inde Viterbium venit, ubi Romana curia seu Cardinales vacante Sede sacra residebant. Cumque de cooptando capite non consentirent, urbis Prætor, ut eos ad electionem compelleret, cuidam palatio tenebat inclusos. Rex magna illos veneratione invisit, ac per oscu-

Spicil. 2. p. 571. lum pacis salutavit singulos. Comites habebat Regem Siciliæ suum patruum, multosque Proceres. Omnes Cardinalibus instabant, ut Ecclesiæ celeriter pastorem darent; sic ad duos Galliæ Rectores 14 Martii an. 1271 Rex Philippus scripsit. Qui continuato per Hetruriam, Lombardiamque, ac Sabaudiam itinere Parisios prospere advenit.

Tunc, cum Viterbii esset, etiam Henricus Angliæ Regis nepos, Richardique electi Romanorum Regis filius ibi agebat. Eodem tempore aderat Guido Montefortius filius Simonis Leceſtriæ Comitis in civili

civili bello, suasore, ut ajebant, Henrico necati. Hunc in templo S. Laurentii divino præsentem sacrificio Guido vindictam spirans ex improviso pugionis ictibus peremit nec loci vel fontibus præbentis perfugium, nec temporis sacri (vernum jejunium tunc colebatur) nec crucis, quam alter peregrinantium more gerebat; rationem ducens. Dein ad Hetruriæ Comitem socerum confugit suum. At illa res consecutiones habuit. Sæcul. XIII. A. C. 1271.

§. XIII.

S. Ludovici exequiæ.

Rex Philippus Parisios delatus, quas secum attulerat, sandapilas Regii parentis sui, Comitis Niverini sui fratris, ac Reginæ Isabellæ conjugis suæ Consentiæ in Calabria mortuæ ossa continentes in templum Dominæ Nostræ portari jussit. Per noctem totam chori plures officium pro illis grandia plurimaque inter luminaria alternis decantabant. Postero die Veneris ante Pentecosten 22 Maji sandapilæ Dionysiopolim deferebantur. Omnes Religiosi Parisienses instructo ordine præibant: sequebatur Rex cum magno Procerum Præsulumque numero, & ingente populi multitudine: nemo non incedebat pedes: atque Rex sui patris p. 465.

Sæcul XIII. A.C. 1271.

ossa humeris gestabat. Dionysiani monachi fericis induti trabeis, ac suum quisque cereum tenentes manu, canentesque mille passus obviam ierant. Sed cum ad ædem sacram ventum est, occlusæ erant portæ ob Archiepiscopum Senonensem ac Episcopum Parisinum, qui pontificio insignes cultu aderant. Nam monachi metuebant, ne Præsules, si sic ornati templum intrarent, ex hoc actu publico consecutiones deducerent plenæ ipsorum immunitati noxias. Igitur extra fines jurisdictionis Abbatiæ egredi debebant, & pontificia ornamenta deponere, Rege interim omnibus cum Proceribus Præsulibusque foris expectante. Matthæum Abbatem Dionysianum modo regnum administrasse memineris. Reclusæ demum portæ, comitatus funeris ingressus templum, cantatum pro vita functis officium, res divina solenni peracta ritu, sancti Regis reliquiæ prope ossa Ludovici patris, avique Philippi Augusti positæ sunt in sepulchro saxeo, cui deinde obductus fuit exquisiti operis tumulus auro argentoque magnifice decorus: ubi multa mox miracula fiebant Abbatis Dionysiani jussu fideliter conscripta.

p. 526.

p. 475.

Sæcul.XIII.
A.C.1271.

§. XIV.

Mors Alphonsi Comitis Tolosani.

Paucis post diebus in templum S. Dionysii delatum est corpus Alphonsi Comitis Pictaviensis, qui, cum S.Ludovicum fratrem suum in transmarino itinere comitatus esset, Tuneto redux Castri Novi in Hetruria e vita demigraverat. Quem post aliquot dies secuta conjux sua Joanna nulla relicta sobole comitatum Tolosanum, cujus hæres fuerat, Coronæ Gallicæ restituit ex pactione anno 1229. Parisiis inita. Summus Carcassonæ Prætor illius possessionem Regis Philippi nomine occupavit: Tolosamque profectus, consules ei jurare fidem jussit 16 Sept. eodem anno 1271. coram multis testibus, quorum primus erat Bertrandus Episcopus Tolosanus. Cum Episcopus Raymundus Ord. Præd. anno priore, sui pontificatus trigesimo nono, 29 Octobris decessisset, Canonici una omnes voce successorem cooptarunt Bertrandum Ecclesiæ Tolosanæ Præpositum, qui Patrem habebat Insulæ Jordani Dominum. Electio Narbone confirmata; Bertrandus in Sacerdotem 20 Dec. in Episcopum postero die S. Thomæ consecratus est.

p. 526. Chr. G. de Pod. Laur. c. 51. Sup. l. 79. §. 50.

Ann. de Toulouse p. 2. 3.

Gall. Chr. p. 688.

Sæcul. XIII. A.C. 1271.

§. XV.

Eduardus in Palæstina.

Sanut. p. 224.

Eduardus Anglorum Regis filius natu major transacta in Sicilia hyeme, marinum in Palæstinam iter ingressus, 9 Maji an. 1271. Ptolemaidis portum attigit

Knyght. p. 2457.

cum mille viris delectis. Ibi mensem traduxit, ut & suos reficeret, & statum regionis perquireret, ubi Bondocdarus Sultanus Ægyptius magnos per trien-

Sanut. p. 223.

nium progressus fecerat. Septimo Martii 1268. Joppe inducarum tempore per proditionem capta, cum inopes necasset, reliquis expilatis præsidium dedit. Quinto decimo Aprilis castro Bellofortio potitus contra Tripolim, cujus hortos evertit, tum contra Antiochiam movit: quam 29 Maji sine pugna nactus, occisis septendecim millibus hominum, supra centies mille mancipia abduxit ita, ut grandis hæc urbs deserta maneret, nec

V. Rat. temp. p. 2. l. 3. c. 13.

postea incolis frequentaretur. Mille quingentos octoginta circiter annos steterat. Hoc anno 1271. 18 Febr. Bondocdarus arcem Cracam ad Hospitalarios pertinentem obsidere cœpit; qui 8 Aprilis eam dedere cogebantur. Dein cum Comite Tripolitano inducias pactus, Monfortio, quod Germanorum erat, subacto dirutoque, ad Ptolemaidem copias admovit.

Eduar-

Eduardus menſis ſpatio quieti dato, ſepties mille circiter Chriſtianos ducens, edomito Nazaretho peremit incolas. Sic excurſus plures per ſesquiannum, quem Ptolemaide agebat, fecit; at ſine magno effectu. Eodem tempore ibidem erat Rex Hieroſolymitanus Hugo III. Henrici Pictavienſis Antiochiæ Principis & Iſabellæ Luſiniacenſis filius ac ſucceſſor Hugonis II. cognati ſui, qui quatuordecim annos habens menſe Novembri an. 1267. diem obierat. Hugo III. jam erat Rex Cypri, & 24. Sept. an. 1269. Tyri ſe in Regem Hieroſolymitanum coronari curaverat. Hunc titulum annis 14 ac dimidio geſſit. Sæcul.XIII. A.C.1271. *Lign. d. Outrem. p.* 360.

§. XVI.

Gregorius X. Papa.

Illo ipſo tempore Ptolemaidem pietatis cauſa advenerat Theobaldus Archidiaconus Leodienſis ſacra obiturus loca, cum ſe in Papam electum eſſe ibi comperit. Nam præſentes Viterbii quindecim Cardinales denique per compromiſſum ſex e ſuo numero Papam cooptandi facultate impertierant: & illi ſex 1. Sept. an. 1271. Archidiaconum Theobaldum concordibus deſignarant ſuffragiis. Ex Viſconti Pro-Comitum familia Placentiæ natus, primum Canonicus Lugdunenſis, dein- *Rayn.* 1271. *n.* 7. *t.* 11. *Conc. p.* 925.

Sæcul. XIII. A. C. 1272.

deinde Leodienſis Archidiaconus ſub Epiſcopo Henrico Geldro fuerat. Litteris parum, ſed negotiorum ſecularium experientia permultum valebat, erogandæ ſtipis, quam pecuniæ coacervandæ amantior. Apoſtolica Sedes duobus annis, & novem menſibus vacaverat. Cardinales mox decretum Theobaldo cum epiſtola miſerunt, in qua inter electionis ſuæ incitamenta terræ ſacræ neceſſitatum notitiam, quam per ſe ipſum haberet, memorabant, &, ut protinus veniret, obteſtabantur: Rei nuncius Palæſtinæ Chriſtianos ingenti affecit gaudio, illum magnas ſibi ſuppetias miſſurum ſperantes. Et ipſe jam itineri accinctus hæc e pſalmo verba Ptolemaide dixit: *Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui!*

Rayn. n. 14.

Sanut. p. 225.

Pſ. 136.

Papebr. conat.

Rayn. 1272. n. 2.

In ſui electionem 27 Octobris conſenſit, quo ſuum pontificatum inchoaſſe cenſetur: ac Gregorius X. nuncupari voluit. Conſcenſa nave in portum Brunduſianum invectus eſt 1. Januarii anno 1272. Etiamnum in terris Siciliæ Regis verſans, ampliſſimam Romanorum legationem audiit, ut conſeſtim Romam adiret, orantium. Sed cogitabat, ibi ſe poſſe aliis rebus implicari, quæ ſe a terræ ſacræ negotio averterent, cui primas curas ſuas impendere volebat. Itaque

Itaque recta Viterbium profectus, ubi Cardinales ac Romana Curia reſidebant, 10. Febr. eo advenit. Illic poſt tantum iter nullum quieti ſpatium tribuens, aliis negotiis omnibus occluſa janua, per octo dies animum habebat defixum in ſubſidio Palæſtinæ ferendo, quam ad ultima deductam reliquerat. Piſanos, Genuenſes, Maſſilienſes ac Venetos, ut tres quique triremes armatas, omnino duodecim mitterent, induxit, ac belli ſumptibus ſuccurrendi gratia juſſit colligi legata pia hunc ad finem deſtinata, quæ grandia erant. Cardinalis Rodulphus Epiſcopus Albanenſis ante Tunetum demortuus auri uncias mille, ac octies mille Richardus electus Romanorum Rex reliquerat. Notandum vero, unciam auri valuiſſe quinquaginta ſolidos Turonenſes, qui viginti quinque noſtræ monetæ libras conficiebant. Richardus anno priore 2 Aprilis morti occubuerat.

Sæc. XIII. A.C. 1272.

n. 4.

Spicil. t. 2. *p.* 563.

Papa Gregorius in Franciam Archiepiſcopum Corinthium miſit cum litteris ad Regem Philippum, in quibus ait: Cum in terra ſacra eſſemus, cum Ducibus Chriſtiani exercitus, cum Templariis, Hoſpitalariis, ac regionis Proceribus ultimam ab ea perniciem propulſandi modos tractavimus. Poſtea etiam cum Fratribus noſtris Cardinalibus ea ſuper

M. P. p. 859. *Rayn. n.* 5.

Sæcul. XIII. A.C. 1272.

per re collocuti vidimus illuc certum copiarum triremiumque numerum modo mittendum, ac expectandum majus esse subsidium, quod nos illi per generale concilium obtenturos speramus. Dabat 4 Martii an. 1272. & quia nondum consecratus fuerat, ejus nomen in litteris seu sigillo ex iis pendente non erat. Templarii jubebantur terras, quas in Gallia possiderent, Philippo Regi oppignorare in securitatem pecuniæ, quam repræsentaret usque ad viginti quinque argenti selibrarum millia. Reapse Rex ea dedit mutua, paratus per se ipsum Palæstinæ suppetias ire, nisi Papa eum rogasset, ut rem differret, donec apparatus expeditionis absoluti essent.

n. 7. 8.

Gregorius Romæ consecratus fuit 27 Martii die, quæ hoc anno 1272. tertia jejunii verni Dominica erat: ac biduo post exarari epistolam jussit ad omnes Episcopos circummittendam, qua de ipsius consecratione pro more edoceretur. Illam brevi sequebatur alia Episcopos ad concilium generale convocans. Papa tres hujus causas præcipuas memorabat, schisma Græcorum, tristem terræ sacræ statum, cujus ipse testis oculatus esset, vitia & errores in Ecclesia multiplicatos. Cupientes igitur, ait, tot malis commune per consilium mederi, præcipimus, ut 1. Maji anno 1274. com-

n. 9. *Papebr. conat. Rayn. n.* 21. *to.* 11. *Conc. p.* 9. 29.

compareatis in loco, quem conveniente tempore vobis indicabimus. Volumus in quavis provincia unum vel duos Episcopos manere ad exercendas functiones Pontificias, & ab iis, qui permanserint, sicut etiam a Senatibus Ecclesiarum tam Cathedralium, quam illarum, quas Collegiales vocant, Oratores ad concilium mitti. Examinabitis interim ea, quæ corrigenda sunt, scriptisque mandabitis, ut ad concilium afferatis. Dabat postremo Martii an. 1272. Sæcul. XIII. A.C. 1272.

§. XVII.

Thomas Patriarcha Hierosolymitanus.

Papa Gregorius, ut spiritualium Palæstinæ rerum curam gereret, Patriarchæ Hierosolymitani titulo impertiit Fratrem Thomam Leontinum Siculum ex Ordine Prædicatorum, Bethlehemo, cujus Episcopus fuerat, an. 1267. Consentiam in Italia sitam a Clemente IV. translatum. Ad Sedem Messanensem post obitum Bartholomæi Pignatelli Canonicorum suffragiis vocatus erat: sed Papa dissentiens illum 21 Apr. an. 1272. Patriarcham Hierosolymitanum creavit. Etiam Episcopatum Ptolemaidis administrandum ei commisit jam ab Urbano IV. conjunctum cum Patriarchatu Hierosolymi- *Ughel. t. 9. p. 299.* *Papebr. to. 14. p. 58.*

Sæcul XIII. A. C. 1272.

lymitano, cujus proventus ethnici possidebant. Hanc ad sedem Gregorius Thomam elegit tanquam virum singularibus præditum meritis, & magna rerum Palæstinæ notitia tum temporis capta, cum Bethlehemi Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus esset. Eum pariter suum esse Legatum in Armenia, Cypro, principatu Antiocheno, vicinis insulis, totaque Orientis ora maritima voluit: & ante omnia illi commendavit, ut mores Latinorum his in provinciis Christianorum corrigere conaretur. Vide, quomodo illi loquatur in quadam ex epistolis suis! Scis per te ipsum atrocia crimina ibi committi solita, miseraque voluptatis mancipia in libidines effusa Antiochiæ totque aliis locis hostium furore dirutis iram Dei acciviſſe. Stupenda res est, fratres nostros his exemplis tam parum esse commotos, ut nulla scelerum suorum pœnitentia ducti eodem in cœno se volutare pergant, donec & ipsi intereant.

Rayn. n. 17.

Ughel. p. 297.

Anteqam Patriarcha Thomas Terram sacram peteret, Papa pecunias in hujus emolumentum sibi a Rege Galliæ missas illi tradidit, præcepitque, ut in transitu Siciliæ Regem adiret, &, quanam ratione illis utendum esset, cum eo consultaret. Patriarcha quingentos tum equites tum pedites Ecclesiæ stipendiis mili-

Sanut. p. 215.
Rayn. n. 17.

militantes in Palæstinam secum adducens commodissime advenit, ut incolis Richardi Angli abitu pæne ad desperationem adactis solatia & animos afferret. Sæcul. XIII. A.C. 1272.

Propius nihil factum est, quam ut hic Princeps Ptolemaide sicarii periret manu, qui se in familiaritatem ejus insinuaverat crebras ipsi apportando litteras cujusdam Emiri seu Principis a Mahomete oriundi ac pleno jure imperantis, qui se fieri Christianum velle simulabat. Demum die Jovis intra octavam Pentecoten 16 Junii an. 1272 sicarius venenato Richardum cultro percussit; & illico quidem obtruncabatur: sed Richardus ægerrime curatus est: atque suppetias sibi a Tartaris æque ac Christianis promissas a se frustra expectari videns, initis cum Bondocdaro decem annorum induciis 22 Sept. Ptolemaide in Angliam abiit, copias de suis viventes stipendiis illic relinquens. *H. Knygt. p. 1417. M. Paris p. 859.* *Sanut. p. 225.*

§. XVIII.

Palæologi cum Papa negotium.

Imperator Michael Palæologus, ne a Rege Siciliæ Carolo impugnaretur, nunquamnon metuens, eodem, quo se ad sustinendum bellum præparabat, tempore crebras ad Aulam Romanam Lega-

Sæcul. XIII. A.C. 1272.

tiones mari mittere eo minus ceſſabat, quo ſæpius mors ſummos mutabat Pontifices. Legationum ſcopus erat Eccleſiarum reconciliatio: cui dandam ſimul ad operam Joſephum Patriarcham ac Epiſcopos adducere conabatur Michael. At illi eum non niſi obſequii cauſa & oſcitanter audiebant. Quamvis enim aperte obſiſtere ipſi & contradicere non auderent, credebant tamen, Eccleſiam ſuam in libertate ſumma & authoritate, qua polleret, manſuram extra periculum ſubeundi jurisdictionem Latinorum, quos eſſe mercatores & artifices putabant. Cogitabant, hoc Imperatoris conſilium momento temporis haud poſſe perfici, ſed eventurum ſicut tot alia Imperatorum antecedentium experimenta, quæ propter obſtacula ſupervenientia caruiſſent effectu: vel, ſi negotium haberet proſperum ſucceſſum aliquem, ſchiſma non ideo ceſſaturum. Fratres tamen Mendicantes, cæterosque Italos tanquam Chriſtianos amice tractabant, nec ullam cum eis diſputationem ſuſcipiebant.

Pachm. lib. 5. c. 10.

c. 11. Poſtquam Gregorius in Papam electus fuerat, Imperator Michael per famam comperit, illum eſſe hominem virtute præditum ac Eccleſias reconciliandi ſtudioſiſſimum. Et Gregorius e Syria redux per Fratres Mendicantes ſuis eum verbis humaniſſime ſalutari voluit ac e-

doceri

doceri sui electionem, ardensque suum reconciliationis desiderium, atque si eam Imperator quoque cuperet, pulcherrimam ejus occasionem sub se summo Pontifice dari. Græci autem persuasum sibi habebant, Michaelem non quærere pacem nisi Regis Siciliæ metu; ac Gregorium eam bona fide desiderare. Et vero jam inde ab initio pontificatus sui illam cogitaverat: ut ipse in epistola post hæc ad Michaelem scripta indicat: eumque ad concilium illo tempore, quo id convocabat, per Nuncios ac litteras invitare statuit. Sed de consilio Cardinalium Michaelis responsum ad ultimas Papæ Clementis IV. litteras expectavit, ut suos Nuncios melius informatos mitteret.

Sæcul.XIII. A C. 1272.

to. 11. *Conc. p.* 942. *Rayn.* 1227. *n.* 25.

Revera Imperator Michael quendam Fratrem Ord. Minorum nomine Joannem Parastronium, origine Græcum misit linguæ peritissimum, ac reconciliationis studio incensum, de qua cum Patriarcha & Episcopis sæpe colloquens, se ceremonias ritusque Græcos magni facere significabat. Hic Papæ litteras Imperatoris attulit, in quibus dicebat se sperasse, Papam relicta Syria venturum Constantinopolim: futurum fuisse, ut ibi debito honore ac reverentia exciperetur: ejusque præsentiam ad promovendam reconciliationem magnum momentum

Pach. p. 252.

Sæcul. XIII. A.C. 1272.

fuisse habituram. Papa hac epistola magnopere gaudens, quatuor alios Fratres Minores, Hieronymum Asculanum (qui postea Papa Nicolaus IV. fuit) Raymundum Berengarium, Bongratium de Fano S. Joannis, (qui dein Ordinis Minister Generalis evasit) ac Bonaventuram Mugellanum ad Imperatorem misit cum epistola, in qua ait: Reconciliatio ex designatione summorum Pontificum Urbani ac Clementis inchoanda est per consensum fidei secundum formulum ab iis missam. Qui si factus fuerit, orat Imperatorem, ut ad concilium cum reliquis Principibus catholicis veniat, vel magnæ authoritatis Legatos eo mittat, remittatque brevi hos quatuor Nuncios, ut ante celebrationem concilii ad præparandam ejus materiam satis mature adesse in Italia queant. Dabat 24 Octobris an. 1272.

Vading. 1272. *n.* 3.

Sup. l. 85. §. 17. 55.

Papa etiam Josepho Patriarchæ Constantinopolitano scripsit, ut ad reconciliationem operam conferret suam, & ipse adiret concilium. Nunciis informationem tradidit, quæ profitendæ fidei & Papæ primatus agnoscendi formam continebat, quam Imperator ac Ecclesiæ Græcæ Præsules sequi deberent ac mittere. Impertiit etiam Nunciis authoritatem ad fidei publicæ testes litteras imperatoriis, qui ad concilium venirent, Legatis dandas. Denique illis commendati-

Conc. p. 948. *Vading.* 1272. *n.* 7. *&c.*

datitias præbuit litteras ad cunctos Præfules, Principesque, per quorum terras transirent, ac singulares quidem ad Regem Siciliæ Carolum, quem rogabat, ut Imperatoris Græci Legatos præstaret tutos. Sæcul. XIII. A.C. 1272.

§. XIX.

Henricus III. Angliæ Rex moritur, cui succedit Eduardus.

In Anglia cives Norvicenses cum monachis jurgati incenso templo cathedrali, libros, supellectilem argenteam, & quidquid ignis reliquerat, usque ad aureum vas augustissimi Sacramenti ante aram principem suspensum abstulerant. Rex Henricus tantam audaciam indignatus Norvicum præmisit Thomam Trivetum Equitem juri dicendo præpositum, patrem Nicolai, cujus chronica habemus. Ipse dein delatus in locum, maxime fontes ad patibulum, cives reliquos ad templum reædificandum damnavit. Londinum rediturus erat, cum ad Abbatiam S. Edmundi Regis advectum morbus gravis corripuit, e quo non evasit. Regionis Proceres ac Episcopi veniebant, ut ejus morti assisterent. Ille inter magna pœnitentiæ specimina Sacramentis morientium omnibus susceptis obiit die S. Edmundi Cantuariensis 16. Nov. an. *M. Par. p. 860. t. 8. Spicil. p. 626.* *M. Westmon. p. 401.*

Sæcul. XIII. A. C. 1272

Christi 1272. ætatis suæ 65. regiminis 56. Cadaver ejus Londinum delatum, & Westmonasterii solenniter sepultum est, Illius temporis Scriptores laudant pietatem hujus Principis: qui, ut perhibent, tribus quotidie sacris solennibus, ac pluribus privatis interfuit; & S. Ludovico crebriorem ad conciones præsentiam pluris facienti reposuit: Malo sæpe amicum videre meum, quam audire, quidquid boni de illo dicatur. Extollitur ejus innocens vita & patientia: demum miracula mortuo tribuuntur. Sed vidisti, quantum abfuerit, ut virtutes Regi necessarias, justitiam & constantiam haberet. Vidisti vexationes, quas Episcopis sanctis intulit, violentias, quas adhibuit, ut mali eligerentur, ac imbecillitatem regiminis, quæ subditorum odium, atque seditionem apertam in eum concitavit.

Postridie exequias Præsules Proceresque Londini novo in templo Regi Eduardo fidem jurabant, qui ex suo itinere transmarino necdum revenerat. Præsulum Princeps erat Robertus novus Archiepiscopus Cantuariensis. Nam Bonifacius Sabaudus vitam amiserat 1. Aug. an. 1270, postquam insignem hanc sedem viginti novem annis tenuerat. Monachi in Archiepiscopum elegerant Guielmum Chillindenium Priorem, ut vocant,

Godvin. p. 137.
Matth. Par. p. 860.

cant, ſuum. Sed Papa Gregorius abrogata electione illi Eccleſiæ præfecit Robertum Kiluarbium Dominicanum, qui, antequam ſacræ familiæ nomen daret, Pariſiis artes docens, de Grammatica, Logicaque libros compoſuerat. Poſt ingreſſum Ordinis litteras divinas & SS. Patres, præcipue Auguſtinum in archetypis ſtudioſe legit: hoc eſt, ut opinor: haud contentus erat excerpta ex illis dicta in Magiſtro Sententiarum & in Gratiano habere. Undecim annis Magiſtrum Ordinis Generalem egerat, cum Papa ei Archiepiſcopatum Cantuarienſem detulit cum copia eligendi, quem vellet, Epiſcopum ad ſui conſecrationem. Elegit Guilielmum Epiſcopum Bathenſem ſanctitatis fama conſpicuum, a quo præſentibus undecim Suffraganeis ſuis Cantuariæ initiatus eſt prima jejunii verni Dominica 13 Martii an. 1272.

Sæcul. XIII. A.C. 1272.

Trivet. p. 626.

§. XX.

S. Thomas Herfordienſis.

Poſt Regis Henrici obitum Cancellarius ejus Thomas Chantelupius reliquit aulam. In Anglia nobili natus genere, a puero magnæ pietatis indicia ediderat. Litteris humanioribus Oxonii, philoſophiæ Pariſiis operam dedit, & Artium Magiſtri gradum obtinuit. Oxonium reverſus Doctorem Juris Canonici, & Uni-

Vita ap. Sur. 2. Octob.

Sæcul. XIII. A.C. 1272.

versitatis Cancellarium egit, ita, ut viri fama permotus Rex eum tabulario sanctiori præficeret. Morum puritatem, quam semper coluerat, hoc in munere conservans, summa integritate jus dicebat, nec divitum gratia tactus, nec debilitatem inopum spernens. Extincto Rege Oxonii Theologiæ studium tradens suum etiam hujus facultatis Doctor est habitus. Interim virtutis in stadio semper procedebat, parcissime vivens, calumniarum hostis, corpus animamque servans purissimam. An. 1275. vacantis Ecclesiæ Hersordiensis Episcopus electus 8. Sept. eodem anno consecratus fuit. Probitas ejus non damnum ex dignitate, sed incrementum cepit. Verum aliqua Ecclesiæ suæ jura defensum profectus Romam, & a Papa Martino IV. voti compos factus, in reditu prope Montem Flascenis mortem oppetiit. Inter cælites postea relatum Ecclesia 2. Oct. colit.

Goduin. p. 530.

Mart. Rom.

§. XXI.

Regis Eduardi reditus.

Rex Eduardus e Palæstina redux in Siciliam advenit, ubi honorifice acceptus a Rege Carolo aliquamdiu subsistebat vires reficiendi gratia. Posthæc comperto ibidem regii parentis sui obitu iter

Matth. West. mon. p. 402. Trivet. p. 630.

iter persequens Urbem Veterem, ubi Papa Gregorius cum sua curia residebat, petiit. Cardinales omnes obviam veniebant duobus Regibus: nam Carolus Eduardum eo deducebat, & hic Papæ, quicum amicitiam in Palæstina contraxerat, tristem ejus statum exposuit. Dein ab eo poposcit justitiam ob Henricum Germanicum patruelem suum Viterbii an. 1271. verni jejunii tempore a Guidone Monfortio necatum. Hunc quidem jam proscripserat Papa, ejusque socero Comiti Aldebrandino Rufo cædis participi diem dixerat. Tum vero instante Rege Eduardo in Guidonem Monfortium hanc alteram tulit sententiam. Nos eum proscribimus, & cuilibet capiendum, non tamen occidendum exponimus aut mutilandum. Præcipimus cunctis provinciarum locorumque Rectoribus, ut manus in eum injiciant, nostramque ad curiam eum adducant: & loca omnia, in quæ veniet, præterquam illum, in quo comprehendetur, interdicto afficimus. Vetamus, nequis hominum, nequa societas eum recipiat, ad munus aliquod admittat, vel adjuvet, aut ullum cum eo commercium habeat. Denique, quotquot forsitan clientes beneficiarios subditosque numerat, a fide illi jurata absolvimus. Actum 1. Apr. an. 1273.

Sæcul.XIII. A. C. 1273.

Sup. §. 12. *Rainaldus* 12273. *n.* 22.

Sæcul. XIII. A. C. 1273.

Paucis post diebus Papa omnes ad Archiepiscopos epistolam circummisit, in qua concilii generalis locum denominat, dicitque, suæ dignitati convenientius, sibique & Cardinalibus commodius fore, si Romæ illud celebraretur. Sed quia potissimum de auxilio terræ sacræ ferendo ageretur, Principibusque ac Præsulibus, qui plurimum eo contribuere possent, facilius trans montes convenirent, se Lugdunum elegisse. Dabat 13 Apr. Etiam Reges ac Principes Christianos, inter alios Alphonsum Castellæ, Philippum Franciæ, Armeniæque Reges, atque ipsos Tartaros ad concilium invitavit, rogavitque Armenorum Regem, ut integra concilii Nicæni acta, quæ in lingua sua tenere se perhiberet, ipsi mitteret.

Rayn. n. 1.

§. XXII.

Rex Lusitaniæ officii sui commonetur a Papa.

Authoritas Papæ Innocentii IV. viginti septem abhinc annos fecerat, ut Alphonsus Lusitaniæ Rex hoc regnum loco Sanctii Capelli fratris sui gubernandum acciperet, de quo graves tum jactabantur querimoniæ. Sed non leviores de Alphonso movebantur, ut liquet ex quadam Papæ Gregorii epistola hunc in modum scripta. Libertas ecclesiastica est pro-

Sup. l. 82. §. 12. 24. Rayn. n. 25.

propugnaculum fidei: hæc civilis societatis vinculum est. Idcirco, dum hostis humani generis destruere regna cupit, ante omnia persuadet Principibus eversionem libertatis Ecclesiasticæ in rem ipsorum esse. Ut vero audivimus, contra jusjurandum, quo te ad illam conservandam adstrinxeras, Præsulibus omnique Clero intolerandas vexationes infers. Occupasti ac retines proventus Ecclesiarum Bracarensis, Conimbricensis, Viseanæ ac Lamecensis: atque diversis Clericis privatis vel profanis hominibus domos & fundos, qui ad Ecclesias spectant, tribuis. Sæcul.XIII. A.C.1273.

Tuorum Judicum quidam jurisdictionem alienam sibi vendicans, causarum ad ecclesiasticum tribunal pertinentium cognitionem capere audet: dumque Clerici ad sacram Sedem appellant, contumaces reputat, & vindiciarum petitores in possessionem mittit. Tu ipse Clericos in tua cæterorumque Judicum curiis de quavis causa respondere cogis. Tu subditis tam Clericis quam laicis eorumque servis nova portoria novasque pensiones imperas canones ac censuras a sancta Sede latas despicatui habens. Quando Judæi vel Saraceni liberæ conditionis ad baptisma veniunt, mox eorum bona fisco addicis, eosque in servitutem redigis. Saracena Judæorum mancipia sacro

Sæcul. XIII. A. C. 1273.

cro fonte luſtrata veterum dominorum jugo ſubjicis. Cum Saraceni aut Judæi Chriſtianorum hæreditates obtinent, non permittis, ut parœciæ, in quibus hæc bona ſita ſunt, eorum decimas exigant. Dabat Urbe Veteri 28 Maji an. 1273. At hæ litteræ magnum effectum non habuere: ut poſtea conſtabit.

§. XXIII.

Papa Florentiæ agit.

Ricord. Maleſp. c. 198. Gio. Villani. lib. 7. c. 63. Machiav. l. 2. f. 39.

Poſt modicum tempus Papa Urbe Veteri Lugdunum proficiſcens 18 Junii Florentiam advenit, præter Cardinales aulæque ſuæ miniſtros habens itineris comites Carolum Siciliæ Regem, ac Balduinum Imperatoris Conſtantinopolitani titulo etiamnum inſignem, qui ſub finem hujus anni vitæ curriculum confecit. Papa ob urbis ſitum, ſalubrem aërem, & aquas belliſſimas ibi agere æſtatem ſtatuit, ac per commorationis ſuæ tempus in palatio divitis e Mozzorum familia mercatoris habitavit. Dolebat vero tam pulchram urbem in Gibellinorum Guelforumque factiones ſciſſam. Guelfi viribus ſuperiores multos civium tanquam Gibellinos in exilium egerant. Papa, ut iſti revocarentur, reconciliabat animos

Rayn. n. 28.

partium, & 2 Julii ad ineundam pacem adduxit, ejus violatoribus talem imponens

nens mulctam, ut decies mille ſelibras ſterlingorum ipſi, & tantundem Regi Carolo penderent. Fuere autem, qui Gibellinorum Oratoribus pacis jungendæ cauſa Florentiam delatis dicerent, Siculum Hetruriæ præfectum illos, ni recederent, trucidaturum. Sic territi abiere: ruptaque pax eſt. Offenſus graviſſime Papa Florentiam interdicto affectam poſt quatuor dies reliquit, & per totum pontificatus ſui tempus non abſolvit. Sæcul. XIII. A. C. 1273.

Ab anno priore Papa inter civitates Italiæ pacem ſtrenue procurans, hoc fine Archiepiſcopum Aquenſem fecerat Legatum ſuum, eique hoc mandatum dederat. Quarumvis partium Oratores convenientem in locum vocatos edocebis, ad celebrationem concilii a nobis indicti ſecuritatem viarum præparandam eſſe per firmam pacem, vel ſaltem per inducias. Expones iisdem pericula ſpiritualia æque ac temporalia, jacturasque ſua per diffidia factas, & in bellum civile ſi recidant, hoc ipſis perniciosius fore quam antea. Ideo præveniendum mature malum eſſe, modicum ſeditioſorum pacem turbantium numerum aut leniter ad officium reducendo, aut acriter caſtigando. Demum præcipit, ut contra illos, qui ſe paci opponerent, pœnis utatur ſacris. Verum exhortationes ac cenſuræ eccleſiaſticæ haud magnopere movebant populos *Id.* 1272. n. 40.

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

pulos a longo jam tempore ſibi mutuo infenſos. Hic Archiepiſcopus Aquenſis erat e proſapia * Pro-Dominorum, Papæ nepos Placentiæ natus, qui poſt mortem conjugis, e qua liberos ſuſceperat, ex celebri Jurisconſulto & Cauſidico factus Clericus, primum Præpoſitus Graſſenſis, tum Archiepiſcopus Aquenſis evaſit an. 1257. Denique Ordinem Minorum intravit, incertum, quo tempore.

* Vicedomo

Vading. 1273. *n.* 13.

§. XXIV.

Beatus Ambroſius Senenſis.

Senas interdicto, quo a Papa Clemente IV, cum pro Imperatore ſtarent, an. 1266 mulctatæ fuerant, exſolutas in illud recidiſſe declaraverat Gregorius X. Cives quibusdam Principibus ad obtinendam ejusdem abrogationem incaſſum adhibitis, tandem ad auxilium divinum per preces ac beneficentiam erga inopes converſi, ad Papam mittere quendam Dei ſervum ſtatuerunt, & quidem Ambroſium Ord. Præd. e nobili Sanſedoniorum ſtirpe inter ſe natum, qui, cum Theologiam Pariſiis & Coloniæ docuiſſet, Oratorem ſacrum egregio ſucceſſu agebat, & jam Papæ Clementis IV abſolutionem illis impetraverat. Hunc igitur e longinqua, ubi erat, regione accitum, ut pro ipſis etiam apud Papam Gregorium deprecaſ-

Boll. 20. *Mart.* t. 8. *p.* 187. *n.* 50.

p. 13. *n.* 17.

p. 246. *n.* 36.

precatoris munere fungeretur, orabant. Quo per obedientiam susceptо ille ponenda prius odia & inimicitias esse dixit, & hoc fine conciones ante sui Ordinis templum habuit: nec enim capere potuisset omnem populum ipsi avidas præbentem aures. Illius eloquentia tam efficax fuit, ut cunctæ urbis familiæ in mutuam redirent gratiam. Sæcul. XIII. A. C. 1273.

Viterbium, ubi tum Aula Romana erat, delatus petitum Papæ alloquium mox obtinuit, qui viri doctrinam virtutemque per famam noverat, ejusque precibus annuebat. Cardinali Benedicto Cajetano a sacello erat Clericus, cui Papa per litteras Florentiæ 13 Julii an. 1273 datas mandavit, ut Senas interdicto solveret. Ambrosius inter quælibet communis lætitiæ signa ibi exceptus, dein ad plures Italiæ urbes per reconciliationem pacandas feliciter adhibitus est. Jam antea quoque conatus fuerat pacem inter Germaniæ Principes populosque reducere, ac eos ad ferendas Hungariæ Regi a Tartaris impugnato suppetias permovere. Ambrosius præfecturas Ordinis sui fugiebat, renuitque oblatos sibi a summis Pontificibus episcopatus plures, etiam Senensem in patria sua, ubi electus canonico ritu fuerat. Ad Deum excessit 20 Martii an. 1287, & miranda clientibus suis beneficia impetravit, quæ mox juri- *p.* 189. 211. *n.* 8.

Sæcul. XIII. A. C. 1273.

juridico more perquirebantur. Neque tamen ad Sanctorum ordinem solennibus ceremoniis aggregatus, sed solum martyrologio Romano cum Beati titulo inscriptus est.

Mart. R. 20. Mart.

§. XXV.

Rudolphus in Romanorum Imperatorem eligitur.

Ex illo tempore, quo Fridericus II exauthoratus, & mortuus est, magnis Italia motibus, majoribus Germania agitabatur. Sed hoc anno per electionem Imperatoris respirare cœpit. Richardus Anglus electus Romanorum Rex 2 Aprilis an. 1271 obierat: & 16 Sept. anno sequente Papa Alphonso Castellæ Regi declaraverat, se jus ad Imperium, quod is sibi vendicaret, admittendum non ducere. Igitur Electores omnes excepto Rege Bohemiæ Francofurtum delati sibi mutuo conquerebantur mala, per longam Imperii vacationem creata, quæ ab exauthorato Friderico viginti octo annis duraſſet. Archiepiscopus Moguntinus Rudolphi Comitis Habspurgici fortitudinem ac sapientiam laudabat, has ejus virtutes reliquorum, qui commendarentur, opibus ac potentiæ præferendas asserens. Colonienſem primo ac Trevirenſem Archiepis-

Matth. Par. p. 859.

Alb. Argent. Chr.

chiepiſcopos, deinde Duces Bavariæ Saxoniæque, ac Marchionem Brandeburgicum ad ſuam perduxit ſententiam. Ita Rudolphus una omnium voce electus eſt ultimo Septembris anno 1273. Cum Electores adiiſſet, mox eos ſibi fidem jurare voluit: &, quod ſceptrum imperatorium deeſſet, tergiverſantibus prehenſam ſceptri loco crucem oſculo colendam ſingulis præbuit, ſicque juramentum fidelitatis accepit. Poſt quatuor ab electione hebdomades Aquisgrani coronatus eſt. Sæcul.XIII. A.C.1273. *Ann. Steron.*

§. XXVI.

Epiſcopi Olomucenſis ad Papam libellus.

Brumo Comes Stheumbergius, Epiſcopus Olomucenſis, hanc Eccleſiam viginti ſex annis magna gubernans prudentia præclaram exiſtimationem collegerat. Cum Papa Gregorius in litteris ad concilium convocantibus præcepiſſet, ut Epiſcopi earum rerum, quas in ſua quisque provincia emendandas viderent, commentarios ad ipſum mitterent: Brumo ſuum miſit, qui triſtem Eccleſiæ Germanicæ ſtatum indicat. Ita loquitur: Univerſi homines tam ſacri quam profani, ne Præpoſitos habeant, Reges aut Præſules tales eligunt, qui potius ipſis *De Epiſc. Olm. p. 282. Sup. Lib. 84. §. 1. Rayn. 1263. n. 6.*

Sæcul. XIII. A C. 1273.

pareant: vel suffragia sua dispergunt, sive ut pecuniam ab utraque parte obtineant; sive ut defensores sibi parent, si electus severitatem justitiæ contra ipsos

n. 11. adhibere vellet. Videntur horrore imperatoriam potestatem: Imperatorem sapientem ac bonum, sed non potentem cupiunt; nec vident potentiam unius, etiamsi ea parum abutatur, tolerabiliorem esse, quam privatorum omnium insolentiam, eoquod illa saltem ejus obitu finiatur.

Regna nostris tractibus vicina sunt Hungaria, Russia, Lithuania, & Borussia. Hungaria fovet Cumanos, non externorum modo, sed ipsorum etiam Hungarorum inimicos capitales: qui suis in bellis nec infantibus parcunt, nec senibus, & utriusque sexus juventutem in servitium abstrahunt, ut eam suis imbuant moribus, viresque suas augeant. Eodem in regno proteguntur hæretici schismaticique aliis ex regionibus illuc profugi. Regina Hungariæ Cumana est: atque proximi cognati ejus falsa colunt numina: duæ Hungarorum Regis filiæ desponsæ sunt Russis schismaticis, & Tartarorum jugo subjectis. Lithuani Borussique tanquam ethnici jam episcopatus Poloniæ plures everterunt: ecce vicinos nobis proximos!

Hæc

Sæcul.XIII. A. C. 1273.

Hæc Hungariæ Regina erat vidua Stephani V, & nurus Belæ IV, qui 3 Maji an. 1270 moriens alios inter liberos reliquerat Margaritam, quæ a teneris Deo consecrata, cum intrasset Ordinem S. Dominici, talia virtutum specimina edidit, ut de illa Sanctis adscribenda ageretur: obiit 18 Jan. an. 1271, ætatis suæ 28. Frater ejus Rex Stephanus anno sequente, cum solummodo biennium regnasset, supremum vitæ diem egit, successorem relinquens Ladislaum III admodum juvenem.

Ann. Steron. Boll. 28. Jan. t. 2. p. 897.

Stero 1272. Thurocz. p. 79.

Episcopus Olomucensis ita pergit: Germaniæ Principes sic inter se discrepantes, ut alii ab aliis terrarum suarum vastationem expectare videantur, tuendo inter nos Christiano nomini, aut ferendis Palæstinæ suppetiis prorsus impares sunt. Solus his in plagis Bohemorum Rex est, qui religionem possit defendere. Hac venerunt Tartari, iterumque venient, nisi bonitas tua nostræ saluti consulat, neque terram sacram recuperare dum studet, periculum tam propinquum negligat.

Rayn. n. 14.

Ad Clerum quod attinet, illorum, qui Clericatus privilegio gaudere volunt, numerus quam pro paucitate ac tenuitate beneficiorum major nobis Episcopis molestum facessit negotium. Quia illis beneficia conferre haud possumus, cum de-

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

decore Cleri mendicare coguntur: vel dum nolunt agros colere, ac opificium nullum sciunt, furta committunt & sacrilegia. Interdum comprehensi traduntur Episcopis. At e carceribus elapsi nova perpetrant crimina: & rursum capti trahuntur ad supplicium: id quod hominibus profanis anathemata accersit, offensionemque inter eos ac Præsules creat. Permitte proin, ut Episcopus solus eos in synodo sua exauguret: quia nostris in regionibus Episcopi tantum inter se distant, ut ad exaugurationem Clericorum infamabilium haud facile convenire queant: ac præterea laicorum illos capientium absolutioni ob ipsorum multitudinem ac difficultatem petendi Romam provide!

Cæterum Cleri secularis Ecclesiæ Collegiales, ut vocant, & parochiales de bonis ac juribus suis quotidie amittunt aliquid. Non eas frequentat populus; spernit conciones Parochorum, nec iis confitetur amplius, præsertim in urbibus, in quibus Fratres Prædicatores Minoresque domicilia habent. Hi enim a prima luce usque ad tertiam sacra incontinenter faciunt; & post sacrificium solenne insuper pluribus sacris privatis seu sine cantu operari pergunt. Itaque, cum hodie ametur brevitas, his maxime sacris adest populus; eumque Fratres ad ea retinent per sermonem, qui a templis reliquis

reliquis, ut par esset, adeundis illum impedit. Suis etiam festis, & quidem per octo sæpe dies duorum, trium, quatuor, vel plurium annorum indulgentias annectunt. En illa, quæ ad Clerum pertinent! Sæcul. XIII. A.C. 1273.

Quantum ad laicos, ut scis ipse, quippe qui Leodii Archidiaconus fueris, in quibusdam locis sæpius quotannis habetur synodus, ad quam vocantur, & in qua testes delecti memorant ea, quæ laici palam illo anno contra Deum ac religionem fecerunt, aut quæ publicus fert rumor: & accusati se purgare debent, vel pœnam canonicam ferre. Hic mos in reliquis diœcesibus non est receptus. Unde fit, ut laicorum crimina quamvis manifesta, impunita maneant: atque si Parochus in Parœcia sua eos velit arguere, sæpe periculum vitæ subit. Fac igitur, si placet, ut in honorem religionis ubique talis synodus habeatur.

Ex utroque sexu apud nos sunt, qui nomen vestemque religiosam sumant, etsi sacra Sedes eorum institutum non approbaverit: quare inter sectas numerandum nobis videtur. Tantum obedientiam dominis dominabusque ac pastoribus suis debitam per malam libertatem excutere, uxores a maritis suis solvere se cupiunt: aut etiam juniores viduæ matrimonio nuncium remittunt contra monitum Apo- 1. *Tim.* 5. 14.

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

ſtoli. Hæ pietatem ſimulantes fœminæ concitant ſeditiones contra Presbyteros, dum faciendas eis confeſſiones, Sacramentaque ab iis accipienda ſubterfugiunt, & illa in eorum manibus contaminari ſignificant. Cenſeremus, eas debere nubere, aut domibus Ordinum approbatorum includi. Talis eſt libellus Epiſcopi Olomucenſis.

§. XXVII.

Papæ ad Epiſcopum Leodienſem epiſtola.

Henricum Leodienſem Epiſcopum peſſimi exempli vitam ducere nemo ſciebat melius, quam Papa Gregorius. Idcirco ante concilium ei litteras ſcripſit, in quibus poſt exhortationem aliquam generalibus conceptam verbis ita loquitur: Ut dolentes audivimus, ſacrilego mercatui & incontinentiæ adeo indulſiſti, ut ante ac poſt ſuſceptum Epiſcopatum plures procrearis liberos. Cum quandam Ord. S. Ben. Abbatiſſam in concubinam publicam tibi adſciviſſes, in epulo coram convivis omnibus gloriabaris, tibi viginti duos intra menſes liberos quatuor fuiſſe genitos. Horum aliquibus, cum nondum ætatem haberent idoneam, contuliſti vel comparaſti beneficia etiam animarum cu-

Hæſem. p. 299. to. II. conc. p. 929.

ra

ra prædita: aliisque liberis tuis quales optabant, nuptias per bona Episcopatus tui, conciliasti. Quandam Religiosam aliis cum mulieribus a longo tempore in illa domo tua, quam Septum vocant, detines: & quoties illuc venis, eam solus ingrederis, quos tecum adduxisti, relinquens foris. Cum quoddam tuæ diœcesis cœnobium suam amisisset Antistitam, electionem canonicam ibi factam abrogans, Virginibus Deo sacris præfeciisti filiam Comitis, cujus filio aliquam e filiabus tuis desponderas: novaque Abbatissa ex te sobolem peperisse dicitur. Sæcul. XIII. A. C. 1273.

Post alia quædam mali pariter exempli facta Gregorius inquit: A sacra Sede vigesimam partem proventuum diœcesis tuæ, ut hujus debita solveres, consecutus, insuper dimidium sacerdotii fructum annuum e quavis Ecclesia recipis sub falso terrarum quarundam alienatarum obtentu: eamque pecuniam ad ditandos liberos tuos congeris, ut ipse, cum ægrotares, fassus es. Non permittis, ut litteræ apostolicæ de beneficiis, quæ conferendi jus habes, statuentes executioni dentur: & illos, qui ea impetrarunt, in magnum sacræ Sedis contemptum carceri addicis. Clerum ac Religiosos iniquis exactionibus vexando, & vitæ servandæ causa in templa profugos inde per vim abstrahendo ecclesiasticam immuni-

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

tatem violas. Ecclesiarum jura a Nobilium ordine per nefas usurpari pateris: & in exercenda tua jurisdictione temporali tam negligens es, ut prædones, homicidas, cæterosque facinorosos homines, dummodo pecunias pendant, supplicio liberes. Denique preces horarias non peragis, quas illitteratus cum sis, ne intelligis quidem: ac sæpe profanas e lana coccinea vestes cum cingulis argenteis gestas Equiti quam Præsuli similior. Papa hortatur eum, ut se actutum corrigat, nec fidat juventuti suæ longam spondenti vitam.

Hæsem. p. 275.

Hic Episcopus Leodiensis erat Henricus Ottonis Geldriæ Comitis frater, & Guilielmi Bataviæ Comitis consobrinus: fuerunt enim duarum Brabantiæ Ducis sororum filii. Innocentius autem quartus Guilielmum Batavum eligi Imperatorem cupiens, etiam Henricum Geldrum, qui eum fulciret, ad sedem Leodiensem evehi curavit, quæ per obitum Roberti Torotii an. 1246 factum vacabat. Henricus itaque anno sequente per operam Petri Capochii Pontificii in Germania Legati cooptatus est Episcopus Leodiensis: & Conradus Colonienſis Archiepiscopus id ratum habuit. Hac ratione hic juvenis Comes Episcopatum Leodiensem possidendum adiit, & per factam legis gratiam, licet ne Sacerdos quidem esset, guberna-

Sup. lib. 82. §. 58.

p. 292.

bernavit sub Pontificibus Maximis Innocentio IV & Alexandro IV. Tandem an. 1258, post sui electionem undecimo in Sacerdotem ac Episcopum consecratus est: at bello maxime negotiisque temporalibus semper occupabatur. Sæcul. XIII. A.C. 1273.

§. XXVIII.

Pactio Norvegiæ Regem inter, & Archiepiscopum Nidrosianum transacta.

Mandatum, quod Papa Gregorius Episcopis dederat, ut de rebus in concilio emendandis libellos ad ipsum mitterent, Joanni Archiepiscopo Nidrosiano præbuit occasionem pacti de hujus Ecclesiæ juribus cum Magno Norvegiæ Rege conficiendi. Hanc Metropolitæ sedem Cardinalis Nicolaus Episcopus Albanensis Papæ Eugenii III Legatus an. 1148 instituerat: quo usque Norvegia Lundensi in Dania Metropolitæ subjecta erat. Archiepiscopus Joannes Roma, ubi consecratus fuerat, reversus in Ecclesiæ suæ jura inquirere cum cœpisset, jurisdictionem suam constrictam vidit per molimina Prætorum, cæterorumque Judicum, lites secundum regionis leges scriptas & consuetudines, non secundum jus canonicum, ac Ecclesiæ privilegia decernen- *Sup. lib. 69. §. 50.* *Rayn. 1273. n. 19.*

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

tium. Vidit etiam Ecclesiæ suæ detractam fuisse prærogativam aliquam. Nam Rex quidam pariter Magnus nomine dicebatur se regnumque suum devovisse S. Olao Regi & Martyri, ac in signum subjectionis imperasse, ut post suum suorumque successorum obitum sua & illorum coronæ huic Sancto in cathedrali Nidrosiæ templo offerrentur. Is est S. Olaus *Sup. Lib. 59. §. 15.* Norvegiæ Rex an. 1028 necatus, ut suo tempore vidimus. Archiepiscopus inde per asserebat, secundum veterem sanctionem aliquam Norvegiæ Reges eligi, sibique ac reliquis Episcopis præcipuam inter electores authoritatem esse debere.

Acceptis vero Papæ litteris concilium convocantibus, proposuit sibi perscribere ad Papam ea, de quibus tanquam erratis a concilio corrigendis sibi querendum existimabat. Sed Ecclesiam inter & Anglam dissidium spiritualibus æque ac temporalibus rebus maxime noxium inde nasci posse considerans satius esse censuit, conquerendi causas Regi exponere, atque, ut eas ipse tolleret, orare. Rex putabat se habere, quæ Archiepiscopi postulatis opponeret; præsertim de conditione regni sui, quod affirmabat esse liberum, ac hæreditarium, quale id & a patre majoribusque suis accepisset, & posteris suis vellet transmittere. Nihilominus ex Episcoporum Procerumque consilio pactionem

nem cum Archiepiscopo certis conflavit conditionibus. Is Ecclesiæ suæ nomine cessit asserto jure eligendi Reges, eorumque coronam obtinendi, quamdiu restaret hæres legitimus: sin deesset, Archiepiscopus ac Episcopi prima de Rege novo ferrent suffragia. Rex abdicavit omnem juridicialem cognitionem causarum ad Ecclesiam spectantium; quales essent causæ omnes Clericorum, quando vel inter se litigarent, vel contra laicos se defenderent; causæ matrimonii, natalium, juris patronatus, seu nominationis ad ineundum sacerdotale prædium; causæ decimarum, votorum, testamentorum, maxime quando ageretur de legatis piis; defensio Clericorum ac peregrinantium ad S. Olai aliorumque Sanctorum templa, illorumque causæ; sacrilegia, perjuria, usuræ, sacrorum nundinationes, hæreses, compressiones mulierum, adulteria, incestus, cæteræque causæ omnes de jure communi ad tribunal ecclesiasticum pertinentes. Adhæc Canonicis monachisque Episcopos & Abbates eligendi libertatem integram concessurum se Rex promisit. Hanc pactionem Bergæ 1 Aug. an. 1273 factam post annum circiter Papa ratam habuit. Sæcul.XIII. A.C.1273.

§. XXIX.

Sæcul. XIII.
A. C. 1273.

§. XXIX.

Daniæ Regis ac Episcoporum consensio.

Hist. Gent. D. Rayn. 1265. n. 53.

Sub idem tempus compositæ sunt etiam controversiæ inter Regem ac Præsules Daniæ, quæ tamdiu duraverant. Cum Archiepiscopus Lundensis Jacobus Erlandus an. 1268 iterum venisset Romam, Papa Clemens IV sive hujus relatione, sive Cardinalis Guidonis sui in Dania Legati litteris commotus Regi Erico VI scripsit in hanc sententiam. Revoca in memoriam tuam suppetias tibi ac Reginæ matri tuæ ab Ecclesia latas! Reminiscere Papam de tempestate adversum te coorta certiorem factum misisse Gerardum sacelli nostri Præfectum, qui jura tua pro viribus tueretur! Postea te matremque tuam ab inimicis captos ut ejusdem Gerardi opera liberaret Urbanus, conatus omnes adhibuit. Nos majora etiam paterni affectus nostri specimina tibi dedimus, dum ad te misimus Legatum Guidonem Cardinalem Presbyterum tit. S. Laurentii, ut tuum regnum in bonum statum pristinum firmiter restitueret. Nihilo secius ex eo tempore, quo illuc advenit, comperimus libertatem ecclesiasticam ibi te connivente sperni, te ipsum

Sup. l. 85.

eandem

eandem lædere, quibusdam Præſulibus, aliisque viris ſacris infeſtum eſſe pergere, jus eis ſuum nolle tribuere, ac ne permittere quidem, ut in regno tuo deſignetur locus, in quo de pace cum illis agatur. Sæcul.XIII. A. C. 1273.

Num cogitas, quanto te periculo exponas, ſi expectes, dum contra te juſtitiæ ſeveritatem exerceamus te ab Eccleſia ſeparando, tuum regnum interdictione divinorum afficiendo, cunctos tibi ſubditos a juramento fidelitatis liberos pronunciando? Multo melius ageres, ſi Legato demiſſe obediens cum Præſulibus redires in gratiam, nec audires illos, qui tibi ſuadent, ut te litibus implices per frivolas appellationes, quas non reſpiciemus amplius. Hæ minæ Legati monitis fultæ effectum habuere ſuum, ut docent litteræ, quas Rex Ericus 2 Apr. an. 1269 ad Papam dedit, hujus nomini vacuum relinquens ſpatium, quoniam ſacra Sedes vacabat. Hanc enim per epiſtolam Rex declarabat, ſe, quas cum Archiepiſcopo Lundenſi, cæterisque Epiſcopis, ac viris eccleſiaſticis ibi nominatis haberet, controverſias ſecundum poteſtatem Nicolao Cancellario ſuo & Petro Archidiacono Arhuſino a ſe factam Papæ vel Judicis, quem is deligeret, arbitrio ſubjicere. *Rayn.* 1269. *n.* 9.

Ob longam ſacræ Sedis vacationem diu ſuſpenſa hujus negotii expeditio tandem *n.* 10.

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

dem fiebat ſub pontificatu Gregorii X. Nam an. 1272 Archiepiſcopus Lundenſis Urbe Veteri in aula pontificia præſens per litteras patentes aſſeruit, ſe omnia poſtulata ſua ad res ſpirituales attinentia arbitris eccleſiaſticis permittere, ſique ii inter ſe diſcreparent, ad Papam illa relaturum iri. Quæ ad res profanas ſpectarent, ea ſe ac Regem communium amicorum judicio relicturos eſſe. Se rediturum ad Eccleſiam ſuam, ſi fidei publicæ teſtes literas, quibus viginti Daniæ Procerum nomina eſſent ſubſcripta, a Rege accepiſſet: ac bene acturum cum iis, qui interea, cum abeſſet, conferenda ab ipſo beneficia occupaſſent. Rex Ericus in hæc reconciliationis pacta conſenſit per tabulas publicas Nicopiæ die S. Matthiæ 24 Febr. an. 1273 confectas. Archiepiſcopus Jacobus Erlandus anno ſequente 1274 de vita exiit: ac menſe Majo ejusdem anni Petrus Epiſcopus Roſchildianus per litteras patentes aſſeveravit, omnes, quas cum Rege Erico ejusque matre tum Romæ, tum in Dania habuiſſet, controverſias amice diremptas eſſe.

§. XXX.

Palæologus urget reconciliationem.

Interea Imperator Michaël Palæologus identidem conabatur Eccleſiarum conſenſio-

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

senſionem effectam dare: & quodam die Patriarchæ Joſepho, Epiſcopis & quibusdam de Clero ad ſe congregatis magna verborum vi de illa loquebatur, minas pro more ſuo admiſcens. Edocebat eos, ſine ullo periculo poſſe cum Latinis agi: & afferebat exemplum actionis præteritæ, ac teſtimonia Archidiaconi Meliteniotæ, Georgii Cyprii, ac rhetoris Holoboli. Memorabat igitur, ab Imperatore Joanne Vatacio, Epiſcopis, & Patriarcha Manuele miſſos fuiſſe Epiſcopos, qui ſponderent, Græcos cum Latinis celebraturos eſſe liturgiam, & Papæ mentionem facturos, dummodo hic Latinis Conſtantinopoli verſantibus auxilium non ferret. Exponebat, quam diverſus a præſente rerum conditione tunc fuiſſet earum ſtatus: & monſtrabat Epiſcoporum illius temporis epiſtolas, in quibus Latinos neutiquam de hæreſi accuſabant, ſed orabant tantum, ut e ſymbolo tollerent additamentum: *Filioque*, quod reliquis in ſcriptis ſuis ipſorum pace relinquerent. Affirmabat præterea, Græcos non renuiſſe maxima Sacramenta communicare cum Latinis, eaque accipere, ſi illi ritum ipſorum mutata ſolum lingua vellent amplecti. Quid eſt, addebat, cur contra canones ſit nominare Papam in precibus, cum mos ferat ibi tot alios, qui non ſunt tanti Pontifices, dum adſunt, nuncupare? Multo minus

Pachym. 5. *c.* 12.

Sup.

Sæcul. XIII. A. C. 1273.

minus malum est illum dicere fratrem ac primum, cum ille dives epulo Abraham vocaverit patrem suum, licet ab eo modis omnibus discreparet. Atque si concedamus etiam appellationes, num fiet concursus ad transmittendum mare tam procul litigandi gratia?

Luc. 16. v. 24.

Postquam Imperator hæc locutus fuerat, Patriarcha eum a Chartophylace Joanne Vecco mox confutatum iri sperabat. Sed metu cohibitum videns, quid de Latinis sentiret, exponere jussit, anathematis pœna, nisi pareret, propositâ. Chartophylax hinc & illinc pressus ingenue fatebatur se malle corporis quam animæ pœnam subire: mentemque penitus explicans asserebat quosdam dici hæreticos nec esse, alios esse nec dici: atque his Latinos annumerabat. Quæ verba Patriarcham magnopere confirmarunt; sed offenderunt Imperatorem: qui ea ferendo impar protinus conventum solvit.

n. 13.

Post aliquot dies Veccum coram concilio curavit argui, quod in quadam legatione fidem fefellerit. Ille reponebat accusationem legitimum tempus prætergressam, verumque adversarium suum esse Imperatorem, contra quem se non posset tueri. Episcopi perhibebant suum non esse rei cognitionem capere, Clericum Patriarchæ sine hujus permissu non judican-

dum

dum caufantes. Sed Patriarcha id renuebat: nam talem opinionis ſuæ defenſorem nactus, in ea perſiſtere cogitabat. Ita hæc Imperatoris tentatio inutilis fuit. Interim Veccus eum adiit, & ne innocenti ſuccenſeret, oravit. Affirmabat etiam ſe malle ſuam Chartophylacis dignitatem, ſuosque reditus miſſos facere, quam in Eccleſia creare ſchiſma, vel Imperatoris gratiam perdere: denique ad exilium ſeſe offerebat. Palæologus, ut iracundiæ ſuæ pudorem per ſpeciem humanitatis tegeret, illum absque reſponſo remiſit domum. Veccus præter exilii ſententiam nihil expectans in templum princeps confugit. At Imperator ſe ſui conſilii metam attingere non poſſe videns, omni honoris genere affectum ad ſe venire juſſit, & viam ingreſſum carceri addixit. Sæcul. XIII. A.C. 1273.

Tum Imperator utens doctorum opera, quos circa ſe habebat, & quorum præcipui erant Archidiaconus Melitenio-ta & Georgius Cyprius, compoſuit ſcriptum, in quo per hiſtorias ac teſtimonia probabat Latinorum doctrinam ſine nævo eſſe, illudque Patriarchæ miſit, ut protinus, ſed ſolum per hiſtorias & codicis ſacri locos ad idem reſponderet, imperans, negansque ſe accepturum, quæ Patriarcha ex ſe ipſo proferret. Tam fidenter ideo loquebatur, quod neminem re-

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

spondere sibi ausurum crederet, postquam Veccum in potestatem redegisset suam. Sed Patriarcha cum concilio suo habita de hoc scripto deliberatione, secum eadem sentientes collegit, inter quos erant quidam ex illis, qui schisma contra ipsum commoverant; conspirabant tamen ad tuendam communem Ecclesiæ causam, quam tunc agi censebant. Etiam soror Imperatoris Eudoxia huic conventui aderat, cum monachis doctisque, quicunque Latinis adversabantur.

Legebatur scriptum Imperatoris: & monachus Jobus Jasita se ad id responsurum asseruit jungentibus operam quibusdam aliis, in quorum numero erat Historicus Georgius Pachymerus. Absoluta responsio in conventu lecta cum fuisset, correctis, quæ pro Imperatore nimis asperæ videbantur, expressionibus ad eum missa est. Qui attentissime perlectam sibi contemptui esse simulans publice legitum quidem noluit: sed recepta spe operam hac ex parte perditam alio convertens Vecci studium captare statuit.

§. XXXI.

Veccus dissentit a schismaticis.

Hoc fine cunctos codicis sacri & Patrum locos, qui favere Latinis videbantur,
§. 15. Vecco in carcere præberi jussit. Qui cum esset

esset vir probus ac per omnia veritatis amans, cœpit dubitare, an non erraſſet hactenus: plus enim temporis libris profanis quam divinis tribuerat. Cupiebat videre libros integros, e quibus hi loci excerpti essent, ut eos accurate legeret, ac Latinorum fidem, si veram esse cognosceret, sibi firmiter persuaderet, aut diceret rationes, quæ, ne illam amplecteretur, obstarent. Imperator e custodia dimisso libros tradi voluit, ut eos, cum sibi commodum esset, sumpto spatio discuteret: id quod eo successu fecit, ut reconciliationem esse facilem, ac præter additamentum in symbolo nihil Latinis objici posse crederet. Movebat eum inter alios S. Cyrillus ita loquens: *Spiritus Sanctus est substantialiter ab utroque, scilicet a Patre per Filium*; & S. Maximus, qui quadam in epistola ad Rufinum ait: *Unde ostendunt se non dicere, filium esse causam Spiritus Sancti, sed hunc per illum procedere*; & inde probat unitatem substantiæ neutiquam separabilis; denique S. Athanasius inquiens: *Spiritus Sanctus inter Personas divinas agnoscitur, eo quod a Deo per Filium procedat, nec sit ejus opus, ut hæretici perhibent.* Veccus sic tranquillato animo suo se stare pro pace asseruit: & Imperator tum in magnam hujus spem adductus instabat Episcopis, ut in illam

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

c. 16. p. 260.

Sæcul. XIII. A. C. 1273

consentirent, ne Papæ Nuncii diutius detinerentur.

c. 16.

Sed antequam Veccus mentem suam aperuerat, monachus Jobus, ne Patriarcha Josephus Imperatoris solicitationibus tandem cederet, timens illi author fuit, ut declarationem scripto daret, ad omnes recte credentes mitteret, ac jurejurando confirmaret, sic indicaturus, se consensionem cum Latinis respuere. Paruit consilio Patriarcha: verum, priusquam declarationem mitteret, indagare voluit, an Episcopi ad extremum usque in sententia permanerent: & congregatis declarationem prælegi curavit. Assensere omnes, exceptis providentioribus, & subscripsere. Sed quod Patriarcha fidem suam tantopere obligasset, Imperatori vehementer doluit. Quantum enim optabat, ut fieret reconciliatio, tantum cupiebat, eam per hunc Præsulem fieri: solatio tamen ei fuit Vecci mutatio.

Sup. §. 18. t. II. Conc. p. 350. Rayn. 1273. n. 44.

Itaque duos ex Ordine Minorum Nuncios Raymundum Berengarium, & Bonaventuram Mugellanum anno priore Constantinopolim delatos remisit ad Papam, retentis duobus reliquis, ut redeuntibus Legatos suos adjungeret. Illis tradidit epistolam, in qua de Papæ literis (24 Oct. an. 1272. datis) gaudere se ac reconciliandis Ecclesiis studere significat; Nuncios dicturos esse, quam be-

ne

ne affectos ad pacem Græcos reliquerint. Exponit, quantum hæc conduceret ad bellum contra ethnicos, oratque, ut Papa tutum Legatis iter præstet, quos se ad concilium protinus missurum spondet. Papa in responso suo diffidentiam monstrat aliquam ita scribens: Græcos reconciliationem per sermones callidos & subdolos in aliud aliudque tempus protrudere complures viri spectabiles affirmant: ideoque nobis sæpe dissuaserunt, ne Nuncios ad te mitteremus: id quod scribimus te tanto magis stimulandi gratia, ut hanc rem sincere ac efficaciter aggrediaris, & comprimas ora sic loquentium, qui diuturnam nostrorum Nunciorum absentiam observant afferuntque hujusmodi dilationes sæpe affectatas fuisse ob spem subitæ occasionis abrumpendi negotium. Dabat Lugduni 23 Nov. an. 1273. Eodem tempore Philippnm, qui Imperatoris Constantinopolitani titulum gerebat, & Carolum Siciliæ Regem per litteras rogabat, ut Palæologi Legatis securitatem plenam concederent.

Sæcul.XIII. A.C.1273.

Conc. p. 354. *Rayn. n.* 50.

§. XXXII.

Gregorius X. Lugduni Gallorum agit.

Haud diu erat, quod Papa Gregorius Lugduni moraretur. Florentia in

Sæcul. XIII. A.C. 1273.

Lombardiam profectus die Martis 3 Oct. Placentiam attigerat cum Ottone Pro-Comite Archiepiscopo Mediolanensi, qui per Turrianorum factionem continenter exul cum Papa cognato suo se rediturum in patriam sperabat. At compertis Turrianorum ac Mediolanensis populi jam arma capientis comminationibus, ne sibi vis inferretur, metuens, Ticinum se recepit. Die Veneris 6 Oct. Papa Laudem advenit, ac die Dominica, ejusdem mensis octava Mediolani eum Turriani quanto poterant, honore excipiebant. Sed hac factione familiæ suæ contrariis offensus, cum intraret urbem, non se spectandum dabat, in carpento tecto sedens, ac solummodo per ejus claustrum benedicens populo. Comitabantur eum Cardinales quidam, inter alios S. Bonaventura, quem ad hanc dignitatem eo ipso anno hebdomade Pentecostes evexerat.

Sup. §. 23. *Corio.2.par. p.* 3. 7. *Sup. lib.* 82. §. 12. 44. *Vading.* 1273. *n.* 13. *Ibid. n.* 13.

In eorum numero erat etiam Pro-Dominus (*) Papæ nepos ejusdem Ordinis Minorum ex Archiepiscopo Aquensi Cardinalis Episcopus Prænestinus, pro quo Papa Aquis Sextiis Grimerium per litteras 4 Sept. an. 1272. datas substituit.

(*) Vicedom. *Sup.* §. 13. *Ughel to.* 1. *p.* 242.

Mediolani Gregorius triduo tantum substitit, nullam impertiens indulgentiam, & vix quenquam incolarum ad con-

*Corio.p.*308.

conſpectum admittens. Die mercurii noctu eques inde abiit ſolo ſuorum comitatu cinctus. Propter offenſam ex Archiepiſcopi Ottonis exilio acceptam ſic egiſſe ferebatur. Lugdunum delatus ex itineris defatigatione æger decubuit, ita ut die dedicatæ S. Petri Baſilicæ Romanæ 18 Novembris ſolenni ſacrificio intereſſe nequiret. Sæcul. XIII. A.C. 1273. *Rayn.* 1273. *n.* 40.

Archiepiſcopus Lugdunenſis tunc erat Petrus Tarantaſinus Ord. Præd. Philippus Sabaudus, cui Papa Innocentius IV. an. 1245. hanc celſam ſedem deſtinaverat, ejus reditus tribus & viginti annis poſſedit, ſed ſolummodo tanquam Præſul electus: nunquam enim ſacros ſuſcepit Ordines, & militarem magis quam eccleſiaſticam ducebat vitam. Denique ſuo fratre Petro Sabaudiæ Comite, poſtquam ipſum inſtituerat hæredem ſuum, mortuo, Archiepiſcopatum Lugdunenſem, Epiſcopatum Valentinum, cæteraque beneficia ſua anno 1268 abdicans uxorem duxit Alicem Ottonis Burgundiæ Comitis filiam. Igitur ejus loco Papa Gregorius X. Eccleſiæ Lugdunenſi Fratrem Petrum Tarantaſinum, non tamen ante annum 1272. præfecit. Erat celeber inter ſuos Doctor, Pariſiis S. Thomæ ſucceſſerat, & tunc Magiſtrum Ordinis ſui Generalem agebat. Antequam conſecraretur, pro bonis cis Ararim ſitis *Sup. lib.* 82. §. 22. *Gall. Chr. to.* 1. *p.* 324. *Rayn.* 1272. *n.* 68. *Spicil. to.* 2. *p.* 250.

Sæcul. XIII. A. C. 1273. 2 Dec. an. 1272. in clientelam Philippi Regis se contulit.

§. XXXIII.

Guidonis Monfortii pœnitentia.

Sup. §. 18. Cum Eduardus Angliæ Rex ob Henricum Germanicum cognatum suum a Guidone Monfortio peremptum justitiam a summo Pontifice postulasset, Gregorius illi, quid hac in re factum esset, *Rayn.* 1273. *n.* 41. significavit hunc in modum. Cum Florentiam veniissemus, Guido Monfortius per conjugem suam, compluresque personas alias ad nos missas impensissime flagitabat, ut sibi nostros subire oculos liceret ad præstandam nobis obedientiam parato. Sed spatium nobis sumendum duximus, ut sinceritatem pœnitentiæ exploraremus. Florentia egressis se nobis circiter bis mille passus ab urbe obtulit in subucula, pedibus omnino nudis, cum laqueo circa collum prostratus humi & lacrymis totus diffluens. Dum plures e comitatu nostro ad hoc spectaculum subsistebant, Monfortius exclamabat, se mandata nostra sine ulla exceptione accipere, ardenterque cupere in custodiam dari quocunque nobis placeret loco, dummodo absolveretur. Non tamen eum tunc audivimus: nullum dedimus responsum: e contrario comites ejus

ejus reprehendimus, quasi incommodum tempus caperent. Postea vero de Fratrum nostrorum consilio duos Cardinales Diaconos Richardum de S. Angelo & Joannem de S. Nicolao Romæ residentes in aliquo Ecclesiæ Romanæ castro illi locum carceris assignare, & absentiæ nostræ tempore per milites Caroli Siciliæ Regis custodiendum curare jussimus. Dabat 29 Nov. an. 1273. Sæcul.XIII. A.C.1274.

§. XXXIV.

S. Thomæ Aquinatis obitus.

Anno sequente, cum concilii tempus immineret, Papa S. Thomam Aquinatem tanquam virum doctissimum eo vocavit. Erat Neapoli, quo post comitia Ordinis generalia Florentiæ Pentecostes hebdomade celebrata an. 1272. missus fuerat. Universitas Parisiensis ad hæc Comitia scripserat, effictim rogans, ut S. Doctor ipsi redderetur. At Carolus Siciliæ Rex vicit & obtinuit, ut Thomas in urbe natalis terræ suæ primaria doceret, cujus Archiepiscopatum renuisset. Hic Princeps illi unciam auri in menstruam pensionem attribuit. Neapoli S. Doctor tertiam Summæ partem continuavit usque ad tractatum pœnitentiæ, quem reliquit imperfectum. Ibidem Fratrem Romanum Papæ Nicolai III.

Echard. Sum. p. 217. 265.

Sup. lib. 85. §. 1. 7.

p. 266. 3. *p. q.* 90.

Ech. p. 267.

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

III. nepotem, cui Parisiis suam cathedram Theologicam cesserat, nuper extinctum vidit in somno. Quærebat ex eo Thomas, an visio Dei per essentiam (ut cum scholis loquar) esset talis, qualis in libris describeretur. Romanus reponebat: Modo nobiliore cernitur: id quod brevi scies.

p. 268. *Vita ap. Boll. 7. Mart. to. 6. p. 676.*

Itaque relinquens Neapolim Thomas, ut ex mandato Papæ Lugdunum peteret, opusculum sumebat secum, quod Urbani IV. jussu contra Græcos scripserat, ut eos erroris ac schismatis convinceret. At in Campania gravi morbo implicitus, quia nullum in vicinia Prædicatorum cœnobium erat, Fossæ Novæ celebri Cisterciensium Abbatia substitit, ubi morbus ingravescebat. Cum intrasset Templum, salutato altari claustra monasterii subiit, & coram monachis, quos inter aliqui Fratres Prædicatores aderant, sibi applicans verba Psalmi quasi per variationem ad socium suum, Reginalde fili mi! *hæc requies mea*, inquiebat, *hic habitabo, quoniam elegi eam.* In Abbatis conclave perducto monachi, quantam poterant, charitatem, quamdiu decubuit, exhibebant, gratulantes sibi, quod viro tanto præstare obsequia possent. Quibusdam eorum, ut doctrinæ suæ monumentum aliquod ipsis relinqueret, obtestantibus, licet imbecillimus esset, brevem

Ps. 131. v. 15.

vem Cantici Canticorum explanationem compoſuit. Sæcul. XIII. A.C. 1274.

Imminere ſibi mortem ſentiens ſacrum poſcebat viaticum, quod Abbas afferebat monachis debita cum reverentia comitantibus. Æger obviam factus procubuit humi, & a Præſule fidem profiteri ex more juſſus recitato magna cum pietate ſymbolo ſpeciatim divinum Evchariſtiæ myſterium explicavit ſe doctrinam & ſcripta ſua examini ac judicio Eccleſiæ Romanæ ſubmittere aſſeverans. Altero mane paulo poſt, quam ſacro oleo, ut petierat ipſe, perunctus erat, ſpiritum Deo reddidit 7 Martii an. 1274. ætatis ſuæ quinquageſimo circiter. Exequiis ejus interfuit Franciſcus Epiſcopus Terracinenſis, in cujus diœceſi ſita eſt Foſſa Nova. Erat ex Ordine Fratrum Minorum, quorum plures eum ad hanc ceremoniam comitabantur, ſicut etiam multi regionis Nobiles, inter quos Thomas non paucos habuit propinquos. In ſacro adyto ſepultus cum fuiſſet, divina virtus ibi miracula edidit. *Echart. p.* 218.

Sancti vita videtur brevis cum multitudine ſcriptorum ejus ſi comparetur. Priora quinque volumina ſunt commentarii in pleraque Ariſtotelis opera: tum veniunt commentarii in Magiſtrum Sententiarum; deinde volumen de quæſtionibus Theologicis, Summa contra ethnicos, *V. Labbe Scrip. Cav. ſec. ſchol. p.* 514.

Sæul. XIII. A. C. 1274.

nicos, Summa theologica, plures commentarii in sacras litteras, denique opuscula numero septuaginta tria, quorum plura sunt dubiæ fidei. Generatim secundum optimos criticos S. Thomæ multa tribuebantur scripta, quæ publicarum ejus lectionum compendia duntaxat erant, & *Reportata* vocabantur, pro more illius temporis; atque nominis communitas fecit, ut cum S. Doctore confunderetur Thomas Anglus sive Jorzius ejusdem Ordinis Religiosus, qui eodem seculo ac sequentis initio vivebat. Verum si sola opera, quæ certo illius sunt, computemus, mirissimum est, illum viginti circiter annorum spatio ab obtento Doctoris gradu usque ad mortem ea componere potuisse, cum bis venerit Parisios, & in Italiam redierit.

Trivet. Chr. 1274.

Cav. sac. Vid. p. 8.

Sic Guilielmus Toccensis in Sancti vita loquitur, adjungens: Ut fidelis ejus socius & illi testabantur, qui ejus verba calamis excipiebant, in conclavi suo tribus & interdum quatuor scribis diversas eodem tempore materias dictabat. Somno parum indulgens, magnam noctis partem dabat precibus, quibus magis quam industriæ scientiam adscripsit suam. Studium & scriptionem nunquam inchoabat nisi præmissis precationibus, quas geminabat, cum graves in difficultates incurreret, addebatque jejunium. Cum quon-

Boll. p. 665.

p. 669. 670.

quondam utrumque pietatis genus adhibuisset, ut obscurum Isaiæ locum intelligeret, noctu eum suus socius Frater Reginaldus cuidam loqui audiit, ignarus, quis hic esset, & quid dicerent. Postea S. Doctor ad Fratrem, Surge, ajebat, accipe lumen & quatuor paginarum chartam, in qua de Isaiæ loco scripsisti: cumque illi diu dictasset, eum dormire jussit. Reginaldus ad Thomæ pedes provolutus, ut fateretur, quicum locutus esset, eum tamdiu urgebat, donec indicaret, Deum ad se misisse SS. Apostolos Petrum & Paulum se informandi gratia. Sed per vitam suam id celari voluit. Sæcul.XIII. A. C. 1274.

Ad studia sua tantopere se applicabat, ut nesciret, ubinam esset. Quodam die ad epulum a Rege S. Ludovico adhibitus mensam pulsabat inquiens: En argumentum firmissimum contra Manetis hæresim! Prior, qui simul aderat, eum prehendens manu, Magister cogita, ajebat, te interesse convivio Gallorum Regis! ac per vestem fortiter eum trahendo fecit, ut colligeret animum. Tum Thomas veniam a Rege petiit, mirante scilicet ac probante virtutem viri, quem honor sibi exhibitus tam parum tangeret. Ne autem sancto Doctori argumentum suum excideret e memoria, Rex accitum servum a manu in præsen- p. 673.

tia

Sæcul. XIII. A. C. 1274.

tia sua id scribere jussit. Thomas metuens, ne meditationum a sensibus abstractarum subtilitas exsiccaret mentem, ac pietatem suam frigefaceret, quotidie in Cassiani libris, quas Conferentias vocant, legebat aliquid exemplo S. Dominici, cui hæc lectio ad assequendam perfectionem multum profuit. Cæterum sanctus Thomas quantumvis doctus conciones habebat simplices, nihil curiositati, omnia populi emolumento tribuens, qui cum reverentia eum auscultabat, tanquam si Deus coram loqueretur. Dicebat sæpenumero se non capere quorundam Religiosorum agendi rationem, alia, quam quæ ad gloriam Dei & salutem proximi servirent, proferentium.

p. 674.

§. XXXV.

Initia S. Petri Cælestini.

Manaverat in vulgus rumor, in Lugdunensi concilio novos Ordines religiosos suppressum iri. Quare, antequam id celebraretur, Gregorium Papam Petrus Moronus Cælestinorum author adiit. Natus erat an. 1215. in Æserniana Apuliæ diœcesi: pater ejus se dicebat Angelarium; cui cognomen nullum additur; mater Maria vocabatur: obscuri ambo in oculis hominum, virtuti operam dabant. Habebant filios duodecim; quo-

quorum ut aliquis se totum Deo conse- Sæcul.XIII.
craret, cupiebant: votisque respondit A.C.1274.
Petrus, qui erat undecimus. A puero ad virtutem propensionem tantam præsetulit, ut a matre vidua ad litterarum studia mitteretur: & cum semper magnum solitudinis desiderium sensisset, viginti ætatis annos numerans, suum exequi propositum cœpit: primumque ad S. Nicolai templum castro Sario vicinum, deinde in eremum propinqui montis, denique in alius montis antrum se contulit, ubi altam invenit rupem, sub qua fodit parum & habitavit, sed tam anguste, ut vix rectus stare, vel ad cubandum extendere se posset: nihilominus triennio ibi permansit.

Cum ei nemo non suaderet, ut se initiari Sacerdotem curaret, Romam profectus ibi Sacerdotium accepit. Posthæc ad montem Moronum prope Sulmonem Aprutii ulterioris urbem ac Episcopi sedem venit, & illic speluncam sibi arridentem quinque annis incoluit. Ibidem tentatum, ut sacrum ex demissione omitteret, Deus monuit, ut porro faceret. Ob cæsas per ambitum sylvas & primam inculti soli arationem hunc locum ab oculis hominum non satis esse remotum videns ad montem Magellanum Sulmoni pariter vicinum transiit, ubi grandem cavernam vidit, sibi magno-

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

gnopere, non item duobus, quos habebat, ſociis, nec amicis placentem ſuis: quapropter ſolus ibi manebat. Socios tamen, ut paucis poſt diebus reduces ibi permanerent, ſuus in eum amor permovit; & plures ei poſtea in diſciplinam ſe tradebant. Hos ſuſcipere, quantum poterat, recuſabat, ſe hominem eſſe ſimplicem, & malle ſolitarium ſemper vivere cauſatus. Sed interdum charitate victus in eorum vota conſentiebat. Deinde ibi pulchra ædicula in honorem Spiritus Sancti conſtructa eſt, multique illuc etiam longinquis e regionibus magna cum pietate veniebant. Sic Petrus ipſe vitæ ſuæ initia refert; ſed cum pluribus aliis circumſtantiis, quæ illum revera fuiſſe ſimpliciſſimum, & cogitationes ſuas facile pro divinis inſtinctibus, ſua ſomnia pro cæleſtibus monitis, & quæcunque videbantur extraordinaria, pro miraculis accepiſſe indicant.

Poſthæc diſcipuli ejus S. Benedicti regulam amplexi ſunt, ut docet illorum inſtituti confirmatio an. 1263. primo Junii ab Urbano IV. facta & ad Nicolaum Epiſcopum Theatinum miſſa in gratiam Fratrum Magellanam Spiritus Sancti eremum in ipſius diœceſi ſitam incolentium. At Petrus eorum author regulæ obſervantiis multa addebat aſpera. Cellulæ privatæ tam arcte ſe incluſerat, ut ille,

p. 505. *Ughell. t.* 6. *p.* 906.

Boll. p. 454.

ille, qui facienti sacrum respondebat, per fenestram ei serviret. Certa per tempora nihil omnino loquebatur, in nuda cubabat terra, vel in asseribus, loco pulvini saxo truncove cervici subdito: cingulum catenis ferreis onustum, & indusium hamulis textum supra carnem portabat. Quotidie excepta Dominica colebat jejunium, diebus Martis ac Veneris pane & aqua contentus. Noctem sæpe recitando psalmos agebat sine somno: & otium devitandi gratia, suis manibus cilicia conficiebat, quæ daret aliis. Sæcul. XIII. A.C. 1274.

Edoctus igitur concilium Lugdunense novos Ordines religiosos suppressurum esse, duobus cum Fratribus Joanne Arrino Sacerdote & Placido Murrubiano laico mense Novembri an. 1273. insuper habita aëris inclementia in viam se dedit. Postquam Lugdunum advenerat, habitabat in ædibus, quas Cælestiniani hodie incolunt, tunc vero Templarii possidebant. Quantumvis male vestitum, & ab externa specie opportunum contemptui honorifice tamen accepit Papa Gregorius, ac institutum ejus ratum habuit per litteras 22 Martii an. 1274. datas, & Magellano Spiritus Sancti cœnobio inscriptas: per quas suum ei præsidium pollicetur; ordinem monasticum seu introductam illuc regulæ Benedictinæ observantiam sancte ac perpetuo coli ju- p. 505. p. 507.

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

bet; Fratribus bonorum omnium, quæ enumerat, possessionem confirmat, & plures prærogativas tribuit. Petrus Moronus mense Junio ejusdem anni Magelam rediit.

§. XXXVI.

Concilii Lugdunensis sessio prima.

Lugdunense concilium tam numerosum erat, ut Episcopi quingenti, Abbates septuaginta, & mille alii Antistites convenerint. A secundo Maji an. 1274. per tridui jejunium præparati septimo ejusdem mensis primo rogationum die in metropolitano S. Joannis templo primam habebant sessionem. Papa Gregorius sub sacrificii horam descendit e conclavi suo comitantibus se pro more duobus Cardinalibus Diaconis, ac sedem pontificiam in choro sibi positam occupavit. Ibi tertiam & sextam, quia dies jejunii erat, dixit: tum Hypodiaconus attulit sandalia, eique inducebat interim, dum circa eum Clerici sui ordinarios ante sacrum psalmos recitabant. Cum lavisset manus, Diaconus & Hypodiaconus pontificiis eum ornamentis ob Paschatis tempus albis & pastorali pallio induerunt, quasi rem divinam facturus esset. Tum crucem, quæ præferebatur, sequens adornatum conscendit pulpitum, &

Ptolem. Luc. ap. Rayn. 1274. n. 1. t. 11. conc. p. 925.

& in solio consedit suo, inter duos Cardinales, quorum alter tanquam Presbyter assistebat, alter Diaconi munere fungebatur: aderant illi simul quatuor alii Cardinales Diaconi cum quibusdam Clericis lineo tectis amiculo. Jacobus Arragoniæ Rex eodem, quo Papa, in pulpito sedebat. Sæcul. XIII. A.C. 1274.

In templi medio editas habebant sedes duo Patriarchæ Latini Pantaleon Constantinopolitanus, & Opizion Antiochenus; Cardinales Episcopi, atque inter hos S. Bonaventura & Petrus Tarantasinus Episcopus Ostiensis nuperrime illam ad dignitatem evectus, ac ex altera parte Cardinales Presbyteri, tum Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, cæterique Antistites ingente numero: qui nullam de priore loco controversiam movebant, quia Papa sanxerat, ut confessus nulli eorum Ecclesiis fraudi esset. Inferiora subsellia tenebant Robertus Templi, Guilielmus Hospitalis Domus Magistri cum nonnullis equestrium Ordinum suorum Fratribus; Franciæ, Germaniæ, Angliæ ac Siciliæ Regum & plurium aliorum Principum Legati, Collegiorumque ac Ecclesiarum Nuncii. Papa sedens formabat signum crucis super Præsules in conspectu positos. Canebantur preces in rituali libro pontificio ad celebrandum concilium de- 7. *Maji.*

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

signatæ. Deinde Papa orationem habuit pro themate illa sumens verba: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Luc. 22. v. 15. Et cum paululum quievisset, expositit convocati concilii causas, scilicet mittendum terræ sacræ subsidium, reconciliationem Græcorum, morumque correctionem. Demum sessionem alteram in futuram diem lunæ indixit. Tum depositis ornamentis recitavit nonam, sicque primam sessionem finiit.

Conc. p. 957. In hujus ac secundæ intervallo ad Papam & Cardinales vocati sunt singuli Archiepiscopi cum uno quisque Episcopo, & uno cum Abbate provinciæ suæ: quos Papa seorsum in conclave suum ductos permovit ad decimam proventuum sacrorum partem sibi per sexennium pendendam, quod eodem anno 1274. a festo S. Joannis die ordirentur.

§. XXXVII.

Altera sessio.

18. *Maji.* Secunda concilii sessio fiebat die Veneris 18 Maji. Eædem ibi ceremoniæ quæ in prima, observabantur. Papa non orationem quidem tunc dicebat; faciebat tamen verba de priore materia. Promulgatis dein sanctionibus, quæ spectabant ad fidem, dimissi sunt Nuncii Collegiorum, Abbates Prioresque non infulati

lati, exceptis illis, qui nominatim ad concilium accerſiti fuerant: cæteri quoque minores Præſules inſula inſignes miſſione donati ſunt: ac ſeſſioni tertiæ præſtituta eſt dies lunæ poſt octavam Pentecoſtes, vigeſima octava Maji. Ita finiebatur altera ſeſſio. Paulo poſt Papa accepit epiſtolas Hieronymi Aſculenſis & Bongratii duorum e quatuor Fratribus Minoribus, quos an. 1272. Conſtantinopolim miſerat. Lætus admodum his de litteris cunctos Præſules in templum S. Joannis acciri voluit, ubi S. Bonaventura de reconciliandis Eccleſiis ſermonem habuit: tum lectæ ſunt epiſtolæ.

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

Sup. lib. 85. §. 58.

§. XXXVIII.

Seſſio tertia. Conſtitutiones.

Tertia ſeſſio erat ſeptimo Junii. Rex Arragoniæ non illi adfuit, & Concilio longam ſalutem dixit iniquo in Papam animo coronare ſe renuentem, niſi tributum a Rege Petro patre ſuo, cum ipſi Papa Innocentius III. Romæ an. 1204. coronam imponeret, ſacræ Sedi promiſſum ſolveret. In hac tertia ſeſſione Epiſcopus Oſtienſis Petrus Tarantaſinus orationem inſtituit. Tum editæ ſunt duodecim conſtitutiones de eligendis Epiſcopis, & initiandis Clericis. Illæ ſic ſonant: Qui ſe opponent electionibus, & appel-

7. Juni.

to. 11. Conc. p. 998.

Sup. l. 76. §. 10.

Ut circa elect.

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

appellabunt, in litteris appellationis alio ve inſtrumento publico cunctas oppoſi tionis ſuæ rationes expriment, ad pro ponendas deinde alias non admittendi Electi res Eccleſiæ ſpirituales procura tionis vel adminiſtrationis titulo guber nandas ſibi neutiquam depoſcent, nec ullo ſe modo eis immiſcebunt, donec e lectio confirmata fuerit. Ut occurratur longis Eccleſiarum vacationibus, electo res protinus electionis litteras electo per rigent, qui intra menſis ſpatium in eam conſentire, ejusque confirmationem in tra tres menſes poſtulare tenebitur. Il le, qui ſuffragium ſuum dederit indigno eligendi jure non privabitur, ſi electio ſecuta non fuerit. Qui autem ſuum ſuffra gium cuidam tulerit, cujus electio ſucceſ ſerit, non admittetur amplius ad eam im pugnandam, niſi ob vitium, quod proba biliter potuerit ignorare.

to. 11. Conc. p. 979.

c. 4. de elect. in ſexto.

c. Avaritiæ 5. eod.

Quam ſit Eccleſ.

Perpetua Sanct.

Nulli licet.

Siquando. Quamvis Conſt.

In electionis diſcordia, ſi duæ tertiæ ab uno ſtabunt, reliqua tertia contra electionem aut electum quidpiam movens non audietur. Etſi Alexander IV. de claraverit, appellationes de electionibus tanquam cauſas majores ad Sedem Apoſtolicam deferendas eſſe: nihilominus, ſi appellatio extra judicium interpoſita manifeſto frivola ſit, contrarium decernimus. Hac autem electionis in materia ſemper eſt licitum ab appellatione deſiſtere,

stere, dummodo sine fraude id fiat. Advocati & procuratores juramentum dicent, se non nisi causas æquas defensuros esse, ac singulis illud armis repetent. Advocatorum præmium quacunque in causa viginti libras Turonicas, & procuratorum merces libras duodecim non excedet. Episcopi, qui alienæ diœcesis Clericos consecraverint, per anni spatium a conferendis Ordinibus abstinebunt. Monitio Canonica debet admoniti nomen exprimere. Absolutio cautionis non habet locum in interdictis localibus. Quædam e constitutionibus tunc promulgatis usque ad nos haud pervenit. Postquam lectæ fuerant, Papa Concilium alloquens permittebat, ut Præsules sexies mille passus Lugduno discederent. Futuræ sessioni diem non præfixit ob dubium Græcorum adventum. Sic finita est tertia sessio.

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

Properandum.

Eos, qui Cler. Constitutionem. Præsenti gener. Exigit mult.

§. XXXIX.

Josephus Patriarcha Constantinopolim relinquit.

Videamus modo, quid rerum Constantinopoli actum sit ex eo tempore, quo Imperator Michael Papæ Nuncios remisit. Delegit Legatos ad Lugdunense Concilium, qui erant Germanus vetus Patriarcha Constantinopolitanus, Theopha-

Sup. §. 1. Pachym. l. 5. c. 57.

Sæcul. XIII. A. C. 1274.

phanes Metropolita Nicænus; inter Senatores Georgius Acropolita, magnus Logotheta, qui antecedentium Imperatorum hiſtoriam ſcripſit, Panaretus Præfectus veſtiarii, & magnus interpres cognomine Bereas. Conſcenderunt triremes duas, duo Præſules alteram, alteram Imperatoris Legati præter grandem Logothetam: ferebantque multa ſecum munera pro templo S. Petri, ornamenta, imagines in textis aureis, compoſitiones pretioſæ odorum materiæ; inſuper tapetem coloris roſei filis aureis illuſum, & margaritis conſitum, qui ad aram ſanctæ Sophiæ principem deſtinatus fuerat.

Cum avecti eſſent, Imperator, quia de gradu dejicere Patriarcham Joſephum, a quo Eccleſiæ redditus eſſet, in animum inducere nequibat, pactionem cum eo fecit, ut relicto palatio ſuo in monaſterio Peribleptanum ſe reciperet, privilegia ſervaret ſua, & porro nominaretur in precibus. Si negotium cum Latinis quacunque de cauſa non procederet, in palatium rediret ſuum, nec Epiſcopos ob præterita odiſſet. Si vero res bene verteret locum ſucceſſori daret, quia non crederet ſe reverti poſſe, quippe qui juraſſet, ſe in reconciliationem nunquam conſenſurum eſſe. Secundum hæc pacta Joſephus in cœnobium Peribleptanum ſe

se contulit 11. Jan. indictione secunda, anno Græcorum 1782, anno 1274. Sæcul.XIII. A.C.1274.

§. XL.

Palæologi solicitudo in reconciliandis Ecclesiis.

Cum interea Veccus Patrum locos sæpius pro se attulisset, nec tamen suam ad sententiam traduxisset Episcopos, Imperator haud parum metuens, ut in reconciliationem consentirent, accusabat eos, quod detrectantes obedientiam ipsum diris devoverent ob violentiam illatam iis, qui cessissent, & quibus hoc exprobrassent. Experturus tamen, iterum, an non eos per lenitatem sibi posset adjungere, convocatos circa se considere jussit, Pacem, inquiens, quæro, ut crudelia devitem bella, & Romanorum sanguini parcam; non ut quidquam mutem in Ecclesia. Jam vero nostra cum Latinis consensio tribus continetur rebus, primatu, appellationibus, & Papæ nominatione in precibus: quæ singula rite perpensa in nihilum abeunt. Quando enim Papa huc veniet primam capturus sedem? Quis jura sua persequendi gratia transmittet mare, iterque tam longum faciet? Quid denique absurdi est in templo primario, dum Patriarcha rem divinam peragit, Papæ mentio- c. 18.

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

nem facere? Quoties Patres noſtri ſimilem indulgentiam adhibuere? Interim ab iis, qui hanc admittunt, vos ipſi Epiſcopi diſſentitis, ut audio: nos dividere cogitatis, nobisque maledicitis, quaſi ulterius progredi velimus & vos per vim adigere, ut noſtras mutetis conſuetudines, ac per omnia Latinorum inſtar loquamini. Atque hoc eſt, quod nunc declarandum venit. Igitur quisque dicat, quid hac de re ſentiat: nec ſuo judicio privato inſiſtat, ſed bonum Eccleſiæ præ oculis habeat!

Epiſcopi plane negabant ſe Imperatori male precatos eſſe, offerentes ſe ad pœnam, ſi convincerentur: fatebantur autem ſe diſcrepaſſe, quia cuivis eſſet integrum ſequi ſententiam, quæ ſibi æquior videretur, immo etiam ab ea diſcedere. Addebant, ſibi per canones haud licere ſuam ſententiam palam dicere abſente Patriarcha, cui ſubditi eſſent: dicturos tamen ſingulos privatim, ſi interrogarentur. Ergo rogabat eos Imperator: & quidam omnia tria puncta renuit, receptam traditionem pro poſteris conſervandam cauſatus. Quodſi diſcrimen immineret Imperio, hujus curam Epiſcopos haud tangere, niſi ut orarent Deum: ſed Imperatoris eſſe, ut ſecuritatem publicam aliis procuret modis. Aliqui concedebant primatum & appellatio-

lationem, quippe quorum permissio solis verbis fieri posset: sed Papæ nominationem in precibus asserebant fore communionem cum iis, qui fidei symbolum mutassent. Magnus Oeconomus Xiphilinus pro confidentia, quam ex suo senio & familiari cum Imperatore commercio sibi sumebat, ejus genua amplectens obtestabatur, ut caveret, ne, bellum externum avertere dum conaretur, periculosius domi concitaret. Sæcul.XIII. A.C.1274.

Imperator per dies aliquot quiescens, Ecclesiasticos magno inter se dissidio agitari comperit, cum ii, qui contumaces in schismate perstitissent, illique, qui cessissent ipsius solicitationibus, se mutuo tanquam execratione devinctos respicerent. Tum de submissione sibi debita scriptum composuit, & ab omnibus subsignandum curavit, ut dicere posset habere se illorum nomina subscripta, quamvis hæc subjecta essent alii materiæ, quam quæ in quæstionem venisset. Postea per illorum domos inquisitionem jussit institui, perhibens, eas omnes ad se pertinere tanquam Constantinopolis expugnatorem, seque gratuito eas dedisse benevolis; sed hanc gratiam subtrahere rebellibus, & locationis pretium pro usu præterito poscere. Hoc sub obtentu asportabantur utensilia: parabantur naves in exilium mittendis sontibus: ac reapse c. 19.

diver-

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

diversas in insulas remotasque urbes avehebantur aliqui: nonnulli se submittebant Imperatoris arbitrio, & ante solutas anchoras redierunt.

Clerus instans sibi periculum videns supplicabat, ut Imperator iræ suæ fulmina usque ad reditum Legatorum, quos misisset ad Papam, differret: sed preces omnes ad irritum cecidere. Contra expresse pronunciavit læsæ majestatis reos, quicunque non subscriberent. Et cum aliqui repugnarent veriti, nequid Imperator punctis reconciliationis adderet, declarationem auro signatam edidit, in qua sibi diras imprecans, si fidem falleret, per juramenta terrifica promittebat, se neminì præcepturum, ut vel jota symbolo adjungat, nec petiturum quidquam aliud, quam tria puncta de primatu, appellatione, & Papæ mentione in precibus; & quidem verbotenus solum ac per indulgentiam. Admovebat ingentes minas omnibus, quotquot mandatum abnuerent. Illud per promissum liberati metu Ecclesiastici subscripsere quibusdam exceptis, qui exulatum missi aliquamdiu post, quam se subjecerant, revocati sunt. Sic in Clero tunc nemo fuit, qui morem non gereret.

§. XLI.

Sæcul.XIII.
A.C.1274.

§. XLI.

Græcorum adventus ad concilium.

Interim Legati conſcenſis ineunte Martio navibus ſub ejus finem ad promontorium Malæum delati, inclinante in veſperam die Cœnæ Dominicæ 29 ejusdem menſis, ibi naufragium fecere. Cum enim tempeſtas duas triremes ſeparaſſet, nox obſtabat, ne ſe conſpicerent. Illa, quæ Patriarcham Germanum vehebat, altum petiit: altera id horrens remis legebat oram, ad quam alliſa cum pretioſis Palæologi donis ac vectoribus excepto unico periit. Triremis Patriarchæ, cum ab interitu proxime abfuiſſet, poſtridie Methonem attigit, ibique per dies aliquot nuncium de fortuna alterius expectabat, cujus jacturam edocti Præſules ac Logotheta continuato itinere feſto S. Joannis die 24 Junii Lugdunum advenere. c. 12.

To. XI. conc. p. 957. E.

His obviam ibant omnes concilii Præſules cum domeſticis ſuis, Papæ cubicularii & tota domus, Pro-Cancellarius, cuncti notarii, ſervique Cardinalium univerſi. Cum illos usque ad palatium Papæ honorifice deduxiſſent, is in aula toto Cardinalium pluriumque Præſulum numero ſtipatus Legatos Græcos ſtans excepit & oſculo pacis impertiit. Tradebant

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

debant ei litteras imperatorias auro signatas, ac epistolas Præsulum, seque omnem obedientiam sanctæ Ecclesiæ Romanæ præstandi gratia, & fidem ejus agnitum venisse dicebant: postea in ædes abiere suas.

Festo SS. Petri & Pauli die 29 ejusdem mensis Papa in templo S. Joannis divinum celebrabat sacrificium in præsentia cunctorum concilii Præsulum. Epistola latino ac græco sermone legebatur: Evangelium Cardinalis Ottobonus Fiescus latine, tum quidam Diaconus Græcus more patrio vestitus græce cantabat. Cum dein S. Bonaventura concionem habuisset, latine canebatur symbolum, quod præcinebant Cardinales, templique Canonici prosequebantur. Postmodo idem symbolum lingua græca solenniter cantabant Patriarcha Germanus, omnes Græci Calabriæ Archiepiscopi, duoque pontificii expiationum Præfecti, Dominicanus alter, alter Franciscanus, græce scientes. Ter canebantur verba: *Qui a Patre Filioque procedit.* Exinde Patriarcha cæterique Græci patriæ linguæ versiculis Papæ laudes cantabant, qui continuabat rem divinam, & absolvebat, illis huic prope aram assistentibus.

§. XLII.

Sæcul.XIII.
A. C. 1274.

§. XLII.

Episcopi Leodiensis abdicatio.

Papa 3 Julii Henricum Geldrum Episcopum Leodiensem, quem ad concilium venire jusserat, ad se vocavit. Leodii, Hoji, Dinantii, & Trudoni incolæ pariter oratores ad concilium miserant, qui de Henrici exemplis pessimis, & corruptissima vita conquererentur. Papa, priusquam ex juris norma cum eo ageret, quæsivit, an cedere ultro, vel expectare sententiam mallet. Episcopus sperans gratiam, pastoralem annulum suum Papæ tradidit: qui hoc retento illum adegit, ut dignitati suæ nuncium remitteret. Ajebant, Papam etiamnum memorem fuisse injuriæ sibi, cum Leodiensis Archidiaconus esset, ab Episcopo factæ, qui pleno Canonicorum in Senatu ipsius pectori calcem impegisset. Duodecim annos, postquam exauthoratus erat, superstes fuit. Interim Papa Joannem Angianum ab episcopatu Tornacensi ad Leodiensem transtulit, Stabletanam illi Abbatiam addens.

Hæsem. *p.* 298. *c.* 8. 10.

p. 204.

§. XLIII.

Sæcul. XIII. A. C. 1274.

§. XLIII.

Tartari comparent in concilio.

Conc. p. 958. Quarto Julii Papa Cardinalium ac Præsulum servos Lugdunum advectis Abagæ Magni Tartarorum Cani Legatis obviam misit, qui sexdecim numero pontificium ingressi conclave, ubi præsentes cuncti Cardinales, plurimique Præsules cum Papa concilii res tractabant, Cani litteris illi traditis, nationis suæ potentiam magnificis verbis extollebant. Nec religionis causa, sed cum Christianis fœdus contra Musulmannos icturi venerant. Eodem die Papa cunctis Præsulibus per accensos suos denunciavit, quartam sessionem proximo die Veneris fore.

Matth. Westm. p. 407

§. XLIV.

Sessio quarta. Græcorum reconciliatio.

6. Julii. Illa reapse hac die habebatur, quæ septima Julii, & S. Petri octava erat. Legati Græcorum ad dextrum Papæ latus post Cardinales collocati sunt. Iidem ritus, qui prima in sessione, ibi observabantur. Cardinalis Ostiensis Frater Petrus Tarantasinus Papæ tanquam Presbyter assistens serviebat, & orationem sacram dixit.

dixit. Tum Papa Præſulibus tres convocati concilii cauſas expoſuit, addens, Græcos præter omnium fere opinionem ſponte ſua ad Eccleſiæ Romanæ ſinum rediiſſe nihil temporale poſcentes. Eorum Imperatori, pergebat, ſcripſimus, ut, niſi ultro ſe nobis ſubjiceret, Legatos mitteret, qui nobis ipſius poſtulata proponerent. Et is Princeps favente Deo prætermiſſis omnibus libere agnovit fidem ac primatum Eccleſiæ Romanæ, Nunciosque miſit, qui nobis præſentibus id declararent, ut diſerte docent illius litteræ. Sæcul. XIII. A.C. 1274. 6. *Julii.* *p.* 959.

Tum Papa, quas Imperator Michaël, Andronicus filius ejus natu major nuper admodum in imperii ſocietatem aſcitus, Præſulesque ſcripſerant, epiſtolas auro ſignatas omnes ac latine redditas legi jubebat. Imperatoria mox initio primi ſummique Pontificis, Papæ œcumenici & communis Chriſtianorum omnium Patris titulos Gregorio tribuens continebat profeſſionem fidei annis abhinc ſeptem nimirum an. 1267 Michaëli miſſam a Papa Clemente IV, & ad verbum tranſcriptam. Tum addebat Imperator: Hanc Eccleſiæ Romanæ fidem ut veram, ſanctam, catholicam, & orthodoxam recipimus; hanc animo & ore profitemur, hanc nos ſancte ac perpetuo ſervaturos promittimus. Agnoſcimus Romanæ Eccleſiæ prima- *p.* 962. *Sup. lib.* 85. §. 45. *Rayn.* 1267. *n.* 12. *con. p.* 966. 967.

Sæcul. XIII. A. C. 1274. 6 Jul.

tum, ut his continetur litteris: tantummodo rogamus, ut nobis ſymbolum ita dicere, ut ante ſchiſma & hucusque ſemper dicebamus, ac tenere liceat noſtras conſuetudines ante ſchiſma exercitas, neque vel huic fidei profeſſioni, vel codici ſacro, vel conciliis generalibus, vel Patrum traditioni a Romana Eccleſia approbatæ contrarias. Supra memorata omnia coram Sanctitate tua noſtro nomine affirmandi poteſtatem Legatis noſtris facimus.

Præſulum epiſtola Papam Gregorium ſolummodo Magnum ac excellentem apoſtolicæ Sedis Pontificem vocat, & ſcribentium ſedes (non perſonas) nominat hunc in modum: Metropolita Epheſinus
p. 968. Exarcha totius Aſiæ meo cum concilio: Metropolita Heracleanus in Thracia cum
p. 969. Concilio meo. Metropolitæ Chalcedonianus, Tyanenſis, Iconianus, & ita reliqui numero viginti ſex. Concilii ſui nomine intelligunt Epiſcopos ſuæ jurisdictioni obnoxios. Sequuntur novem Archiepiſcopi, & cum Metropolitis conficiunt triginta quinque Præſules, qui cum ſubjectis ſibi Epiſcopis ſunt totus propemodum Clerus infulatus Patriarcham Conſtantinopolitanum agnoſcens. Tum nominantur viri patriarchalis Eccleſiæ dignitatibus inſignes; Magnus Oeconomus, Logotheta, Magiſter libellorum ſupplicum,

plicum, Primicerius cæterique totius Cleri nomine loquentes. Sæcul.XIII. A.C.1274.

In ipsa epistola Præsules significant, quantam Imperator operam reconciliandis Ecclesiis, licet ipsorum aliqui repugnarent, dederit, adduntque: Patriarcham nostrum efflictim oravimus, ut consentiret. Sed suum primatum nimis acriter defendit, quam ut mutaret sententiam. Itaque cum Imperatore præcepimus, ut in quodam Constantinopolis cœnobio hæreret, donec Legati nostri tuæ Sanctitatis responsum audiant. Nisi aliud tibi videtur, Nuncios cum nostris mittes. Si Josephum nostrum permovere possumus, ut sacræ Sedi honorem quondam præstitum adhibeat, eum, sicut antea, pro Patriarcha habebimus. Si flecti nequeat, alium, qui primatum agnoscat tuum, in ejus locum substituemus. 6. Jul. p. 970. Sup. §. 39.

Perlectis litteris Magnus Logotheta Georgius Acropolita Imperatoris nomine juramentum dixit, per quod ejurabat schisma & Ecclesiæ Romanæ fidem primatumque agnoscebat, perennem spondens constantiam. Tum Papa præcinebat: *Te Deum*, quod prosequente choro erectus in pedes ac sine infula manebat, multas profundens lacrymas. Post preces ordinarias in solio consedit suo, & p. 959. 967.

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

6. Jul.

paucis ad Concilium verbis hac de consensione gaudendum dixit. Exinde Patriarcha Germanus ac Theophanes Metropolita Nicænus in inferiorem templi partem descendebant, celsasque occupabant sedes. Papa symbolum latine incipiebat, cumque absolutum esset, Patriarcha idem Græce inchoabat, & bis canebatur: *Qui a Patre Filioque procedit.* Dehinc Papa dicebat, Tartarorum Regem ad se Nuncios misisse cum litteris sibi & Concilio scriptis, quas jubebat legi, Tartaris interea ex adverso ad pedes Præsulum Græcorum stantibus. Denique Papa proximæ sessioni diem lunæ nonum ejusdem mensis præstituit. Sic quarta sessio finita est.

§. XLV.

Constitutio de conclavi.

7. Jul.

Postero die sabbati septimo Julii Papa Cardinalibus monstravit constitutionem, quam de Papa eligendo fecerat in hunc modum. Papa mortuo in urbe, in qua cum sua curia residebat, præsentes Cardinales expectabunt absentes per decem duntaxat dies, quibus elapsis in palatium, quod Papa incoluerat, convenient delecto unico quisque Clerico aut laico servo contenti. In eodem omnes conclavi sine intermedio pariete vel sipario habita-

p. 960.

p. 9. 5.

bitabunt ita undique incluſi, ut nemo e- Sæcul.XIII.
gredi niſi ad locum ſecretum, nemo in- A.C.1274.
trare poſſit præterquam de conſenſu o- 7. Jul.
mnium Cardinalium præſentium & ob ea
ſolum, quæ ad electionem ſpectabunt.
Qui cuiquam eorum clam loquetur, aut p. 959.
ſcriptum mittet vel nuncium, in anathe-
ma latæ ſententiæ incurret.

Conclave tamen feneſtram habebit a-
liquam, per quam victus Cardinalibus
commode ſubminiſtretur: ſed ingreſſus
per eam nemini patebit. Si vero, quod
abſit, intra triduum poſt initum conclave
Papam nondum elegerint, ſequentibus
quinque diebus pro prandio æque ac cœ-
na unico contenti ferculo erunt. Sed
poſt id ſpatium præter panem, vinum, &
aquam nihil eis dabitur, donec electio
facta fuerit. Quamdiu in conclavi hæ-
rebunt, nec de ærario apoſtolico, nec de
reliquis Eccleſiæ Romanæ proventibus
quidquam accipient. Nullum aliud
quam electionis negotium agent, præter-
quam in periculo, vel alia neceſſitate a-
perta.

Siquis Cardinalium conclave non in-
greditur, aut inde ſine morbo manifeſto
exit, non eo recipietur amplius: & abs-
que illo ferentur ſuffragia. Si ſanatus re-
dire velit, aut ſi alii abſentes poſt dies de-
cem ſupervenerint re adhuc integra ſci-
licet ante electionem ad negotium, prout

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

tunc erit, admittentur. Si Papa extra urbem, in qua reſidebat, obierit, Cardinales in urbem epiſcopalem territorii, in quo mortuus fuerit, convenient, & conclave in domo Epiſcopi vel alia ſibi aſſignata habebunt. Illius urbis Dominus vel Magiſtratus omnia, quæ ſupra diximus, obſervabit; nec majorem ſeveritatem Cardinalibus adhibebit, ſub anathematis, interdicti aliisque pœnis, quas Eccleſia graviſſimas irrogare poteſt. Cardinales nec pacto, nec jurejurando, aliove modo obligationem in ſe ullam ſuſcipient, quam declaramus irritam; ſed bona fide absque præjudicata opinione ac ſine affectione privata in ſuffragium ibunt ſolum Eccleſiæ emolumentum præ oculis habentes. Per totum orbem Chriſtianum pro electione Papæ preces publicæ fient.

7. Jul. p. 977. p. 978.

Hæc Gregorii ſanctio cum Cardinalibus communicata materiam præbuit diſſenſioni hos inter ac illum factæ, quæ occulta primum erat, ſed poſtea in vulgus manavit. Nam & Papa Præſules ſine Cardinalibus ad ſe vocabat, & Cardinales ſenatum quotidie ſine Papa habebant. Orabant etiam quosdam Præſules, ut, ſi Papa ipſorum conſenſum in ſuam conſtitutionem peteret, hunc differrent, donec rationes contrarias audiiſſent. Præterea multi Cardinales a Præſulibus

p. 960. v. Bzov. 1274. n. 7.

sulibus secundum nationes ad se accitis consilium hac de materia, & in necessitate auxilium postulabant. Papa Præsulibus accersitis intentionem exposuit suam, postquam sub anathematis pœna vetuerat, ne rem proderent. Sic eos adduxit, ut consentirent in sanctionem, sua ei sigilla imprimerent, suasque de eadem litteras ad quamvis provinciam darent. Hoc negotium fecit, ut sessio publica usque in diem lunæ 16 Julii prorogaretur. Sæcul. XIII. A.C. 1274. 7. Jul.

§. XLVI.

S. Bonaventuræ obitus.

Interim pridie mane extinctus S. Bonaventura Cardinalis Episcopus Albanensis ob suam doctrinam, eloquentiam, virtutes & agendi modos tam amabiles, ut omnium se videntium animos sibi conciliaret, universum Concilium ingente sui desiderio affecit. Eodem die Lugduni in cœnobio sui Ordinis nempe Fratrum Minorum sepultus est: ac exequiis ejus Papa cum tota curia Romana & cunctis concilii Præsulibus aderat. Cardinalis Petrus Tarantasinus Episcopus Ostiensis Ord. Præd. rem divinam faciebat, & pro sermonis sui themate sumebat hæc Davidis verba: *Doleo super te frater mi Jonatha!* Tum ita dicebat, ut præsentes omnes in lacrymas solveret. S. Bonaventuræ *to. 11. conc. p. 960. C. Vading. an. 1274. n. 14.* *2. Reg. 1. 26.*

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

turæ non citius quam ducentis post annis cæleſtes honores publicique decreti ſunt. Ejus memoriam 14 Jul. colit Eccleſia.

§. XLVII.

Quinta ſeſſio.

16. *Jul.* Concilii ſeſſio quinta die lunæ 16 ejusdem menſis erat. Priusquam Papa templum intraret, Cardinalis Oſtienſis in præſentia cunctorum Præſulum de Legatis Tartaris unum cum duobus ipſius ſociis ſacro fonte abluit: & Papa coccineas eis veſtes Latinorum more confici curavit. Poſt ingreſſum Papæ ritusque ordinarios legebantur quatuordecim ſanctiones, quarum prima de conclavi agebat. Reliquæ ſic ſonabant. Siqua electio impugnatur, primum examinanda ſunt ea, quæ in electo carpuntur: atque ſi adverſarius eadem non demonſtrat, de reliquis omnibus non audietur. Si Canonici a divino officio ceſſare voluerint, prius in patentibus litteris adverſæ parti exhibitis ceſſandi cauſam exprimant, alioquin adigendi ad reſtituendos fructus ceſſationis tempore perceptos. Si cauſa judicetur eſſe canonica, ille, qui eam præbuerit, damna Canonicis ac Eccleſiæ illata ſarciet. Damnatur deteſtabilis audacia ad aggravandam ceſſationem cruces

Ubi pericul. c. 3. de elect. in ſexto.

Si forte c. 11 eod.

Si canonici c. 2. de off. Jud. ord.

Sup. lib. 84. §. 53.

ces Sanctorumque imagines humi posi- Sæcul.XIII.
tas spinis & urticis tegentium. Et ta- A. C. 1274.
men hunc morem a fine seculi sexti fuis- 16. Jul.
se legimus.

Concilium irritam facit absolutionem a censura quapiam per vim aut metum extortam, ab Ecclesia sejunctum declarans illum, qui eandem sic exegerit. Eandem pœnam pronunciat in illum, qui male habuerit electores, quod non cooptassent eos, quos electos vellet. Interdicitur usus & concessio pignorationis speciatim contra Clerum. Anathematis sententiam fert in illos, qui passi fuerint perimi, capi, aut vexari in corpore vel bonis Judicem ecclesiasticum, eo quod censuram aliquam Regi, Principi, Prætori, aut cuicunque irrogaverit. Sub eadem anathematis pœna prohibetur, nequis quantæcunque dignitatis vir denuo in Ecclesias jus regium aut defensionis titulum usurpet, ut hoc sub obtentu Ecclesiæ vacantis bona occupet. Qui hæc jura tanquam Ecclesiarum conditores aut per veterem consuetudinem possident, admonentur, ne illis abutantur, sive usum eorum ultra fructus extendendo, sive corrumpendo fundos, quos conservare debent. Hæc est prima, quam sciam, constitutio, quæ saltem tacite juri regio authoritatem dederit.

Absolut. c. un. de his quæ vi met.

Sciant cuncti c. 12. de elect.

Et si pignorat. c. unde injur.

Quicunque c. 11. de sent. excom.

General. const. 13. de elect.

Sæcul. XIII. A. C. 1274.

16. Julii.

c. Altercat. un. de Bigam.
c. Decret. 2. de immun.
c. Usurar. 1. de Usuris.
c. Quamq. 2. eod.
c. Hoc consult. 2. de reb. eccl.
c. Statutum. 3. de præben.

Bigamos omni Clericatus privilegio exutos volumus, ac inhibemus, ne tonsuram vestiumque genus Clericis proprium gerant. In templis regnet pietas, nec ibi societates profanæ consultationes habeant: indeque absint omnia, quæ divinum servitium turbare queunt. Fœneratoribus manifestis, seu advenæ sint, seu ab advenis oriundi, nullæ locentur domus, sed intra tres menses illi extores fiant. Non detur eis absolutio, nec sepultura ecclesiastica, donec restitura, quibus debentur, sint omnia, vel cautiones necessariæ iis præstitæ fuerint. Præsules hominibus profanis suas Ecclesias, & bona immobilia, vel jura iis annexa sine consensu collegii, & absque permissu apostolicæ Sedis non subjiciant: alioquin pactum esse irritum, ac Præsules a munere suo ad tempus abstinere jubemus, & laicos anathemate ferimus. Beneficia in curia Romana ultra mensem vacantia Episcopus loci conferre potest. En sanctiones in quinta Lugdunensis Concilii sessione editas.

Postquam lectæ fuerant, Papa inæstimabili jactura, quam Ecclesia per obitum Cardinalis Bonaventuræ feciſſet, expostа, præcepit, ut singuli Præsules, singulique per universum orbem Christianum Sacerdotes unum pro ejus anima sacrum, & alterum pro omnibus illis facerent, qui

qui aut venientes ad concilium, aut hujus gratia Lugduni commorantes, aut inde redeuntes vitam cum morte commutassent. Et quia Tartarorum baptismus ac lectio sanctionum tempus absumpserant, Papa monente hora, ut conventum dimitteret, aliam sessionem in diem posterum indixit. Sæcul. XIII. A.C. 1274. *conc. p. 961.*

§. XLVIII.

Sessio sexta & ultima.

Sexta igitur ac postrema sessio 17 Julii cum haberetur, duæ constitutiones ibi legebantur. Altera multitudinem Ordinum religiosorum ita coërcebat. Concilium generale (anno 1215 collectum) nimiam diversitatem Ordinum sapienter inhibuit. Sed ab eo tempore illorum multiplicationem preces importunæ apostolicæ Sedi extorserunt. Præterea privatorum quorundam temeritas plures Ordines, præsertim Mendicantium introduxit, necdum approbatos. Quare omnes hos Mendicantium Ordines post illud concilium institutos, & a sacra Sede nondum confirmatos inhibemus, &, quantum opus est, reteximus. Probatis vero interdicimus, nequem ad professionem admittant, ne novam accipiant domum, ne quas habent, alienent: cum eas sacræ Sedis arbitrio reservemus aut in bonum Palæstinæ, 17. *Jul.* *c. Religionum 1. de relig. dom.* *Sup. lib. 77. §. 54.* *Conc. Lat. c. 13.*

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

Palæstinæ, aut in alia pia opera convertendas. Vetamus etiam, ne horum Ordinum Religiosi conciones habeant, confessiones audiant, ac extraneos sepeliant. Nolumus tamen hanc sanctionem ad Ordines Fratrum Prædicatorum Minorumque extendere ob emolumentum evidens in universam Ecclesiam inde redundans. Carmelitas Eremitasque S. Augustini, quorum institutio concilium Lateranense præcessit, in suo statu manere patimur, donec aliud statutum fuerit. Inter Ordines Mendicantium per hanc constitutionem suppressos numerantur Fratres Saccati, alio nomine Fratres de Pœnitentia Christi.

The Valsing p. 45. Cange Gloss. Sacci. p. 655.

Altera sanctio, quæ in eadem sessione promulgata fuit, non habetur amplius. Cum lecta esset, Papa ad Præsules dixit, e duabus convocati concilii causis duas prosperum habuisse finem, scilicet terræ sacræ negotium, ac Græcorum reconciliationem. Quantum ad tertiam seu correctionem morum attineret, Præsules toti orbi afferre perniciem. Miramur, ajebat, quosdam non emendare pravam vitam suam: cum alii, quorum pars mala, pars bona est, muneris abdicandi copiam a nobis magnopere postulaverint. Quapropter illos hortamur, ut se corrigant: hoc enim si agent, non erit opus sanctionibus ad eorum emendationem: alioqui

Cum sacros. conc. p. 961.

alioqui ſevere hanc urgebimus. Addebat ſe parœciis prompte proviſurum, ita, ut conferantur viris idoneis, & qui reſideant. Aliis quoque malis opportuna ſe remedia allaturum ſpondebat, quod in concilio fieri non potuiſſet ob negotiorum multitudinem. Dictis deinde precibus ordinariis Papa præſentibus bene precabatur: ſic finitum eſt ſecundum concilium Lugdunenſe. Sæcul.XIII. A.C.1274.

Tribus poſt menſibus Papa conſtitutionum, quas ibi ediderat, compendium fecit, quo Chriſtianum orbem in judiciis & ſcholis uti jubebat. Datum eſt 1 Nov. eodem anno 1274 ac ex punctis triginta & uno compoſitum, ſexto decretalium poſtea inſertis. Primum de fide agit, deciſionem de proceſſione Spiritus Sancti contra Græcorum errores continens. Cætera in ſeſſionibus, in quibus promulgata fuere, retuli. *conc. p.974.*

§. XLIX.

Ordo Servorum Mariæ.

Decretum contra novos Ordines religioſos haud obſtabat, quin Lugdunenſe Concilium ratum haberet Ordinem Servorum SS. Virginis, Florentiæ triginta quinque abhinc annis inſtitutum. Primus ejus author fuerat Bonfilius Monaldus, qui cum ſex aliis mercatoribus negotia- *Chaſtelain not. martyr. p. 28. Ferrarius Catal. 8. Sept.*

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

gotiatione posita 8 Septembris an. 1223 in suburbium Camartinum se contulit: & anno sequente ultimo die Maji in vigilia Ascensionis hi septem & Sacerdos quidam, qui se ultro adjunxerat, cum Ardingus Florentinus Episcopus faustis ad Deum precationibus eos prosecutus esset, Montem Senarium ab urbe bis mille passibus distantem petierunt. Anno 1239 Episcopus illis regulam S. Augustini tradidit ac vestem nigram loco cinereæ, quam hucusque gestaverant. An. 1252 Bonfilius simplex Montis Senarii Prior vocari Præpositus Generalis cœpit: & anno sequente Papa Innocentius IV defensorem illis dedit Guilielmum Cardinalem Diaconum tit. S. Eustachii. Bonfilius sanctitatis fama inclytus 1 Jan. an. 1262 e vita discessit.

Id. 23. *Aug. Baillet cod.*

Quintus hujus Ordinis Præpositus Generalis fuit Philippus Benitius pariter Florentinus, qui Parisiis navata medicæ arti opera reversus domum, & tanquam laicus a Bonfilio in Ordinem receptus, aliquod temporis spatium in solitudine Montis Senarii traduxit. Suscepto ex obedientia Sacerdotio, in comitiis an. 1267 Florentiæ habitis obtrusum sibi Præpositi Generalis munus per annos decem & octo exercuit. Ordinem per Italiam Germaniamque extendit, atque si non conditor illius, saltem propagator præcipuus

puus habetur. Is est, qui hoc anno 1274 ad Lugdunense Concilium delatus, ibi approbationem sui Ordinis obtinuit, & confirmationem eorum, quæ ipse & antecessores pro illo erigendo fecerant. Obiit die Mercurii 22 Aug. an. 1285, nostra ætate a Papa Clemente X an. 1671 Sanctorum numero adscriptus. Sæcul.XIII. A.C.1274.

§. L.

Decimæ pro Palæstina.

Post finem concilii primas Papa curas ad charissimam sibi Palæstinam convertit: edoctusque Regem Philippum Audacem depositam, cum Tuneto rediret, crucem resumpsisse, Legato in Franciam misso Simoni Brienſi Cardinali tit. S. Cæciliæ primo Augusti die scripsit, ut bonam Regis voluntatem ac decimas a Concilio in sexennium concessas in bonum terræ sanctæ verteret, ac populos ad bellum sacrum e cathedris efficaciter animandos curaret. Per alias litteras 12 Octobris datas eum sic informat. Da operam, ut cruce signati per sinceram confessionem, & Sacramentum pœnitentiæ primum conscientias purgent suas, in peccata vetera ne relabantur, caveant, illicitis exactionibus premere subditos omittant, suis in victum vestitumque impensis modum adhibeant, considerentque, ad sum-

ap. Rayn. *n.* 35.

n. 37.

Sæcul XIII. A.C. 1274.

sumptus expeditionis sacræ destinatam pecuniam esse stipem pro noxis mortuorum templis relictam, & tantundem detrahi sustentationi pauperum, aræque ministrorum necessitatibus.

n. 40.

Etiam ad Archiepiscopos eorumque Suffraganeos hac de materia epistolam circummisit: cujus duo habentur exemplaria, Archiepiscopo Eboracensi alterum, alterum Remensi inscripta. Utrique significat, in concilio hanc maxime ob causam convocato statutas esse suppetias Palæstinæ ferendas, seque generali transmissioni diem protinus præfixurum: & mandat, ut militiam sacram diœcesium suarum populis inculcent cum plena noxarum pœnarumque venia, cæterisque cruce signatorum privilegiis ordinariis. Dabat 17 Septembris.

n. 43.

Post mensem nempe 23 Oct. sanctionem edidit, per quam decimas a Concilio imperatas moderabatur, hoc onere prorsus eximens lepris infectorum & hospitales domos, sicut etiam Virgines Deo dicatas, quarum reditus essent tam modici, ut hos supplendi causa mendicare publice cogerentur; atque Clericos seculares, quorum proventus ecclesiasticus septem libras Turonicas non excederet. Verum omnes hi apparatus ad bellum sacrum effectu caruere: nec ulla expe-

ditio

ditio generalis ob Palæſtinam ſuſcepta fuit amplius. Sæcul.XIII. A.C.1274.

§. LI.

Papa Rudolphum agnoſcit Regem Romanorum.

Eodem tempore Papa litem de Occidentis Imperio e maximis belli ſacri obſtaculis unum, quod non præviderat. tollebat. Nam Alphonſus Caſtellæ Rex eo ſemper aſpirabat, poſt Richardi Angli obitum non eſſe ſibi competitorem amplius, & Rudolphum Habſpurgicum damno ſuo eligi haud potuiſſe perhibens. Papa tuebatur Rudolphum, ſpe captus, fore, ut is teſſerariæ crucis exercitum ducat: ſcripſitque Alphonſo plures litteras humanas admodum, ſed urgentes; in quibus perſuadere illi ſtudebat, æquitatem ac ipſius honorem, ut peculiari commodo ſuo commune Chriſtiani orbis, ac præſertim terræ ſacræ bonum præponeret, poſtulare, ipſumque nullum reapſe jus habere ad Imperium, cum Aquisgrani Rudolphus, non vero ipſe, coronatus eſſet. Nondum cedens Alphonſus Papæ ſignificavit, ſe ipſi & aſſore coram, & inſtar majorum ſuorum per omnia ſemper pariturum eſſe. *Rayn.* n. 45. 50. n. 54.

Interim Papa Rudolpho ita ſcripſit: De conſilio Cardinalium te nominamus n. 55.

Sæcul. XIII. A.C. 1274. Romanorum Regem, hortamurque, ut te præpares ad coronam imperatoriam noſtris e manibus accipiendam; id quod brevi futurum ſperamus. Dabat 27 Sept.

n. 56. Et aliam per epiſtolam illum oravit, ut Terrarum ſuarum partes ipſi propinquiores, cumprimum poſſet, adiret, ſuumque illuc adventum ipſi indicaret.

§. LII.

Concilium Salisburgenſe.

to. 11. *Conc. p.* 999. Paulo poſt Lugdunenſe concilium Fridericus Archiepiſcopus Salisburgenſis & ſacræ Sedis Legatus concilium provinciale habuit, cui intererant quinque Suffraganei ejus, nimirum Leo Ratisbonenſis, Petrus Paſſavienſis, Bruno Brixinenſis, Wernhardus Secovienſis, &

Ibid. p. 858. Joannes Chiemenſis. Ibi ſtatutum eſt, ut Lugdunenſis Concilii ſanctiones in Salisburgenſi provincia promulgarentur una cum illis, quas ejusdem provinciæ

Sup. l. 85. §. 56. concilium anno 1267 Viennæ per Legatum Guidonem Cardinalem tit. S. Laurentii celebratum feciſſet, & quarum obſervationem jam ſuſtuliſſet ſeptem annorum ſpatium. Præterea Salisburgenſe Concilium ſupra viginti quatuor canones condidit, quorum memorabiliſſimos hic en ſubjicio.

Cum

Cum Abbates Benedictini Salisburgenſis provinciæ ſua comitia provincialia longis retro temporibus omiſerint, & ideo labefactæ fuerint regulares obſervantiæ, mandamus, ut proxime futuro Paſchate illi ea obeant: alioqui nos hunc Ordinem in proximo concilio provinciali emendabimus. Imperamus, ut iidem monachos fugitivos vagosque revocent: & in quovis monaſterio carcer fiat, cui monachi deſperatæ correctionis, vel atrocium criminum rei includantur. Sed nec obſtent Abbates, quin monachi ad Ordinem aſperiorem tranſeant. Abbates monachos ſuos ad alia cœnobia non mittant niſi ob cauſam gravem & ab Epiſcopo approbatam. Nec ornamenta vel functiones epiſcopales ſibi vendicent, niſi privilegia nobis commonſtrent ſua. Canonici Regulares eadem pro ratione Ordinis ſui obſervent, præſertim illud, quod ad habenda comitia provincialia attinet. Nulli Religioſorum liceat eligere ſibi conſcientiæ arbitrum extra ſuum Ordinem ſine ſingulari Antiſtitis ſui permiſſu. Siquis Religioſus ad evitandam correctionem cujusquam hominis profani opem imploraverit, in carcere, quamdiu Præpoſito videbitur, erit, ab omni deinceps munere monaſtico excluſus. Nullus Præſul, aut Parochus, aliusve marem aut fœminam tondeat, vel religioſa

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

c. 1.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

c. 5.

c. 20.

c. 21.

c. 15.

Sæcul. XIII. A.C. 1274.

gioſa veſte induat approbatæ cuidam regulæ certoque loco ſe non addicentem. Secus agentes, & vagandi gratia religioſam geſtantes veſtem cenſuris eccleſiaſticis coerceantur. Inter vagos erant, qui ſe litterarum ſtudioſos Clericosque dicerent, Eccleſiis ac monaſteriis moleſtias faceſſerent, ſtipem veris pauperibus debitam per ſuam importunitatem acciperent, denegantibus contumelias imponerent magna omnium offenſione. His Concilium duos menſes, intra quos honeſtum vitæ genus amplectantur, tribuit, vetatque, nequod eis poſtea feratur auxilium?

c. 16.

c. 17. Non fiat in templis ludus, qui epiſcopatus puerorum dicitur: niſi forte illum revera pueri vel adoleſcentuli ſexdecim ad ſummum annos nati exerceant.

c. 14. Qui Clericum monachumve juſſu Antiſtitis incluſum effracto liberabit carcere, ipſo facto in anathema incidet: atque ſi fieri poterit, in locum ſic emiſſi ſubſtituetur.

c. 22. Siquis Epiſcopus captus detinebitur, in tota provincia Salisburgenſi ceſſatio a divinis erit, poſtquam rumor hac de violentia manaverit in vulgus.

c. 24. Advocati Eccleſiarum commonentur, ne illas ultra ſolitam ſervitutem oppriment: alioquin eorum injuria per juſtitiam arcebitur.

c. 23. Clerici, qui parœcias aliave beneficia prius a laicis quam ab Epi-

Episcopo acceperint, suum amittent jus, & in anathema latæ sententiæ incurrent. Plurium beneficiorum possessio inhibetur: sed sufficit gratiam legis factam ostendere. Retexitur potestas audiendi confessiones noxarumque pœnas condonandi, quæcunque variis Religiosis ab Episcopis prioribus data fuerit: salvum tamen jus tribuendæ novæ facultatis arbitrio Episcoporum relinquitur. Speciatim prohibetur stipis coactorum indulgentias circumferentium receptio absque consensu Episcopi.

Sæcul. XIII. A. C. 1275.

c. 7.

c. 6.

§. LIII.

S. Raymundi Pennafortii obitus.

Alphonsus Castellæ Rex in Franciam iturus ad Papam Barcinonem venit cum Arragoniæ Rege Jacobo, ibique natalibus Christi feriis an. 1274 transactis anni sequentis initio S. Raymundi Pennafortii exequiis adfuit. Hic sanctus vir extincto B. Jordano Magister Prædicatorum Generalis electus, post biennium, nempe an. 1240 in vigesimis comitiis generalibus Bononiæ habitis depositio munere Barcinonem rediit, ubi triginta quatuor annos litteris ac pietatis exercitiis occupatus egit. Fratrum Prædicatorum constitutionibus in ordinem redactis, in usum arcanorum Judicum Sum-

Mariana lib. 13. *c.* 22. *p.* 535. *Sup. l.* 83. §. 62. *Boll.* 7. *Jan. t.* 1. *p.* 406. *p.* 410.

Sæc. XIII. A.C. 1275.

mam Casuum Conscientiæ composuit, primum, quod sciam, hujus generis opus. Etiam inquisitionis Arragoniæ institutio totius Hispaniæ primâ illi adscribitur. Consulebatur undique, ad conciliandos sibi secum versantium animos mire idoneus. Centum propemodum ætatis annos numerans die Epiphaniæ 6 Jan. an. 1275. ad Deum excessit. Justa funebria ambo Reges multique Præsules sua præsentia condecorabant: & quia complura de illo miracula in vita & post obitum edita referebantur, Rex Arragoniæ jam tum cœpit eo conniti, ut cælestes illi honores decernerentur. Quod tamen non nisi trecentis post annis a Papa Clemente VIII. factum; & septimus Januarii ejus memoriæ consecratus est.

p. 412.

p. 417. *Martyr. R.* 7. *Jan.*

§. LIV.

Alphonsus Imperio longam salutem dicit.

Rayn. n. 14. 15.

Rex Castellæ octavo post Pascha die nimirum 21 Apr. Galliam ingressus Belicadrum se contulit, ubi cum Papa per aliquot menses miscebat colloquia; sed incassum. Papa se a Rudolpho stare aperte professus, ejus electionem constanter tuebatur: ac Rex Alphonsus se legitime electum semper affirmans, cum in Hispa-

Hiſpaniam rediiſſet, utebatur iterum imperatorio, quem depoſuerat, cultu ſigilloque ipſo, quo muniebat litteras ad Principes Germaniæ Italiæque ſcriptas, ut eos ſuis adjungeret partibus. Quo comperto Papa Hiſpalenſem Archiepiſcopum per epiſtolam juſſit, Regem coram teſtibus admonere, ut ab hac agendi ratione deſiſteret, alioquin cenſuris Eccleſiaſticis afficiendus. Cum Archiepiſcopus mandatum egiſſet, Alphonſus tandem deſiit Imperii jus ſibi aſſerere. Tum Papa ei decimas pro ſumptibus belli contra Mauros, qui violenter ipſum impugnabant, conceſſit: atque hoc eſt, quod eum in cauſa dignitatis imperatoriæ tractabiliorem reddidit. Sæcul. XIII. A C. 1275.

Sanctius Arragonum Regis filius naturalis, Toletanus Archiepiſcopus huic bello ſtrenuam dabat operam: etenim collegit teſſerariæ crucis copias, & in ethnicos duxit. Quod Papa, cum Belicadri ageret, edoctus ei ſcripſit, tantum fervorem magnis extollens laudibus. Dabat 5 Sept. Sed Archiepiſcopo in pugna cæſo ethnici caput manumque lævam, qua ſuum annulum paſtoralem tenebat, abſciderunt. n. 16.

Sæcul XIII. A. C. 1275.

§. LV.

Litteræ pontificiæ contra Lusitaniæ Regem.

Eodem tempore Papa contra Alphonsum III. Lusitaniæ Regem terrificas edidit litteras hunc in modum scriptas. A longo tempore ad nostros antecessores & nos delatæ sunt graves querimoniæ de oppressis in Lusitanico regno Ecclesiis, quod tamen sacræ Sedi singulariter obnoxium est ac tributarium. Papa Honorius III. Regem Alphonsum II. ut compensaret injurias Braccarensi Archiepiscopo illatas, qui merito eum proscripsisset, monuit jacturam ipsius regni facturum minitans. Sanctio Alphonsi filio ac successori paternis vestigiis insistenti Papa Gregorius IX. similes exprobrationes fecit, severasque intendit minas. Innocentius IV. hunc Principem pejus semper pejusque agere videns, Alphonsum Sancii fratrem, hodiernum Regem Lusitaniæ, tunc Bononiæ Comitem a Proceribus populoque regni administratorem agnosci voluit, spe captus, hoc ejus opera in ordinem redactum iri.

Rayn. n. 21.

Sup. l. 82. *§.* 44.

Alphonsus ad regni procurationem admissus se, si coronam quocunque titulo nanciscereturr, certa postulata Parisiis a Præsulibus Lusitaniæ sibi proposita obser-

servaturum juravit, ut apparet ex litteris tunc confectis. Sed tantum abfuit, ut juramento staret, ut Clerum & populum regni atrociter offenderet. Martino Archiepiscopo Braccarensi aliisque Episcopis hac de re apud nos conquerentibus, plura Regi Alphonso adhibuimus monita, quæ bellis semper verbis elusit. Quapropter volumus, ut hic Princeps solenni jurejurando se adstringat ad observanda ea, quæ summorum Pontificum Honorii Gregoriique litteris & pactis Parisiensibus continentur. Spondebit successores suos intra annum conscensi solii promissum idem facturos esse, suasque hac super re litteras Archiepiscopo Braccarensi, ac singulis regni Episcopis dabit. Ad idem juramentum adiget duos filios suos Dionysium & Alphonsum, suos administros, eosque, quibus in posterum munera committet. Archiepiscopo ac Episcopis, qui persequendæ hujus causæ partem ceperunt, securitatem præstabit. Sæcul.XIII. A.C.1275.

Si Rex post cognitum hoc decretum tres intra menses imperata non fecerit, loca omnia, in quibus aget, interdicta divinis erunt; post mensem in anathema incurret, quod jam nunc in eum pronunciamus; post mensem alterum interdictum totam Lusitaniam & Algarbiam percellet; post alios tres menses subditi

Sæcul. XIII. A.C. 1275.

omnes a juramento fidelitatis absoluti, & ab exhibenda ei obedientia liberi erunt. Quamdiu persistet in sua contumacia, non illi licebit exercere suum jus nominationis ad beneficia sacerdotalia. Dabat Belicadri 4 Sept. an. 1275. Sed Papæ decessus post menses quinque factus decreti executionem stitit: nec effectus magnus inde sperandus erat: juramenta pro perjuris, ac ecclesiasticæ censuræ pro contemptoribus imbecilla sunt remedia.

§. LVI.

Rex Arragonum reprehenditur.

Jacobus Arragoniæ Rex quamvis grandævus & morti propinquus pergebat apud se palam detinere fœminam, quam merito abstulerat. Hac super re illi Papa Gregorius Belicadro 25 Julii scripsit, inter alia dicens: Non cogitas tibi saltem in senio tuo deponendam fuisse hanc cupiditatem, priusquam a te abeat; & fidem Dominum inter ac subditum esse mutuam debere; te vero hanc graviter lædere retinendo ejus conjugem? Itane ad iter in terram sacram te præparas, ad quod te tam publice adstrinxisti. An nescis, eluenda primum esse crimina, ut servitium Deo gratum fiat? Proh! quanto te periculo exponis, qui exemplum tam

ap. Rayn. n. 28.

tam pernicioſum in ſtatu tam eminente præbeas! Finit exhortando, ut ne a morte occupari ſe ſubito patiatur, & adulterii ſui ſociam marito reſtituat: alioquin ſibi neceſſitatem impoſitum iri muneri ſuo faciendi ſatis. Sæcul.XIII. A.C.1275.

Rex Arragoniæ hanc caſtigationem haud æquo ferens animo Papæ reſponſum reddidit, in quo factum minime negans extenuare circumſtantias ejus conabatur: nec erubeſcens ſe per eximiam fœminæ formam excuſare, eam non raptam per vim, ſed ſponte ſibi addictam eſſe perhibebat; illum, quem reliquiſſet, non eſſe maritum ejus legitimum; eam denique ad illum redire non poſſe ſine vitæ periculo. Papa reſpondit confutando has malas excuſationes, ac in fine oravit Regem, ut ab hac fœmina ſe prorſus disjungeret, ac poſt acceptas ipſius litteras intra octo dies eam tutum in locum abduci juberet, donec poſſet ad maritum remitti ſuum. Alioquin ferebat ſententias anathematis in Regem, & interdicti in loca, in quæ is aut ejus concubina veniret. Dabat Viennæ 22 Sept. ac executionem mandavit Archiepiſcopo Tarraconenſi & Epiſcopo Dertoſano. c. 31.

§. LVII.

Sæcul. XIII. A.C. 1275.

§. LVII.

Josephus Patriarcha Constantinopolitanus gradu movetur.

Interea Constantinopolis alium acceperat Patriarcham. A Lugdunensi concilio Legati Græci redierant contentissimi sibi præstitis illic honoribus & amicitiæ signis, quæ Papa ipsis ac præsertim Præsulibus exhibuerat infulas annulosque pro more Ecclesiæ Latinæ dando. Postquam Constantinopolim una cum Papæ Nunciis exeunte autumno anni 1274. advenerant, agebatur de Patriarcha Josepho, ut inter Græcos convenerat, exauthorando: id quod non carebat difficultate, cum ille ultro non cederet. Igitur auditi sunt testes promissi, quod Imperatori fecerat, se, si reconciliatio feliciter eveniret, abscessurum a munere: atque hanc promissionem junctam jurejurando, quod dederat, se in reconciliationem nunquam consensurum, tantundem esse ac abdicationem judicabant Episcopi, sedemque declarabant vacuam. Nona Januarii an. 1275. erat, qua cessatum est a nominatione Josephi publicis in precibus: ac sexta decima ejusdem mensis, qua Græci vincula S. Petri honorant, Papa Gregorius ibi nominari cœptus est in sacello palatii post Evangelium

Pachym. l. 5. c. 21. Nic. Greg. l. 5. c. 2. Pach. c. 22. Sup. l. 69. §. 50.

gelium græce latineque cantatum. Patriarcha Josephus e monasterio Peribleptano ad Lauram Anapliam Constantinopoli quater mille passibus distantem transiit. Sæcul.XIII. A.C.1275.

At ejus abitus schisma novum creavit in Ecclesia Græca jam per discessum Arsenii sciſſa. Duæ factiones altera alteram a sacrorum communione secluſam reputabant, ita, ut nec comedere nec bibere simul, immo ne loqui quidem inter se vellent. Augebant malum per falsos nuncios, & judicia temeraria: populique curiositatem in materiis ipsius captum superantibus excitabant. Ut Josephus haberet successorem, viri plures e monachis æque ac aliis memorabantur: & primum pleraque suffragia favebant Theodosio Villarduino Godefridi Achajæ Principis filio, & Campaniæ Prætoris pronepoti. Princeps appellabatur ob originem suam. A ritu Latino ad Græcum transierat: ac extra regionem egressus suam cuidam cœnobio Montis Nigri in Anatolia se inclusit, ubi assumpto sibi Theodosii nomine observantiam didicit ac exercuit exactissimam. Post aliquot annos, cum Imperatori sui notitiam dedisset, Constantinopoli Pantocratoris Archimandrita evasit. Deinde Legatus ad Tartaros missus, ut redierat, in Hodegini cœnobii cellulam se abdidit. Hic

Pach. c. 23.

Sup. l. 85. §. 1.

Pach. c. 24. Ducang. fur Ville Hard. 234. hist. C.P. p. 193.

Sæcul. XIII. A.C. 1275. seceſſus erat, ex quo eum producere volebant Præſules in Sede Conſtantinopolitana ponendum.

§. LVIII.

Joannes Veccus Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Sed quidam Epiſcopi putabant eam melius convenire Joanni Vecco, hujus Eccleſiæ jam Chartophylaci ſimul ac Scerophylaci, magnæ exiſtimationis viro. Cum ad Imperatorem relata eſſent diverſa ſuffragia, Veccum digniſſimum cenſuit ac ſchiſmati tollendo idoneum per ſuam doctrinam, & longam rerum eccleſiaſticarum experientiam. Is ergo electus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus a conventu Præſulum in templo S. Sophiæ die Dominica 26 Maji, quam Græci Patribus concilii Nicæni conſecraverant, quos hodie ſexto decimo Julii colunt. Veccus eſt inauguratus ſequente Pentecoſtes Dominica 2 Junii an. 1275.

Menol. 16. Jul.

Imperator ſe poſſe curam rerum eccleſiaſticarum in eum trajicere ratus, ſuum ei auxilium, quoties opus foret, promiſit, expectans parem ab eo comitatem. Adhæc favore dignos ſibi commendandi copiam illi fecit, hac non abuſurum confidens. Sed fallebatur. Nam Vec-

Veccus in ſuis ſolicitationibus nimium ardens plane volebat omnia, quæ poſcebat obtinere. Quodam die orabat pro homine, quem ſciebat inique condemnatum, ſed contra quem Imperator præoccupatus erat. Poſt vivam longamque diſceptationem Patriarcha, Quid igitur? ajebat? non majorem Epiſcoporum rationem duces, quam coquorum agaſonumque tuorum a quolibet nutu tuo pendentium? Sic locutus abjecto ad ejus pedes lituo, quem tanquam inſigne dignitatis ſuæ geſtabat, celerrime abiit. Imperator hunc agendi modum accipiens pro injuria eum revocari juſſit. At ille nihil audiit, & proximo ſe monaſterio incluſum ibat. Alias die S. Georgii Imperator in fine ſacrificii acceſſerat ad communionem; jamque ad eam accipiendam manus extendebat: cum Patriarcha particulam panis ſacri (benedictum vocant) manu dextera tenens gratiam pro afflicto quodam poſtulavit; & illi petitionem eſſe tempeſtivam neganti dixit non dari tempus aptius ad imitandam Servatoris clementiam. Tum vero iratus Imperator ſine communione receſſit. Demum ne quotidie hujusmodi importunitatibus expoſitus eſſet, utque Præſulis fervori modum poneret, quavis hebdomade ſemel tantum & quidem die

Sæcul.XIII. A.C.1275.

Pach. c.25.

Sæcul. XIII. A. C. 1275.

die Martis aures illi præbere ſtatuit: nec ab hoc more deflexit unquam.

§. LIX.

Diœceſes Valentina & Dienſis uni eidemque Epiſcopo in perpetuum ſubjiciuntur.

Papa Gregorius Belicadro proficiſcens Lauſannam, ut hoc loco cum Imperatore Rudolpho colloqueretur, Viennæ in Delphinatu cum ageret, Epiſcopatus Dienſis cum Valentino conjunctionem longo tempore optatam fecit, Eccleſiæ poſteriori, cui ſua in juventute ſervierat, ſingulariter addictus. Anno 1274 Guido Monlaurius Canonicus Ponienſis in Epiſcopum Valentinum electus, & a Papa Gregorio confirmatus fuerat; cujus inter comites Belicadri erat. Sed ſtatim poſtea Taraſci mortuo Papa Amadeum Ruſcinonenſem ſuffecit. Is nobili genere in Delphinatu ortus, a puero monachus ad S. Claudii in Burgundiæ Comitatu, deinde Abbas Saviniacenſis fuerat. Inter lacrymas, quod Epiſcopatu indignum ſe crederet, repugnantem Papa ipſe Viennæ conſecravit, his ſolatus verbis: Ne metue! Tu es ille, per quem priſtinam recipiet formam ſpoliata hæc Eccleſia. Amadeus in ſua dignitate monaſti-

Rayn. 1275. *n.* 35.

Gall. Chr. to. 2. *p.* 1114.

nasticam vestem, victumque ac reli- Sæcul. XIII.
quam observantiam, quantum poterat A.C. 1275.
tenebat.

Hic ipse fuit, in quo Papa Gregorius Episcopatui Valentino Diensem junxit, quem tunc temporis Amadeus Genevensis Amadei Ruscinonensis avunculus possidebat. Conjunctionis causas Papa exponit in diplomate, quod Viennæ 25 Sept. an. 1275 dabat, & in quo sic loquitur: Ecclesias Valentinam & Diensem violenta continuaque tyrannide a longo tempore opprimunt harum diœcesium viri nobiles ac populi, qui sæpe illarum bona quidem diripuerunt, Episcopos autem in exilium pepulere. Hac de re querimoniæ ad Papam Gregorium IX precesque delatæ sunt, ut Ecclesias illas conjungeret, sociatis unico sub capite viribus vexantium ferociæ facilius resistuaras. Motus his quæstibus Papa constituit viros, qui in necessitatem ac emolumentum conjunctionis inquirerent, istamque, si Ecclesiis utilem censerent, ipsius authoritate facerent. Cum Gregorii IX mors, aliique casus obstarent, ne hoc mandatum executioni daretur, earundem Ecclesiarum infectatio ad nostram ætatem usque duravit, ut ipsi, cum inferiore in gradu staremus, vidimus, præ-

Sæcul. XIII. A. C. 1275.

sertim quod ad Ecclesiam Valentinam attinet; videruntque &, quod dici solet, manibus contrectarunt Fratres nostri Cardinales nobiscum his in locis agentes.

Considerantes igitur harum Ecclesiarum utilitatem manifestam, tantamque propinquitatem, ut earum diœceses non solum in eadem provincia Viennensi sitæ, verum etiam contiguæ sint, de consilio nostrorum Fratrum hoc de negotio nobiscum deliberantium ex plenitudine potestatis nostræ illas per præsentes literas conjungimus, volumusque, ut statu Præsulum eas modo regentium integro nec mutato, postquam alteruter cesserit, aut obierit, superstes agnoscatur Episcopus Valentinus pariter ac Diensis, & utramque deinceps Ecclesiam unus idemque Antistes perpetuo gubernet. Alternis cooptabitur in his Ecclesiis, initio in Valentina facto; & ambarum Canonici ad ineunda simul suffragia tunc convenient, velut si unicum essent corpus: sed in reliquis cunctis duo Collegia manebunt divisa. Omnia salvis juribus Archiepiscopi Viennensis illarum Ecclesiarum Metropolitæ. Conjunctio sequente anno 1276 post decessum Diensis Episcopi executioni mandata quadringentos duodecim annos duravit ad nostram usque

que ætatem, qua duo episcopatus illi denuo separati fuere, scilicet anno 1687. Sæcul. XIII. A.C. 1275.

§. LX.

Gregorii ac Rudolphi congressus Lausannensis.

Papam 6 Oct. Lausannam delatum die S. Lucæ octavo decimo ejusdem mensis Romanorum Rex adiit cum Regina conjuge cunctisque propemodum liberis suis. Biduo post illi jurabat se omnia bona & jura Ecclesiæ Romanæ tuiturum, laturumque opem ad recuperandum ea, quæ illa non possideret, sicut etiam ad defendendum jus ejus in regnum Siculum. Huic juramento aderant septem Cardinales; inter alios Petrus Tarantasinus Episcopus Ostiensis, & Ottobonus Fiescus Diaconus tit. S. Adriani; quinque Archiepiscopi, Ademarus Lugdunensis, Otto Mediolanensis, Bonifacius Ravennas, Jacobus Embrodunensis, & Odo Vesuntinus; undecim Episcopi, Joannes Leodiensis, Stephanus Parisinus, Rudolphus Constantiensis, Henricus Basileensis, Guilielmus Lausannensis, Henricus Tridentinus, Amadeus Valentinus, Raymundus Massilienſis, Aimo Genevensis, Alanus Segesteronensis, ac Gerardus *Ann. Colm. Rayn. n. 37.*

Sæcul. XIII. A. C. 1275. Virodunenſis. Denique multi Germaniæ Principes hujus jurisjurandi teſtes erant; inter alios Ludovicus Comes Palatinus Rheni & Bavariæ Dux, Fridericus Dux Lotharingiæ, ac Fridericus Comes Caſtellanus Norimbergæ. Rex Rudolphus ſpondebat ſe idem juraturum denuo, antequam coronam acciperet imperatoriam: fecitque in templo Lauſannenſi 20 Oct. 1275.

n. 38. Poſtero die promulgavit edictum, in quo permittit, ut Collegia Præſules liberrime cooptent, & tanquam rem indignam rejicit conſuetudinem occupandi bona Præſulum mortuorum, vel Eccleſiarum vacantium ab anteceſſoribus ſuis introductam. Concedit etiam libertatem appellandi ad ſacram Sedem, ſuumque ad extirpandas hæreſes auxilium pollicetur. Iterat ſuum promiſſum conſervandi patrimonia Eccleſiæ Romanæ, additque, ſe nunquam accepturum dignitatem vel munus quodpiam, quod ſibi poteſtatem in illa loca, nominatim in urbem Romanam tribuat. Se Romanæ Eccleſiæ clientibus beneficiariis ac ſpeciatim Carolo Siciliæ Regi nullam allaturum offenſionem, curaturumque, ut Germaniæ Principes o-

n. 42. mnia promiſſa ipſius rata habeant. In hoc ipſo congreſſu Lauſannenſi Rudol-

phus

phus ſymbolicæ crucis militiam iniit rogante Papa, qui ſacrum urgebat bellum, & Palæſtinam ipſe petere, vitamque inibi ſuam finire cogitabat. Cum Rege Rudolpho teſſerariam crucem induerunt Regina conjux, Comes Ferretanus & uxor ejus, ac totus fere Nobilium ordo, qui ad Papæ aulam venerat. Sæcul. XIII. A.C. 1275. *Ann. Colmar.*

§. LXI.

Mors Papæ Gregorii X.

Papa Lauſanna in Italiam rediens Seduni Valeſiorum Archiepiſcopo Embrodunenſi mandavit, ut in Germania ſex annorum decimas ad expeditionem ſacram deſtinatas colligi curaret. Deinde Mediolani commorans electo Epiſcopo Virodunenſi ſimiles ab Anglis exigere juſſo ſcripſit, ut Anglicas, Wallicasque ac Hibernicas Regi Eduardo tradendas curaret, ſi hic Princeps cruce ſignatus iter ipſe ſuſciperet. *Rayn. n. 43. n. 44.*

Undecima Novembris erat, qua Gregorius Mediolanum advenit, ubi magno exceptus honore in cœnobio S. Ambroſii habitabat. Omnibus ibi ſpectandum ſe dabat humaniter, multasque indulgentias orantibus concedebat. Sed die dedicatæ SS. Petri & Pauli Baſilicæ Roma- *Corio. 2. par. p. 311.* *Rayn. n. 45.*

Sæcul XIII. A C. 1276.

næ 18 Novembris in templo S. Ambrosii censuras omnes a Papa Clemente IV contra Mediolanum pronunciatas repetiit, ne per tempus abrogatæ videri possent. Mediolano Placentiam, & inde Florentiam 18 Dec. delatus, urbem intrare noluit, quia divinis interdicta, & cives ab Ecclesiæ corpore segregati erant ob neglectam pacem, quam duobus abhinc annis apud eos transiens Guelfos inter ac Gibellinos confecerat. Sed cum Arno pluviis auctus vado trajici nequiret, urbis pontem transmittere coactus, sublatis tum quidem censuris, populo in transitu bene precabatur. At transvectus incolas denuo abdicavit cum indignatione dicens hunc psalmi versiculum: *In camo & freno maxillas eorum constringe!*

n. 46. 47. *Ric. Malesp.* c. 102.

Sup. §. 23.

Ps. 31. 9.

Papebr. conat. Rayn. 1276. n. 3. 4. &c.

Hinc Aretium profectus Papa Natales Christi ferias ibi transegit. Sed morbo extinctus est 10 Januarii an. 1276, cum sacram sedem quatuor annis, duobus mensibus, & quindecim diebus tenuisset. In cathedrali Aretii æde S. Donato dedicata sepultus plura eodem anno miracula precibus suis impetrasse dicitur, & Sanctus creditur in illa regione. Novum templum cathedrale sequente seculo conditum ab eo nomen accepit: urbis

Boll. 10 *Jan. to.* 1. *p.* 620. *Chastelain. not. Mart. p.* 162.

urbis populus festum ejus diem celebrat: & continenter ardens ad ejusdem tumulum lampas fovetur. At solenni ritu inter Cœlites nondum relatus fuit. Sæcul.XIII. A C.1276.

§. LXII.

Innocentius V & Adrianus V summi Pontifices.

Apostolica sedes decem tantummodo diebus vacabat: & 21 Jan. Cardinales in conclave inclusi Papam cooptabant Petrum Tarantasinum Ordinis Fratrum Prædicatorum Cardinalem Episcopum Ostiensem, qui Innocentius V dici voluit. Cum mox Aretio Romam transiisset, prima jejunii verni Dominica 23 Febr. in S. Petri basilica coronatus Lateranense palatium incolebat. Sed in morbum ibi delapsus obiit 22 Junii post quinque pontificatus menses. Humatus est in Lateranensi S. Joannis templo, & Carolus Siciliæ Rex ejus exequiis interfuit. *Rayn. n.5. 17.* *Papebr. conat.*

Post septemdecim vacationis dies electus fuit Ottobonus Fiescus Genuensis Papæ Innocentii IV nepos, Cardinalis Diaconus tit. S. Adriani, a quo nomen Adriani V cepit. Jam tum ægrotans cognatis suis summam sibi dignitatem gratulan- *Rayn. n.26 27.* *Papebr.*

Sæcul. XIII. A. C. 1276.

tulantibus, Mallem, inquiebat, vobiscum colloqui Cardinalis sanus, quam Papa moribundus. Vix Ecclesiæ clavum tenebat, cum sanctionis de conclavi a Gregorio X, factæ executionem inhibuit, aliter de illo se decreturum asserens. Sed relicta Roma Viterbii agentem mors prævenit 18 Augusti, postquam unius mensis ac novem dierum spatio Ecclesiæ præfuerat nondum Episcopus, immo ne Sacerdos quidem consecratus. Viterbii in templo Fratrum Minorum terræ mandatus est; ubi sepulchrum ejus etiamnum cernitur. Sacrum solium per octo ac viginti dies vacuum fuit.

§. LXIII.

Concilium Bituricense.

Interea Simon Brienſis Cardinalis Presbyter tit. S. Cæciliæ Bituricis concilium habuit. Papa Gregorius X eum in Francia Legatum suum creaverat, & amplissima instruxerat potestate, ac juribus, inter alia utendi censuris contra omnis generis personas, etiam Templarios, cæterosque Equites Religiosos, Cistercienses, Cluniacenses, Præmonstratenses, Fratres Prædicatores, Minoresque insuper habitis ipsorum privilegiis. Hic ergo Legatus rogatione quorundam regionis Præsu-

to. II. conc. p. 1028.

Præſulum Bituricis concilium celebravit; in quo ſexdecim præſcriptorum capitula edidit 13 Septembris an. 1276 ſacra ſede vacante, ut credebat Gallia, quæ novum Papam hoc ipſo die electum ſcire haud poterat. Hæ præſcriptiones tendunt præcipue ad tuendam jurisdictionis & immunitatis eccleſiaſticæ amplitudinem, quam Clerus tum poſſidebat, & homines profani conſtringere conabantur. Notatu digniores vide! Sæcul. XIII. A. C. 1276.

Graves motæ ſunt querimoniæ, quod in Francia electionum libertas turbaretur ita, ut multitudo populi per improbos concitata facto in electores impetu electionem quibusdam in locis impediret, & in aliis ipſos eam differre cogeret; ſicut nuper admodum Lugduni, Carnutique ac Burdigalæ accidiſſet, ubi violentia usque eo progreſſa eſſet, ut ſacræ ſupellectilis Præfectus nobile cathedralis Eccleſiæ membrum necaretur. Pronunciantur cenſuræ ſeveriſſimæ contra reos talium violentiarum. At Principis authoritas remedium efficacius futura fuiſſe videtur. Archiepiſcopus Lugdunenſis tunc erat Ademarus Ruſcinonenſis monachus Cluniacenſis, qui an. 1275 Papæ Gregorii juſſu ſucceſſerat Petro Tarantaſino Romana purpura, & Oſtienſi infula tum *cap. 1. p. 1018*

Gall. Chr. to. 1. p. 325.

p. 216.

Sæcul. XIII. A.C. 1276.

tum ornato. Archiepiscopus Burdigalensis erat Simon Roccavardensis, qui e Lemovicensi Canonico Decanus Bituricensis in Lemovicensem Episcopum an. 1272 electus fuerat una cum alio quodam: & controversia necdum dirempta erat, cum Simon mense Septembri an. 1275 evectus est in metropolitanum solium Burdigalense ab anno 1269 vacans, quo Petrus Roncevallensis decesserat.

Creati a Legato Judices potestate sibi tradita pluribus modis abutebantur. Jubebant generatim in jus vocari eos, quos tabellarius nominaret, & pro absolutione a censuris mulctas exigebant.

c. 2. 3. Concilium Bituricense utrumque abusum

c. 4. prohibet, ac ea, quæ hic subjungo. Judices ordinarii seu Præsules non nimis facile audiant monachorum querelas de ipsorum Abbatibus præsertim in materia

c. 5. correctionis. Laici non impediant, vel

c. 6. turbent jurisdictionem Præsulum; nec ad extorquendam absolutionem a censuris

c. 7. vim aut minas adhibeant. Judices profani Clericos nec coram se comparere, nec in præsentia privilegium Cleri proferentes litigare cogant: justæne an iniquæ sint censuræ aut quæcunque alia causa spiritualis, cognitionem non capiant:

piant: denique non rejiciant teſtamenta coram Conſulibus vel Judicibus profanis non condita. Nempe Clerus ea recipiendi, & in executionem inquirendi jus posſidebat. Sæcul.XIII. A. C. 1276. c. 9.

Portoria non extendantur ad bona, quæ Clerici terra vel aqua vehi curant, dummodo id non faciant negotiationis cauſa. c. 10.

Non proclamentur edicta eccleſiaſticæ libertati contraria. c. 11.

Nemo mutilet, ſaucietve, aut male habeat profugos in templa cæteraque præſidii loca, vel per vim eos inde abſtrahat. c. 12.

Nemo denique impediat, minuatve jurisdictionem Eccleſiæ in rebus, quarum cognitionem iſta ex veteri conſuetudine tranquille poſſidet. c. 13.

Nullus Religioſus aut ſecularis exemptus abutatur ſuis privilegiis, proſcriptos ad officia divina vel Sacramenta, aut ſepulturam eccleſiaſticam admittendo. c. 15.

Fori ſacri apparitores vel tabellarios nemo verberet, vel capiat, aut in carcerem detrudat. c. 16.

His cunctis inhibitionibus adduntur cenſuræ graviſſimæ; proſcriptio latæ ſententiæ, interdictum, jactura prædiorum ab Eccleſiæ clientela pendentium, ſontium pœna etiam in filiis, quos a beneficiis excludit. Archiepiſcopus Bituricenſis, cujus ætate hoc concilium habebatur, erat Guido Solliacenſis

Sæcul. XIII. A. C. 1276.

censis filius Henrici, qui Galliæ Regi a poculis fuerat. Prædicatorum Ordinem ingressus, cum ibi multos per annos exempli optimi vitam duxisset, Prior cœnobii Parisiensis evasit: e quo evocatum Papa Innocentius V metropolitanæ Ecclesiæ Bituricensi præfecit 18 Maji hoc anno 1276, postquam sedes tribus annis ac totidem mensibus vacaverat mortuo Joanne Solliacensi Guidonis fratre. Papa eundem professus Ordinem illius viri merita noscebat.

Gall. Chr. to. 1. p. 178. Patr. Bitur. c. 73.

FINIS TOMI XXI.

INDEX

INDEX
RERUM AC NOMINUM
TOMI XXI.

A.

Ademarus Marchianus, Episcopus Vinconiensis a Papa contra Anglos defensus. Pagina 275.

Ademarus Ruscinonensis, Archiepiscopus Lugdunensis. pag. 681.

Adriæ erectus Episcopatus, & Pennano junctus. p. 87.

Adrianus v. Papa.

Advocatis conferuntur beneficia ecclesiastica. 126. Illorum opes ac luxus. 127.

Alani Christiani rudes. 180.

Albericus Romanensis Ecelini frater Ecclesiæ addictus. 129 Eam deserit. 261.

Albertus Magnus, Ordinis Prædicatorum Doctor. 228. Ejus initia. 309. A Papa episcopatum Ratisbonensem accipit. 306.

Albertus Parmenſis, pontificius in Gallia Nuncius. 407.
Albertus Riccius Ord. Minorum, Epiſcopus Tarviſianus. 159.
Albigenſe concilium an. 1254. p. 125.
Alexander IV. Papa. 145. Favet Religioſis Mendicantibus. 150. Romanorum metu Viterbium ſe confert. 259. Obit. 393.
Alphonſus frater S. Ludovici, Comes Pictavienſis ſacræ militiæ cauſa mari ſe committit. 45. Fit Comes Toloſanus. 47. Moritur. 569.
Alphonſus Rex Luſitaniæ a Papa reprehenditur. 586. Gregorii X. contra eum litteræ. 664.
Alphonſus Sapiens, Rex Caſtellæ. 161. Romanorum Rex electus. 238. a Papa non agnoſcitur. 263. Imperio longam ſalutem dicit. 662.
B. Ambroſius Senenſis Ord. Præd. 590.
Andreas Longo-geminus Ord. Præd. mittitur in Tartariam. 33. Suum refert iter. p. 83.
Andronicus Epiſcopus Sardenſis agitur in exilium. 396.
Annatarum initium. 525.
Annibal Annibaldus Cardinalis tit. duodecim Apoſtolorum. 403.
Aquilæ novus Epiſcopatus inſtituitur. 235.
Ara Neſtorianorum portatu facilis, corium conſecratum. 194.
Arelatenſe concilium an. 1260. p. 381.

Arlo-

Arlotus pontificius in Anglia Nuncius. 271. Inde abit. 274.

Arnoldus Archiepiſcopus Trevirenſis. Papæ de eo querimoniæ. 239.

Arſacidæ ad occidendum S. Ludovicum in Franciam miſſi. 59. Eorum Principis ad illum Legatio. 60. A Tartaris delentur. 280.

Arſenius Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Vide in Erratis addenda pag.* 171. Coronat Michaëlem Palæologum. 301. Nicæam ſe recipit. 377. Abdicat dignitatem ſuum. 379. Revocatus Conſtantinopolim intrat. 399. Imperator Michaël Palæologus de illo conqueritur. 440. Ille in concilio exauthoratur. 443. De conſpiratione in Imperatorem arguitur. 481.

Avenionem S. Ludovicus obſidere renuit. p. 24.

Auguſtiniani Mendicantes Pariſiis domicilium figunt. 306.

B.

Bagdetia a Tartaris capta diripitur. p. 280.

Balduinus II. Imperator Conſtantinopoli aufugit. 398. Cum Rege Siciliæ Carolo paciſcitur. 512. Obit. 588.

Baptiſmalis unctio per totum corpus fit apud Græcos. 119.

Barlaam seu *Basilius* Metropolita Adrianopolitanus, Patriarchæ Germani nepos. 486.

Bartholomæus Bohemus Ord. Minorum proseminandi Evangelii causa in Poloniam missus. 241.

Bartholomæus Pignatellus Archiepiscopus Consentinus ab Urbano IV ad S. Ludovicum mittitur. 426.

Bathus Tartarorum Dux Canum eligit. 83. Rubruquisio sui copiam facit. p. 186.

Bela IV. Hungariæ Rex Tartarorum propositiones audit. 283. Ne accipiat, a Papa monetur. 284. Decedit. 595.

Beneficia ecclesiastica indignis modis tractata ab Episcopis Galliæ. 109. Per vim occupata. p. 387.

Berardus Archiepiscopus Panormitanus Fridericum II. absolvit 64. Quapropter a Papa castigatur. 66.

Bertholdus Marchio Honebrucensis Conradini tutor. 130. Tutela cedit. 132.

Bertrandus de Insula Jordani Episcopus Tolosanus. 569.

Beverlejanum concilium an. 1261. p. 388.

Bibliotheca S. Ludovici. 154.

Bituricarum primatus. 164.

Bituricense concilium an. 1276 sub Legato Simone Brienfi. 680.

Blanca Castilienfis Regina Franciæ obit. 92. Quo animo mortis nuncium tulerit S. Ludovicus 93.

Blasphemiæ a S. Ludovico punitæ. 438.
S. Bonaventuræ initia 203. Fit octavus Minister Fratrum Minorum Generalis. ibid. Recusat archiepiscopatum Eboracensem. 461. Apologum pauperum componit. 535. Reliqua ejus scripta. 543. Creatur Cardinalis. 614. Moritur 647.
Bondocdarus Sultanus Ægyptius Francis loca multa eripit. p. 418. p. 457. p. 489. p. 570.
Bonfilius Monaldus Florentinus SS. V. Servorum Parens. 653.
Bonifacius Sabaudus Archiepiscopus Cantuariensis obit. 582.
Borussia. Decreta pro novis Christianis hujus provinciæ; deletæ superstitiones. 13. Nova templa 14. Rex Ottocarus sacræ crucis exercitum contra Borussos ethnicos ducit. 148.
Brancaleon Senator Romanus. 260.
Brumo Episcopus Olomucensis ob temporalem amplitudinem suam laudatus. 150. Papæ notitiam dat ad concilium idoneam. 593.
Burdigalense concilium an. 1255. p. 161.
Burdigalensis Archiepiscopus Bituricensem agnoscit Primatem suum. 164.

C.

Cœlestini Benedictini monachi instituuntur. 624.
Cajuc-Canus tertius Tartarorum Imperator moritur. 83.

Cancellarii Parisiensis ad S. Genovefæ potestas. 177.
Candelabrum Episcopatus signum apud Græcos. 380.
Canonicorum vitæ communis reliquiæ. 311.
Captivi a S. Ludovico liberati. 82.
Carinus S. Petri Veronensis interfector ad bonam frugem se recipit. 90.
Carmelitæ Religiosi Mendicantes Parisiis sedem accipiunt. 305.
Carolus frater S. Ludovici, Andegaviæ ac Provinciæ Comes a Papa Siculum regnum nanciscitur. 452. Eligitur Romæ Senator. 453. Rex coronatur. 471.
Carthusiani Parisiis domicilium ponunt. 294. Eorum constitutiones veteres. ibid. De disciplinæ remissione arguuntur. 295.
Casus reservati. Mittuntur, quis abiis absolvant, expiationum Præfecti. 386.
Censuræ. Privilegium S. Ludovico datum, ut ne ipsi aliqua irrogari possit. 153.
Christianorum in Oriente Latinorum crimina. 576.
Christianus Archiepiscopus Moguntinus, quod bellum gerere nollet, exauthoratus. 69.
Christum qua in re imitari debeamus. 537.
S. Claræ virtutes. 99. Obitus. 102. V. tom. 19. p. 275.
Clemens IV Papa. 449. Ejus litteræ ad nepotem suum. p. 450. Virtutes ac mors. 531.

Clerici conjugati quibus sub conditionibus Cleri privilegiis frui potuerint. 493.
Clerus Arragoniæ de Rege Jacobo conqueritur. 456. Clerus Castellæ de Rege Alphonso querelas movet. ibid.
Collegia Parisina. 136.
Colonienſe concilium an. 1260. sub Archiepiscopo Conrado. 310.
Colonienſis synodus an. 1266. Violentia contra Clerum. 472.
Colores ornamentorum Ecclesiæ pro ratione festorum dierum. 82.
Conacenſe concilium an. 1260. sub Archiepiscopo Petro Roncevallio. 312. Aliud an. 1262. p. 421.
Conclave ad eligendum Papam in concilio Lugdunensi præscriptum. 644.
Confeſſio annua Parochis facienda. 386. Captivis non deneganda. 524. Religiosis quolibet mense semel præcipitur. 526.
Confirmatio baptismo jungitur apud Græcos. 119. Infantibus data. 385.
Conradinus Friderici II nepos. 130. Ne in Imperatorem eligatur, prohibet Papa Alexander IV. 212. Et Urbanus IV. 423. Accersitus in Italiam. 520. A Clemente IV proscribitur. 521. A Romanis receptus. 530. Sed a Rege Carolo captus supplicio extremo afficitur. 531.
Conradus Archiepiscopus Magdeburgensis. 392.

Conradus Friderici II filius ac hæres. 63. Papa populos ad ſacram expeditionem contra eum ſtimulari jubet. 67. 84. Ille Italiam intrat. Ibid. Obit. 130.
Conſenſionis Græcorum cum Latinis præcipua capita. 633. Subſcriptiones extortæ. 636. Illa fit in concilio Lugdunenſi. 641.
Conſtantia Manfredi filia, Petri Arragonii conjux. 403.
Conſtantinopolim Francis adimunt Græci. 397. Concilium ibi habitum an. 1264. p. 443.
Coſmos Tartarorum potus. 179.
Critica qualis ſæculo XIII fuerit. 156.
Cruce ſignati quomodo ſe ad iter parare debeant. 655.
Crucis militia contra Fridericum Germanis, p. 4. contra Manfredum Anglis ſuadetur; 233. contra M. Palæologum. 409. Initur variis in regionibus. p. 455. 457. 458. & ſeq.
Crucis nomine inſignis Congregatio Canonicorum Regularium. 291.
Crux apud Neſtorianos & Armenos nullam præſefert effigiem. 183.
Cuſtodia Eccleſiarum vacantium in abuſum verſa. 391.
Cyprus S. Ludovicus eo advenit. 24. Hujus inſulæ Clericos ac monachos Græcos Latini pellunt. 116. Illorum ſupplex ad Papam libellus. 117. Innocentii IV decretum pro illis. 118. Aliud Alexandri IV 318.

318. Criminum impunitas hoc in regno. 439.

D.

Danicum concilium contra Procerum violentas. 243.
David Tartarorum Legatum se perhibens deceptor. 198.
Decimæ ac primitiæ. Statuta de iis. 163. Clerus Galliæ conqueritur de Decimis pro bello sacro. 494. Papa ei temeritatem exprobrat. 495. Decimæ in Concilio Lugdunensi concessæ. 628. 655. imminutæ. 656.
Diploma in gratiam Fratrum Prædicatorum: *Quasi lignum vitæ*. 152. Septem diplomata an. 1257. p. 245.
Doctores fieri licet Religiosis. 246.

E.

Ecelinus Romanienſis crudelis in Lombardia tyrannus. 128. Proscribitur tanquam hæreticus 129. Feliciter decertat. 261. Moritur. 297.
Edicta Friderici II contra Innocentium IV. p. 4.
Eduardus Anglorum Regis filius natu major Terræ sacræ causa crucem induit. 526. Ad castra Gallorum ante Tunetum advenit. 563. In Palæstinam transit. 570. Agnoscitur Rex Angliæ. 582.

Electiones Episcoporum. Illarum libertas turbatur in quibusdam Ecclesiis. 681. Decreta concilii Lugdunensis. 629.
Eleemosynæ S. Ludovici. 501.
Elias Ordinis Minorum moritur. 98.
Emendatio morum Præsulibus in concilio Lugdunensi commendata. 652.
Engelbertus Archiepiscopus Colonienſis. 472.
Epiphaniæ festo die fieri solita Græcorum Cypri publica supplicatio. 31.
Ercalthaji Tartarorum Regis, ut perhibebatur Legati ad S. Ludovicum. 32. Adhujus quæstiones respondent. 35. Dona pro Ercalthajo. 37.
Eremitarum S. Augustini Mendicantium quinque congregationes. 206. Per Alexandrum IV rursus conjunctæ. 207.
Errores Parisiis ab Episcopo Stephano Temperio damnati. 565.
Ethnicorum in fide quantum poni queat, & an matrimonia cum eis contrahi possint. 286.
Eva cellæ inclusa erga SS. Evchariſtiam piissima. 436.
Evangelium æternum, liber Joanni Parmensi attributus. 140. A Papa condemnatur. 229. Introductio ad Evangelium æternum a Summo Pontifice damnata. 176. Evangelium æternum sive Spiritus Sancti. 384.
Evchariſtia. Græci aquam ferventem infundunt in calicem. 119. Quam diu illam servare liceat.

liceat. 120. S. Ludovicus eam in navi sua habebat. 115. Inhibitio, ne infantibus præbeatur. 162. Error Theodorici Bavari de hoc mysterio. 515. Maurino Archiepiscopo Narbonensi perperam adscriptus. 517.
Excommunicatio pœnis temporalibus juncta. 163. 422. 473.

F.

Ferdinandus Castellæ ac Legionis Rex obit, & ad Sanctorum ordinem adscribitur. 161.
Ferrum candens usitatum inter Græcos experimentum. 299.
Festus SS. Evchariſtiæ dies institutus Leodii. 433. ac per totam Ecclesiam ab Urbano IV. 434.
Flagellantium Italorum nova pietas in superstitionem versa. 303.
Florentiam Gregorius & pacare studet ac interdicto afficit. 588. & seqq. Censuras iterat. 678.
Florentinus Archiepiscopus Arelatensis. 381.
Fornicatio simplex peccatum mortale. 120.
S. Franciſci vitæ prima scriptio suppressa. 202.
Friderici II Imperatoris vita veneno appetitur. 41. Testamentum. 63. Mors 64.

G.

Georgius Acropolita Magnus Logotheta & scientiarum Professor. 480. Legatus ad concilium Lugdunense. 632.

Geraldus Malemortius Archiepiſcopus Burdigalenſis. 161. Moritur. 269.
Gerardus Archiepiſcopus Moguntinus. 70.
Germanici Cleri ſtatus. 595.
Germanus Archiepiſcopus Cyprius apud Papam Alexandrum IV. de Latinis conqueritur. 315.
Germanus Metropolita Adrianopolitanus, deinde Patriarcha Conſtantinopolitanus. 447. Viros meritis claros promovet. 479. Dignitatem ſuam abdicat. 485. Legatus ad concilium Lugdunenſe. 631.
Girardus Abbavillanus Doctor Pariſienſis contra Fratres Mendicantes ſcribit. 535.
Godefridus Aletrinus Cardinalis de S. Georgio. 402.
Godefridus Bellolocenſis S. Ludovico a confeſſionibus. 497.
Godefridus Kningtonius Archiepiſcopus Eboracenſis. 259.
Græci Epiſcopi quomodo affecti fuerint ad conſenſionem cum Latinis. 579.
Gratiæ tempus concedunt Inquiſitores. 177.
Gregorius X Papa. 571. Intentus auxilio terræ ſacræ ferendo. 573. Concilium generale convocat. 574. V. *Lugdunum*. Reconciliationem cum Græcis cupit. 579. & ſeq. Venit Lugdunum 613. Moritur. 677.
Grimerius Archiepiſcopus Aquenſis. 614.
Gualterius Caſtro-Theodoricianus Epiſcopus Pariſienſis. 290.

Gualterius Giffardus Episcopus Elienſis, dein Archiepiſcopus Eboracenſis. 462.
F. Gualterius Reigatenſis pontificius in Anglia Nuncius. 388.
Guido Cardinalis de S. Laurentio pontificius in Dania Legatus. p. 469. p. 604. Viennæ in Auſtria habet concilium. 513. In Poloniam tranſit. 515.
Guido Fulcodius Archiepiſcopus Narbonenſis poſtea Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis. 401. Pontificius in Anglia Legatus. 427. In Papam electus. 450. V. Clemens IV.
Guido Monfortius Henricum Anglum enecat. 567. A Gregorio X. punitur. 585. Pœnitentia ducitur. 616.
Guido Solliacenſis Archiepiſcopus Bituricenſis. 683.
Guilielmitæ ſe ab Auguſtinianis ſeparant. 208.
Guilielmus Arvernienſis Epiſcopus Pariſinus obit. 290.
Guilielmus Batavus, electus Romanorum Rex Aquiſgrani coronatur. 25. Partes ſuas debiles & contemptas videt. 68. Moritur. 211.
Guilielmus Delabroſſius Archiepiſcopus Senonenſis deponit munus. 517.
Guilielmus Delabrovius Archiepiſcopus Narbonenſis obit. 269.
Guilielmus de S. Amore Doctor Pariſienſis Religioſis Mendicantibus ſe opponit. 141. A collegis ſuis defenditur. 175. Ab Alexandro IV. punitus. 214. Se ſubmittit

Parisino concilio. 216. Litteræ pontificiæ contra eum. 245. Papa Universitati omne cum eo commercium interdicit. 288. Vetat, ne ille revocetur. 290.

Guilielmus Fiescus Cardinalis, Innocentii IV. nepos ac Legatus in Sicilia quantam habuerit potestatem. 131. A Manfredo in fugam datus. 144.

Guilielmus Mutinensis Cardinalis Episcopus Sabinensis. 62. Moritur. Ibid.

Guilielmus Pontæsianus Abbas Cluniacensis, dein Episcopus Aginensis. 408.

Guilielmus Rubruquisius Franciscanus in Tartariam proficiscitur. 178. Multa suffert. 186. Redit. 199.

H.

Hæresis in Suevia contra potestatem ecclesiasticam. 7.

Haquinus Rex Norvegiæ Imperium sibi a Papa oblatum renuit. 69.

Hebraicus sermo seculo XIII. diversis modis pronunciatus. 20. Christiani hujus linguæ periti. Ibid.

Henricus Anglus a Guidone Monfortio peremptus. 566.

Henricus Archiepiscopus Trevirensis. 392.

Henricus Castiliæ Princeps Romæ Senator magna committit crimina. 523.

Henricus Friderici II. filius naturalis, Sardiniæ Rex, moritur.

Henricus Geldrus Episcopus Leodiensis. 434. Papa exempli pessimi vitam ei exprobrat. 598. Munus abdicare illum cogit. 639.
Henricus Liciniacensis Rex Cypri ac Hierosolymæ. 30.
Henricus Segusianus Archiepiscopus Embrodunensis, postea Cardinalis Episcopus Ostiensis, celeber Canonista. 70.
Henricus tertius Anglorum Rex. Belli sacri obtentu tributa a Judæis & Christianis exigit. 85. A summo Angliæ Senatu ingentem pecuniæ summam postulat ad expeditionem in Siciliam. 271. Suorum querelæ contra eum. 273. Decedit. 581.
Hildeboldus Archiepiscopus Bremensis. 392. Rei militaris quam ecclesiasticæ studiosior. 516.
Hispalis a Rege Ferdinando capta. 26. Primus ejus Archiepiscopus. 27.
Hubertus Cardinalis de S. Eustachio. 402.
Hubertus Palavicinus Marchio Manfredo addictus. 298.
Hugo a S. Charo seu a S. Theodorico Ord. Prædic. Cardinalis de S. Sabina, Doctor clarissimus. 70. 394. Pontificius in Germania Legatus. 433.
Hugo Franciscanus in Provincia divini honoris studio ardens. 123.
Hugo tertius Liciniacensis, Rex Cyprius ac Hierosolymitanus. 571.
Hulacus Tartarorum Imperatoris frater, hostium

ſtium victor. 281. Electus ipſe in Imperatorem. p. 282. p. 314.
Humbertus de Romanis quintus Ord. Præd. Magiſter generalis. 229. Alberto Magno de ipſius epiſcopatu ſcribit. 307.

I.

Jacobus Archiepiſcopus Narbonenſis. 269.
Jacobus Arragoniæ Rex cum S. Ludovico transigit. 279. Ob ſuum concubinatum a Clemente IV. reprehenditur. p. 477. p. 478. Intereſt concilio Lugdunenſi. 627. Hoc relinquit. 629. A Gregorio X. vituperatur. 666.
Jacobus Chalaza Epiſcopus Sardenſis. 396.
Jacobus Erlandus Archiepiſcopus Lundenſis. 466. Cum Chriſtophoro Danorum Rege controverſias habet. 467. Regem Ericum VI. de ſe conqueri audit. 469. A Papa Clemente IV. defenditur. 469. Qui Regi Erico rem exprobrat, & minitatur. 604. Sub Gregorio X. diſſidium tollitur. 606.
Jacobus Hungarus deceptor & dux paſtorculorum. 72. Moritur. 77.
Jacobus Pantaleon Archidiaconus Leodienſis, pontificius in Polonia Legatus. 11. Patriarcha Hieroſolymitanus. 169. V. Urbanus IV.
Jacobus Savellius Cardinalis de S. Maria *in Coſmedin.* 402.

Jeroſolymæ aditio S. Ludovico diſſuadetur; & quam ob cauſam. 92.
Imperium Germanicum controverſum inter Richardum Anglum, & Alphonſum Caſtiliæ Regem. 527. Electores tertium cooptare volunt. p. 529.
Incontinentiæ Cleri remedium afferre conatur Alexander IV. per litteras ad Præſules circummiſſas. 286.
Indulgentiæ ob bellum ſacrum conceſſæ ad patrem & matrem extenduntur. 85. Aliæ gratiæ indulgentiis junctæ. 86.
SS. Innocentium die feſto fieri ſolitæ oblectationes indecoræ. 312.
Innocentii IV. Papæ litteræ de morte Friderici II. p. 66. Lugduno abit. 71. Gallorum querimoniæ de illo. 84. Ejusdem obitus. 143.
Innocentius V. Papa. 679.
Inquiſitio rogatu S. Ludovici in Gallia inſtituta. 177. Sanctiones Alexandri IV. 266.
Interpres rudis Rubruquiſiii. p. 181. p. 190.
Joachimitarum errores. 382. In Arelatenſi concilio damnati. 384.
Joachimus Abbas a Joanne Parmenſi ac diſcipulis ejus defenſus. p. 209. p. 210.
Joannes Angienſis Epiſcopus Tornacenſis Leodium translatus. 639.
Joannes a S. Laurentio Anglus, Cardinalis Presbyter. 394.
S. Joannes Bonus moritur. 207.

Joan-

Joannes Cajetanus de Urſinis Cardinalis de S. Nicolao. 394.
Joannes Curtiniacenſis Archiepiſcopus Remenſis. 475.
Joannes Laſcaris Imperator Conſtantinopolitanus. 299. Michaëlis Palæologi juſſu excæcatus. 400.
Joannes Paraſtronius Ord. Minorum a M. Palæologo ad Gregorium X. miſſus. 579.
Joannes Parmenſis ad Græcos reconciliandos legatus. p. 37. p. 231. Querelæ de illo. p. 200. Cedit Ordinis ſupremo munere. 201. S. Bonaventura in eum inquirit. 209. Joannes in cœnobium Grecchianum ſe confert. p. 210.
Joannes Teutonicus quartus Ord. Præd. Magiſter Generalis. 91.
Joannes Veccus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Cartaphylax conſenſioni cum Latinis obſiſtit. 608. Carceri addictus. 609. Et per lectionem Patrum ſaniora doctus 611., in Patriarcham Conſtantinopolitanum eligitur. 670.
Joannicus Epiſcopus Theſſalonicenſis. 396.
Jobus Jaſita monachus contra reconciliationem cum Latinis ſcribit. 610.
Jordanus Contius Cardinalis de S. Coſma. 403.
Joſephus Abbas Galeſinus Palæologi Pater ſpiritualis. 441. Conſecratur in Patriarcham Conſtantinopolitanum. 486. In Anatoliam tranſit. 508. Jurejurando ſe adſtringit

ſtringit ad obſiſtendum reconciliationi. 612. Tempore concilii Lugdunenſis manet abditus. 632. Exauthoratus in exilium mittitur. p. 668.

Iſabella Arragonia Philippi Audacis conjux. p. 406. Moritur. 567.

B. Iſabella S. Ludovici ſoror. 549.

Judæis libri ſui omnes jubente Papa adimuntur. 16. Quorum magnus numerus in Francia comburitur. 18.

Judicia Portæ. Audientia, quam S. Ludovicus ipſe dabat partibus litigantibus. 428.

Jugures falſorum numinum cultores cum Rubruquiſio colloquuntur. 189.

Juliana Cornillomontana erga SS. Altaris Sacramentum maxime pia. 431.

Juriſdictionis eccleſiaſticæ amplitudo per ſeculum XIII. p. 603.

Juſtinianus Conſtantinopolitanus Patriarcha Latinus aufugit. 398.

L.

Labor manuum quomodo & quibus imperatus fuerit. 249. Religioſis exoſus factus. 252.

Ladislaus III. Hungariæ Rex. 595.

Lamethanum concilium an. 1261. 389.

Lanfrancus primus Auguſtinianorum Mendicantium Præpoſitus generalis. 208.

Laurentius Ord. Minorum pontificius ad Ortum Legatus. 37.

Lauda-

Laudanus Epiſcopatus a Gregorio IX. ſuppreſſus, ab Innocentio IV. rurſum erectus. 87.
S. Lazari Hoſpitalariorum Ordo confirmatur. 169.
Legum civilium inſtitutiones non docendæ in regionibus, in quibus cauſæ per conſuetudines dijudicantur. 127.
Leo Peregus Archiepiſcopus Mediolanenſis obit. 395.
Libertatis eccleſiaſticæ gratia Decretum concilii Lamethani contra molitiones hominum profanorum. 389.
Libros eccleſiaſticos S. Ludovicus quæri & multiplicari curat. 154.
Lithuanis Epiſcopus datur. 111.
Londinenſe concilium an. 1261. 389. Aliud an. 1268. ſub Legato Ottobono. 524.
Longus Campus Abbatia prope Pariſios. 550.
Lopeſius Ferdinandus Ord. Minorum pontificius in Africa Legatus. 160.
S. Ludovicus agitat conſilia pacis inter Innocentium IV. & Fridericum II. 22. Confirmat ſuum votum. 1. Ingreditur iter in terram ſacram. 21. Veſtitu modeſto utitur, 22. Secundum Corporis ſpeciem deſcribitur. 43, Capitur a Saracenis. 49. Libertatem ſibi ſuam paciſcitur. 51. Liberatur. 57. Subſiſtit in Palæſtina. 59. Inde diſcedit. 115. In eadem navi agentibus miram exhibet charitatem. 122. Advenit in Provinciam. 123. Pariſios. 125. Ab Alexandro IV. laudatur. 153. Libros ſacros

sacros studiose legit. 154. Deo sese in religiosam servitutem dicare cupit. 157. Pacem amat plurimum. 277. Aliena restituit. 278. Cum Rege Arragonum de mutuis ipsorum juribus transigit. 279. Regnum Siculum pro aliquo e filiis suis oblatum renuit. 406. Angliæ Regem inter ac Proceres arbitrum agit. 427. Iterum militiæ sacræ crucem induit. 491. Creberrima pietatis opera facit. 497. Rogatur, ut Græcorum reconciliationem promoveat, 547. Testamentum condit. 551. Aquis-mortuis navem conscendit. 553. Ægrotat. 556. Dat monita suo filio. 557, filiæque suæ. 560. Obit. 561. Ejus exequiæ. 567. Miracula ad sepulchrum ejus. 568.

Lugdunum. Gregorius X. illuc concilium generale indicit. 586. Sessio prima. 626. Altera tertiaque sessio. 628. & seq. Adveniunt Græci, 637. & Papæ sacrificio assistunt. 638. Tartari in concilio. 640. Sessio quarta. Ibid. Quinta. 648. Sexta & ultima. 651.

M.

Sanctæ Magdalenæ reliquiæ quibus in locis haberi credebantur? 124. Ejusdem reliquiæ in Abbatia Viceliacensi. 496.

Mamelucorum Sultanorum Ægypti initium. 54.

Manfredus Friderici Imperatoris filius spurius Princeps Tarenti. 63. Se subjicit Papæ

Innocentio IV. 132. Ab eodem denuo se separat. 143. Pacem cum Alexandro IV. inire tentat. 147. 232. Bellum sacrum contra ipsum. 233. Ejus progressus. 235. Siciliæ Regem se coronari curat. 261. De ipso conqueritur Urbanus IV. 403. 429. Eumque ad dicendam causam Romam accersit. 424. Occumbit in prælio ad Beneventum. 471.

Mangus magnus Tartarorum Canus. 83. Rubruquisium ad colloquium admittit. 192. colloquium secundum. 198. moritur. 282.

Manſuetus Ord. Minorum Pontificius in Anglia Nuncius. 271.

Manuel Patriarcha Græcus Constantinopolitanus. 170.

Manuel Episcopus Thessalonicensis sede sua pulsus. 396.

Manuel Holobolus ab Imperatore Palæologo male habitus, Rhetoris posthac officium obtinet. 480.

Marcellinus Episcopus Arretinus Friderico Imperatori oppositus. 9. Suspendio necatur. 10.

Marcesina concubina Joannis Vatacii Imperatoris. 38. Frustra apud Imperatorem conqueritur de Nicephoro Blemmyda. 39.

Margarita Hungariæ Ordinem S. Dominici professa, ac pietate insignis. 595.

Marinus Filangerius Archiepiscopus Barensis obit. 67.

Marty-

Martyres ad Arcem Saphetam a Bondocdaro expugnatam. 489.
Martyrio ultro se exponere non licet. 539.
Massura Urbs Ægypti, in qua Galli devicti sunt. 48.
Matrimonium. Nuptiæ secundæ a Græcis improbatæ. 121.
Matthæus Paris Religiosis Mendicantibus parum favens. 221.
Matthæus de Ursinis Cardinalis. 403.
Maurinus Archiepiscopus Narbonensis. 517.
Mediolanum sacris interdictum ab Urbano IV. 396. A censura absolvi frustra efflagitat. 503.
Meditationes S. Bonaventuræ de vita Jesu Christi. 543.
Melic-Saleh Sultanus Ægypti moritur. 47.
Mendicantes Religiosi malitiose traducuntur. 217. Eorum Apologia a S. Thoma elaborata. 245. Querelæ contra eosdem. 392.
Mendicitas a S. Thoma defensa. 251.
Mendogus Lithuaniæ Princeps Regis titulum a Pontifice ut obtineat, baptismum suscipit. 110. Ejus Apostasia. 148.
Methodius Constantinopolitanus Patriarcha Græcus. 170.
Michael Epirotarum Princeps a Manfredo subsidium obtinet adversus Imperatorem Michaelem Palæologum. 299.
Michael Palæologus Imperator proclamatur. 301. Constantinopolim a Græcis recuperatam intrat. 397. Excommunicatur ab

Arsenio Patriarcha. 409. Pacis habendæ causa Urbano IV. scribit. 412. Altera ejusdem ad Papam epistola. 415. Anathematis vinculo solvitur a Patriarcha Josepho. 488. metuens sibi a Carolo Andegavensi litteris Papam iterato interpellat. 546. Episcopos Græcos ad unionem cum Ecclesia latina perurget. 606. 633.

Minorum Fratrum disciplina post 30. annos relaxata. 254. Circa ea, quæ aquirunt, dominium proprietatis penes Papam esse contendunt. 541.

Missio prædicantium a quonam fieri debeat? 217.

Moadam Turancha Sultanus Ægypti. 49. Interficitur. 54.

Moguntinum Concilium an. 1261. 392.

Moneta Christianorum in Oriente nomen Mahometis insculptum habet. 95.

Mont-pessulanum Concilium an. 1258. 269.

Mostazon-billa ultimus Musulmannorum Califa necatur. 281.

Munita loca in Palæstina a S. Ludovico restaurari jussa. 82. 112.

Muro concluſi hæretici. 125.

Muzalonus Georgius Joannis Lascaris tutor, ac imperii gubernator declaratur. 300.

N.

Nannetanum Concilium an. 1264. 437.

Nautæ ut Articulos fidei edoceantur, curat S. Ludovicus. 122.

Naza-

Nazarethum devotionis cauſa ſe confert idem S. Rex Ludovicus. 82.
Nazarethi Eccleſia SS. Virgini ab Angelo ſalutatæ ſacra a Sultano Ægyptio diruta. 418.
Neſtoriani impoſtores. 184.
Nicephorus Blemmydas Abbas doctrina ac probitate conſpicuus. 39. Idem genuinus ac verus philoſophus. 509.
Nicephorus Epiſcopus Epheſinus, ac demum Patriarcha Conſtantinopolitanus. 380.
Nicolaus Epiſcopus Cortonenſis a Michaele Palæologo ad Papam miſſus Legatus. 416.
Nicolaus Rupellenſis judæus converſus librum, quem thalmudem dicunt, Papæ denuntiat. 15.
Nicolaus Trivetus chronici cujusdam Anglicani ſcriptor. 581.
Nicoſia Cypri urbs capitalis duos Archiepiſcopos latinum & græcum habuit. Horumque mutua diſſidia. 31.
Northantoniæ concilium an. 1265. Anathematis fulmine rebelles percellit. 460.
Norvegiæ Regem Magnum inter & Joannem Archiepiſcopum Nidroſianum diſſenſio, ac demum pactio transacta. 601.
Nuceria Saracenorum a Rege Carolo ſubacta. 545.

O.

Octavianus Cardinalis S. Mariæ. 394.
Odo Caſtro-Rodulphinus Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus. 394. idem belli ſacri Legatus

gatus Pontificius cum S. Ludovico in Cypro commoratur. 31. Qua ratione valedixerit domino de Jonavilla? 113.

Odo Rigaldus Archiepiſcopus Rothomagenſis. 492.

Opizo de S. Vitali Epiſcopus Parmenſis tuetur Fratres Mendicantes. 392.

Ordines Minores Græcis incogniti. 120.

Otto Epiſcopus Paſſavienſis vita fungitur. 465.

Otto e proſapia Pro-Comitum Archiepiſcopus Mediolanenſis. 395. Agit cauſam ſuam coram Clemente IV. 505.

Ottobonus Fieſcus Cardinalis S. Adriani Innocentii IV. Nepos. 394. De recta Joannis Parmenſis fide ſponſorem agit. 210. Legatus in Angliam mittitur. 459. Fit Papa. 679.

Ottocarus Bohemiæ Rex Borruſſorum complures baptizari curat. 148.

P.

Pachymerus hiſtoricus, eorum, quæ refert, teſtis præſens. 446. 481.

Pantaleon Juſtinianus Conſtantinopolitanus Patriarcha latinus. 170.

Papæ Authoritas quousque juxta mentem S. Thomæ ſe extendat? 249. Is ætatis ſuæ annos 500. numerare apud Tartaros dicebatur. 188. Ejus immediata in omnes Chriſtianos jurisdictio. 249. Quam ipſius

ipsius potentia judicio Urbani IV. proficua sit Principibus sæcularibus? 414.
Paraſceven quomodo quotannis transegerit S. Ludovicus? 500.
Pariſienſe Concilium an. 1256. 204. Alterum eodem anno. 215. Iterum aliud an. 1264. 437. Conventus Pariſiis habitus, qua ratione terræ ſanctæ ſubveniri poſſit? 313.
Parmæ obſidionem ſolvere cogitur Imperator Fridericus. 9.
Paſtorum tumultus in Gallia. 72. Eorum violentiæ in Urbe Aurelianenſi. 75. Excommunicantur & diſperguntur. 77.
Patres Eccleſiæ quinam a Græcis potiori loco habiti? 416.
Paupertas qualis eſſe debeat, ut Evangelio conformis ſit? 251. Quænam perfecta ſit juxta S. Bonaventuram? 540.
Pax S. Ludovicum inter & Henricum III. Britanniæ Regem ſancita. 277.
Peccatis actualibus, vel ſolo Originali qui infecti moriuntur, in infernum deſcendunt diſparibus tamen pœnis cruciandi. 510.
Peluſii S. Ludovicus advenit. 43. Urbem occupat. 44. Eandem pro ſui redemptione reſtituit. 52.
Perfectio & imperfectio qua ratione ſibi opponantur? 537.
Pericula temporum noviſſimorum exhibet liber ſub hoc nomine conſcriptus a Guilielmo de Sancto Amore. 216. Condemnatur

a Papa. 223. Huic condemnationis ſententiæ duo ſe doctores Pariſienſes ſubjiciunt. 224.

S. Petri Cæleſtini initia. 622. Solitudinis amore ad Montem Moronum, & poſthac ad Montem Magellanum ſe confert. 623. Ejus inſtitutum confirmat Urbanus IV. & poſt hunc Gregorius X. Lugduni. 624. & 625.

Petrus Charnius Archiepiſcopus Senonenſis. 517.

Petri de Vineis Friderici Cæſaris Secretarii intimi mors violenta. 41.

Petrus Roncevallius Epiſcopus Burdigalenſis. 421. Moritur. 682.

Petrus Tarantaſinus Ord. Præd. Archiepiſcopus Lugdunenſis. 615. Tum Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis. 627. Ac demum Papa. 679.

S. Petri Veronenſis Ord. Præd. initia. 78. Inquiſitor Mediolani conſtituitur. 80. Dein Cremonæ. 79. Facta in eum conjuratio. 88. Ejus Martyrium. 89. Sanctorum albo inſeritur. 97.

Philippus Archiepiſcopus Ravennæ & Papæ Legatus ab Ecelino captus. 261. 262. E captivitate fuga elabitur. 198.

Philippus Archiepiſcopus Salisburgenſis depoſitus. 264. Armis tueri ſe nititur. 265. Salisburgo ejicitur. 464.

Philippus audax Rex Franciæ. 562. Romam delatus congregatos in conclavi Cardinales inviſit. 566.
S. Philippus Benitius Ordinis Servorum B. M. V. propagator. 654.
Philippus Berruerius Epiſcopus Aurelianenſis ad Sedem Bituricenſem aſſumtus virtutibus claret. 166. Pie obit. 168.
Philippus Fontius Archiepiſcopus Ravennæ. 392.
Philippus Sabaudus Archiepiſcopus Lugdunenſis, & Epiſcopus Valentinus deſignatus hac utraque dignitate abdicata fit Comes Sabaudiæ. 615.
Piacularium flammarum locum *Purgatorium* nominare jubentur Græci. 121.
Pietas multiplex S. Ludovici. 496.
Pluralitas beneficiorum a S. Ludovico improbata. 518. Diſpenſationibus vero Pontificum fovetur. 525.
Pœnitentia potiſſimum ex amore Dei proficiſcatur oportet. 293. Antiquarum pœnitentiarum reliquiæ ſæculo XIII. 294.
Poloni adhuc ſæculo XIII. in jejunio verno ritum Græcorum imitabantur. 12.
Pont-Audomarianum Concilium an. 1267. 493.
FF. Prædicatores Virginum Monialium regimine exonerantur. 91. Prohibentur abs Superiorum ſuorum permiſſu in ſui electionem ad Epiſcopatus conſentire. ibi. De eis conqueritur Univerſitas Pariſienſis. 135. 171. 220. Bullæ in eorum favorem

editæ ab Alexandro IV. 288. Eos tandem recipit Universitas Parisiensis postremo tamen loco. 304.
Præsulatus dignitatem ambire illicitum. 538.
Pragmatica Sanctio S. Ludovici. 533.
Principium publicus in theologia actus. 213.
Privilegiis Clericorum ut quis gaudeat, conditiones necessariæ. 270. Privilegiis suis abuti prohibentur Templarii & Hospitalarii. 386.
Professio fidei Ecclesiæ latinæ a Clemente IV. Michaeli Palæologo missa. 510.
Pugnæ equestres Clericis inhibentur. 126.

R.

Radulphus Caprerius Episcopus Albanensis Papæ in Sicilia Legatus. 471. *Idem ut* Legatus Pontificius S. Ludovicum ad bellum sacrum comitatur. 549. Obit. 556.
Radulphus Grosparmius Episcopus Ebroicensis, tum Cardinalis Episcopus Albanensis. 401.
Rainerius Ord. Min. Mainæ in Morea Episcopus. 160.
Ravennæ Concilium an. 1261. 392.
Raymundus Tolosæ Comes senior sepultura Ecclesiastica caret. 23.
Raymundi Tolosæ Comitis Junioris mors. 47.
S. Raymundi Pennafortii obitus. 662.
Raynaldus Cardinalis Episcopus Ostiensis fit Papa. 146. Regiminis sui initia. ibi.

Regale jus ſuum tuetur S. Ludovicus adverſus Papam. 476. 518. Illud de novo uſurpari in Eccleſias inhibetur. 649.

Reginaldus Corbelienſis Epiſcopus Pariſienſis. 290. Obit. 519.

Regius Mons Abbatia a S. Ludovico fundata. 154.

Religioſorum Mendicantium molimina reprimuntur ab Innocentio IV. ſpeciali diplomate. 141. Hoc tamen ab Alexandro IV. revocatur. 151. In Religioſos SS. Dominici & Franciſci ſingularis S. Ludovici propenſio. 157. Idem S. Rex, ut Liberi ſui Religionem ingrediantur, in votis habet. 158. Novi Religioſorum Ordines inſtitui prohibentur. 651. Religioſorum reformatio a Concilio Salisburgenſi demandata. 659.

Reſervati Epiſcopatus Papæ arbitrio. 464. 465.

Richardus Anglus Cornubiæ Comes Rex Romanorum ſalutatur. 236. Vita fungitur. 573.

Richardus Annibaldus Cardinalis S. Angeli. 394. Papæ in Sicilia Legatus. 490.

S. *Richardus* Epiſcopus Ciceſtrienſis vitam finit, ab Urbano IV. inter ſanctos relatus. 104.

Riga Livoniæ Metropolis, ac Sedes Archiepiſcopalis. 147.

Roberti Capitonis Epiſcopi Lincolnienſis de Curia Romana querimoniæ. 104. 107. Ejus obitus. 109.

Robertus Comes Arteſiæ Maſſuræ a Saracenis interficitur. 49.

Robertus Epiſcopus Nannetenſis, & poſthac Patriarcha Hieroſolymitanus occaſione S. Ludovici a Saracenis graviter afflictus. 56.

Robertus Kiluarbius Dominicanus Archiepiſcopus Cantuarienſis. 583.

Robertus Sorbonicus Canonicus Pariſienſis, & S. Ludovico a Sacello. 291. Ejus ſcripta. 292.

Roderici Chimeſii Hiſtorici & Archiepiſcopi Toletani obitus. 27.

Roſſiacenſe Concilium an. 1258. 267.

Rudolphus Comes Habſpurgicus Romanorum Imperator eligitur. 593. Eumque ratum habet Papa Gregorius X. 657. Ambo conveniunt Lauſannæ. 675. *Rudolphus* omnia Eccleſiæ Romanæ jura confirmat, eaque illibata tueri ſe velle juramento promittit. 676.

Ruſinus Ord. Min. Cardinalis Octaviani Siciliæ Legati Vicarius Generalis. 145. A Manfredo captivus abducitur. 235.

Ruſtandus Alexandri IV. in Anglia Legatus. 233.

S.

Sacerdotes Græci conjugati Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare permittuntur. 120. Quis juxta mentem S. Thomæ proprius cujusque Sacerdos ſit? 248.

Sacramentorum uſus ſæculo XIII. rarus. 532.

Sacrificio Miſſæ mortuorum intereſſe permittuntur extremo ſupplicio afficiendi. 531.

Salmanticenſis univerſitas a Ferdinando Rege Caſtellæ condita. 161.

Salisburgi Concilium an. 1274. celebratum. 658.

Sanctius Archiepiſcopus Toletanus in prælio cum Mauris commiſſo interimitur. 663.

Saracenorum complures S. Ludovici opera ad fidem convertuntur. 114. Saracenos ut ſuo regno excludat Jacobus Arragoniæ Rex, ſollicite hortatur Pontifex Clemens IV. 478.

Sartachio Tartarorum Principi, & Bati filio ſcribit Innocentius IV. 185. Rubruquiſium ad alloquium admittit. 182. Mogol, & non Chriſtianus appellari vult. 184.

Scacatajus Tartarorum Princeps. 179.

Schiſma inter Græcos. 506. 669.

Scriptura Sacra vocabantur non modo Canonici, ſed quicunque alii libri Eccleſiaſtici. 124.

Sepultura a S. Ludovico donantur Chriſtianorum permulti a Saracenis trucidati. 112. Sepulturæ jus Parocho proprium. 313.

Sergius Monachus Armenus impoſtor. 191. 193.

Ser-

Servorum M. V. Ordo a Concilio Lugdunensi confirmatur. 653.

Sevalius Archiepiscopus Eboracensis jussu Papæ excommunicatur. 258. Qua de re in ipso mortis Articulo graviter conquestus vitam finit. ibi.

Sicilia Regi Angliæ offertur a Papa. 232. Eadem a Clemente IV. certis sub conditionibus tribuitur Carolo Andegavensi. 452.

Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus diem extremum obit. 69.

Simon Brienfis Cardinalis S. Cæciliæ. 402. Sedis Apostolicæ Legatus in Franciam mittitur. 429. 491. 655.

Simon Montfilicius Cardinalis S. Sylvestri. 401.

Simon Roccavardensis Archiepiscopus Burdigalensis. 682.

Sinibaldus vid. Innocent. IV.

Sodalitates restringuntur. 164.

Sorbona percelebre Collegium erigitur. 291.

Stephanus Lexintonius Abbas Clarævallensis ob conditum Parisiis Monasterium Cistercienfe Abbatiali dignitate exuitur. 255.

Stephanus Episcopus Prænestinus Cardinalis. 394.

Stepha-

Stephanus Temperius Episcopus Parisiensis. 519.

Studium Philosophiæ & Theologiæ speciali sanctione instaurat Innocentius IV. 126.

Subsidium centesimæ partis proventuum Ecclesiasticorum pro terra sancta annuit Clerus Gallicanus. 419.

Sueciæ circa Episcoporum institutionem abusus. 62.

T.

Talmud Hebræorum liber pernicioſus. 15. Errores inibi detecti & excerpti. 17. Authoritate Apostolica proscribitur. 19.

Tartari devictas abs se Provincias devastant. 83. Narratio de Tartaris a summo Armenicæ Militiæ Præfecto facta suspecta habetur. 34. Eorum progressibus resistendi modum indagat Alexander IV. 386. Tartarorum Legati in Concilio Lugdunensi. 640.

Templarii Equites male audiunt. 48. Hos inter & Hospitalarios cruenta pugna. 282. Obsistunt Pontifici. 458.

Terram Sanctam a Christianis derelinquendam esse, rationes suadent. 169.

Theobaldus Pro-Comes Archidiaconus Leodiensis Summus Pontifex designatur. 771. Vid. Greg. X.

Theobaldus Rex Navarræ moritur. 564.

Theodorus Laſcaris Imperator Conſtantinopolitanus. 170. Ad eundem Alexander IV. pro Eccleſiarum unione legationem mittit. 221. Mortem oppetit. 300.

Theodoſius Villarduinus Archimandrita, cognominatus *Princeps*. 669.

Theologiæ Facultatis Cathedræ duodecim Pariſiis. 136.

S. Thomæ Aquinatis initia. 226. A fratribus ſuis captivus detinetur. 227. Pariſiis & Coloniæ Agrippinæ ſtudia ſua proſequitur. 228. Pariſiis ad doctoris gradum admittitur. 246. Archiepiſcopatum Neapolitanum recuſat. 463. Summam Theologicam ſcribit. ibi. Vocatur ad Concilium Lugdunenſe. 617. Ejus obitus & Scripta. 619.

Thomas Bellomeſius Archiepiſcopus Rhemenſis vita fungitur. 475.

S. Thomas Chantalupius Angliæ Cancellarius, & poſthac Epiſcopus Herfordienſis. 583.

Thomas Epiſcopus Uratislavienſis a duce Sileſiæ carceri mancipatus. 241.

Thomas Leontinus Patriarcha Hieroſolymitanus, & Ptolemaidis Epiſcopus. 575.

Toloſæ Comitatus Coronæ Gallicæ adnectitur. 569.

SS. Tri-

SS. Trinitatis officium inſtituitur. 385.
S. Trophimus Epiſcopus Arelatenſis S. Pauli diſcipulus fuiſſe perperam credebatur. 385.
Tuiniani idololatræ Manichæi. 195. Rubruquiſii cum eisdem colloquium. Ibi.
Tunetum invadere S. Ludovicus conſtituit. 554.
Turpino Archiepiſcopo Rhemenſi hiſtoria Caroli Magni falſo adſcribitur. 157.

U.

Vocatio beneficiorum *in Curia* a Papis introducta. 518.
Valaſcus Ord. Min. Pontificius ad Anglos Legatus. 276.
Valentiæ in Delphinatu Concilium an. 1248. celebratum. 28.
Valentinus Epiſcopatus & Dienſis uniuntur. 672.
Vatacii Imperatoris Græci mors. 170.
Udalricus Epiſcopus Secovienſis ad Sedem Archiepiſcopalem Salisburgenſem aſſumitur. 265. qua dignitate iterum ſe abdicat. 464.
Veneti bellum cum Genuenſibus gerunt. 262.
Vernerus Archiepiſcopus Moguntinus. 392.
Vicarii Præciarum perpetui congrua ſuſtentatione præditi. 385.
Vice-dominus Archiepiſcopus Aquenſis Gregorii X. Nepos. 590.

Viennæ in Auſtria celebratur an. 1267. Concilium. 513.
Vigiliæ in templis teneri prohibentur. 312.
Vincentius Bellovacenſis Ord. Præd. Auctor libri, quem *Speculum Magnum* inſcripſit. 155.
Uladislaus Archiepiſcopus Salisburgenſis. 465.
Uncia Auri 25. libras valebat. 573.
Univerſitas Pariſienſis numerum doctorum Religioſorum augeri ſpeciali ſtatuto prohibet. 133. A Lectionibus ceſſat. 134. Reſcriptum Pontificium *quaſi lignum vitæ* ad Univerſitatem in gratiam Religioſorum Mendicantium. 151. Ejus executionem recuſant doctores Pariſienſes. 171. Abitumque minantur. 176. Papa diplomatis ſui executionem urget. 177. Compoſitio doctores inter & Fratres Mendicantes per arbitros facta. 201. Litteræ Pontificiæ *de quibusdam Magiſtris* adverſus doctores. ibi. Aliæ, quarum initium: *Cunctis proceſſibus.* 213. Denuo aliæ, quæ incipiunt: *Pariſius peritia.* 244.
Uratislaviæ in Sileſia Concilium an. 1248. habitum. 11. Alterum an. 1268. 515.
Urbanus IV. Papa. 394. Creat 14. Cardinales. 400. Obit. 448. Ejus bonitas ſingularis in condonandis injuriis. 449.

Z.

Zoënius Epiſcopus Avenionenſis, & Apoſtolicæ Sedis Legatus. 125.

Correcta.

Pag.	*Menda.*	*Lege:*
24.	propſpera	proſpera
41.	fregit. „Per	fregit. Per
Ibid.	eſſe „Maleſpinus	eſſe Maleſpinus
60.	ipſerum	ipſorum
122.	timendumque ut	timendumque, ut
171.	*Poſt illa verba:* Sic loquitur hiſtoricus Georgius Acropolita, *addenda ſunt ſequentia:* Monachum itaque grammaticis vix imbutum diſciplinis, & Sacris non initiatum ordinibus, nomine Arſenium, Imperator Theodorus ſelegit, quem ſuo e Monaſterio accerſitum ea inaugurare ſolertia juſſi ſunt Epiſcopi, ut ſeptem intra dies Diaconum, Presbyterum, & Patriarcham Conſtantinopolitanum crearint.	
174.	Iſtud per Præſulum	iſtud par Præſulum
201.	reduci requirent	reduci nequirent
Ibid.	allatas ætatem	allatas, ætatem
208.	Ac Guilielmitæ	At Guilielmitæ
234.	prærogationem	prorogationem
244.	Pariſinus peritia	Pariſius peritia
291.	pro pauperis	pro pauperibus
294.	dandam con-conſtitutionibus	dandam conſtitutionibus
317.	Poſt hunc litis	Poſt hanc litis
321.	& progreſſum:	& progreſſum!
324.	Principibus, de quinquaginta	Principibus, quinquaginta
358.	a ſane ratione	a ſana ratione
361.	propagatio: Et fatendum	propagatio. Et fatendum

Correcta.

Pag.	*Menda.*	*Lege:*
397.	quia Alexius	quia Alexio
398.	reliquit Tum	reliquit. Tum
399.	quem electio	quam electio
428.	in ſtatu priſtinum	in ſtatum priſtinum
450.	eſſe induendam	eſſe induendum
452.	Sede eam	Sede ad eam
459.	Octocaro	Ottocaro
481.	Eo ipſo	Eo ipſe
498.	chorum demiſſiſſimum	chori demiſſimam
504.	impetrarunt, In conſeſſu	impetrarunt. In conſeſſu
547.	ab aliquod annis	ab aliquot annis
548.	Hæc ſpe	Hac ſpe
553.	Fani, S. Ægydii	Fani S. Ægydii
580.	formulum	formulam
536.	Principibusque ac Præſulibus	Principesque ac Præſules
594.	Videntur horrore	Videntur horrere
613.	Philippnm	Philippum
630.	Iu electionis	In electionis
632.	in monaſterio	in monaſterium
633.	1782, anno 1274.	1782, ſcilicet 1274.

Menda reliqua benignus Lector corriget.


Th
5178